




<36620950820011

ANNALES
ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS

IN LUCEM EDITI

VOLUMEN QUARTUM



MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS

M DCCC LXXXVIII

4

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA, Prior Cartusiæ.
Kalend. Nov. M. DCCC. LXXXVIII.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH, Episc. Atrebat.,
Atrebat., Nonis Nov. M. DCCC. LXXXVIII.

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS

IN LUCEM EDITI


VOLUMEN QUARTUM




MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS

M DCCC LXXXVIII


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS



ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM SECUNDUM PROSEQUITUR

JESU CHRISTI ANNUS 1231.

Gregorii PP. IX Ann. 5.	Ordin. Cartus. Ann. 148.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 52.

BURNO QUONDAM ARCHIEP. VIENN. MORITUR.

I. ANNO a partu Virginis millesimo ducentesimo trigesimo primo, creditur obiisse Burno, sive Bruno, monachus cartusiensis Vallis Sanctæ Mariæ professus, quondam Viennensis archiepiscopus; quem jamjam animam agentem suavissimo Deiparæ Virginis conspectu recreatum fuisse scribit noster Molinus. Antequam monasticum indueret habitum, novissimorum suorum memor, sepulcrum suum ut alter Joannes Eleemosynarius construi curaverat, cui sequentes versus jusserat inscribi:

Molin. hist. Ord. Cart. ms.

Qui populos regi } tis, memores super omnia si } tis.
Quod mors immi } non parcit honore poti }

EJUS SUCCESSOR PETIT CANONIZATIONEM STEPHANI EPISCOPI DIENSIS.

II. Burnoni in archiepiscopatu successerat Joannes de Burnino (si tamen idem non sit ac Burno ut conjicere est ex dictis anni 1215), qui hoc præsenti anno cum suis suffraganeis ad

ANNUS 1231

Summum Pontificem Gregorium scripsit, postulans ut Stephanus quondam ex Priore cartusiæ Portarum factus Diensis episcopus, et post mortem multis miraculis coruscans, in Sanctorum ordinem assereretur. Talis est eorum epistola : « Sanctissimo Patri ac Domino Gregorio, Dei gratia Summo Pontifici, Viennensis Ecclesiæ minister humilis, Valentinæ Ecclesiæ procurator, Diensis, Gratianopolitanus, Vivariensis, Gebennensis, Mauritanensis Episcopi, Viennensis Ecclesiæ suffraganei, cum omni reverentia ad pedum oscula beatorum. Quas gratias et quas laudes referamus Domino nostro Jesu Christo, Deo vivo et vero, humani defectus et nostræ mortalitatis ignorat imbecillitas, qui cum sit mirificus in servis suis, mira mirifice non desinit misericorditer operari. Quanta quidem et quam præclara meritorum apud Deum et homines enituerit prærogativa, quot et quantis coruscaverit virtutum radiis venerabilis in Christo frater noster bonæ memoriæ Stephanus quondam Diensis episcopus, et miraculorum quæ per ipsum tam in vita ejus quam post ipsius transitum operatus est Dominus in suis fidelibus et impræsentiarum operatur, et declarat evidentia, frequens etiam et copiosa diversarum nationum multitudo, propter morborum molestias et diversorum infortuniorum pressuras ad dicti episcopi tumulum catervatim confluens, dicti Viri meritis, pulsis languoribus, sanitatis gavisa remediis, aliis etiam infortuniis propulsatis, et hoc idem longe lateque, tam verbis quam factorum evidentia publice protestatur. Verum quia nemo quantacumque meritorum prærogativa polleat, ab Ecclesia pro sancto habendus aut venerandus est nisi prius per Sedem Apostolicam ejus sanctitas approbetur; miraculorum quibus apud fideles Viri dicti sanctitas manifesta innotuit, apud pedes Sanctitatis vestræ tenorem transmittimus, ut inspecta ipsorum continentia, Sublimitatis vestræ, Pater sanctissime, circumspecta decernat providentia, utrum dictus Episcopus a Sancta Dei Ecclesia pro Sancto haberi et venerari et in Sanctorum debeat catalogo computari. Illud etiam Sanctitatem vestram latere nolumus, quod quicumque aliquibus pressi languoribus

ANNUS 1231

vel gravati aliquorum infortuniorum instantia, se asseruere sospitatem et liberationem dicti Viri meritis consecutos, non prius adhibita est fides a Diensi Ecclesia, nisi prius assereretur, præstito super sancta Dei Evangelia corporaliter sacramento, adjunctis etiam sibi sociis in sacramento (si forte socios habebat aliquos), se et morborum vel aliorum infortuniorum sustinuisse gravamina, et nomine dicti episcopi Stephani precibus fusis ad Dominum, sospitatem et subsidia pro quibus supplicaverant, impetrasse.

Quo anno mortuus sit Stephanus.

« Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo octava, octavo Idus Septembris, Stephanus Cartusiensis monachus et Prior Portarum Cartusiensis Ordinis et divina gratia Diensis episcopus, transiens ab hoc sæculo migravit ad Dominum, cujus vitam pretiosam atque sanctam constat fuisse miraculorum testimonio declaratam, quæ divina Clementia in honorem sanctæ et individuæ Trinitatis et gloriosissimæ Mariæ Virginis ac totius cœlestis curiæ per eum dignata est operari, quorum principuum post ejus vitæ transitum, Deo annuente, disserimus. »

V. sup. ad an. 1208.

Jo. Columbi in Ep. Diens.

Sequebantur in eadem epistola miracula (de quibus egimus anno mortis illius) quibus et alia viginti sex iidem præsules attexuere, quæ omnia Johannes Columbi recenset. Deinde eorum veritati tale testimonium ab iisdem Prælatis datur ad Summum Pontificem.

EPISCOPI ET CANONICI DIENSES MIRACULORUM VERITATEM CONFIRMANT.

III. « Sunt et alia plurima miracula quibus apud fideles suos divina Clementia dictum mirificavit Episcopum, et eumdem adhuc mirificare non desinit, servi sui merita signorum evidentia multipliciter commendando. Illud Sanctitatem vestram, Pater sanctissime, latere nolumus quod Bertrandus Diensis episcopus et Diensis Ecclesiæ Canonici nobis in verbo veritatis et animarum suarum periculo, tam super præstito sacramento quo iis laborantes se asseruerunt dicti Episcopi meritis diversa fuisse remedia consecutos, quam (super) aliis quæ sunt superius recensita, protestati sunt prædicta omnia, ut dicta sunt superius, se habere. Nos vero dictis ipsorum et famæ publicæ fidem plenariam adhibentes, præsentem char-

ANNUS 1231

tam nostrorum roboravimus præsentia sigillorum, rogantes et a Sanctitate vestra, Pater sanctissime, postulantes humillime, ut præsenti consilium negotio et auxilium curetis apponere salutare, ne pretiosa Domini margarita in Ecclesia Dei lateat tamquam ignobilis et ignota, et ne tanti lucerna luminis abscondatur sub modio; sed potius gregem Dominicum in viam vitæ dirigat et ad hæreditatis perducat præmium sempiternum. Datum Viennæ, III Nonas Maii, anno Domini MCCXXXI. J. Viennensis archiepiscopus, G. Valentinensis episcopus, B. Diensis, G. Gratianopolitanus, B. Vivariensis,... Gebennensis, A. Mauritanensis. » Horum Episcoporum nomina sic restituenda sunt : J. id est Joannes Viennæ. G. id est Guillelmus Valentiæ. B. Bertrandus Diæ. G. sive potius S. (nam uterque character maximam habent inter se similitudinem) id est Soffredus qui tunc sedebat Gratianopoli; nisi quis mallet pro littera G. accipiendum esse Goffredum qui idem est ac Soffredus. B. id est Bernardus Vivarii. A. id est Aymarus Maurianæ. Episcopus vero Genevensis vocabatur Aymo. Porro hanc epistolam hoc præsenti anno scriptam fuisse, non vero anno 1261 ut in quodam codice notatur, recte probat Joannes Colombi et confirmatur ex mandato Pontificio, quo Gregorius IX jubet archiepiscopo Viennensi et aliis a se nominatis quæsitoribus, ut de miraculorum veritate percontarentur; de quibus agemus fusius anno 1233.

FUNDANTUR CILICIA IN DOMO MONTIS DEI.

IV. Hoc etiam anno vir quidam nobilis, Gobertus nomine, dominus de Asperomonte, cum Juliana uxore sua, volens particeps fieri bonorum omnium quæ fiebant in cartusia Montis Dei, nova pietatis ac liberalitatis ratione, reditus pro ciliciis ad usum Monachorum comparandis concesserunt. Litteræ concessionis sunt hujusmodi :

« Ego Gobertus et Juliana, domini Asperimontis, notum facimus omnibus præsentes litteras inspecturis, quod de assensu et laude omnium hæredum nostrorum, Fratribus de Monte Dei quadraginta solidos fortium ad emenda cilicia, in hoc quod habemus in foro Duni accipiendos et in festo beati Remi-

gii in capite Octobris persolvendos, in perpetuum in eleemosynam contulimus. In cujus rei testimonium præsentes litteras munimine sigillorum fecimus roborari. Actum anno Domini 1231, mense Junio. » ANNUS 1231

Quidam Nostrum arbitratur hunc Gobertum eumdem esse de quo agit Molanus, qui, contempta nobilitate, apud Villarium in Brabantia Ordinis Cisterciensis professus est monasticam Religionem, ubi et obiit anno 1263. At si verum est quod Miræus in *Fastis Belgicis* scribit, nempe beatum hunc virum fratrem habuisse Joannem Virdunensem episcopum, ille noster benefactor alius erit ab eo : nam præfatus Episcopus juxta Sammarthanos patrem habuit Gofredum de Asperomonte; noster vero Gobertus filius alterius Goberti fuit, ut in *Statu Nobilitatis Cameracensis* autore Joanne Carpentier legitur, qui forsan hallucinatur circa ejus patrem sicut circa ejus uxorem quam Joannam appellat, licet Julianam in supradictis litteris dictam vidimus.

Ex mss. dom. Montis Dei.

Molan. 20 August.

JESU CHRISTI

ANNUS 1232.

Gregorii PP. IX	Ordin. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 149.	Ann. 53.

REDDITI GAUDENT PRIVILEGIIS ORDINIS.

Extat inter privil. Ordin. num. 65.

I. ANNO Christi trigesimo secundo supra millesimum ducentesimum, Indictione quinta, Gregorius Pontifex maximus has in gratiam nostri Ordinis litteras scripsit, quibus concedit quod Oblati nostri sive Redditi Laici (quos septem numero cuilibet Domui ad agriculturam exercendam habere licebat) iisdem gaudeant libertatibus et immunitatibus, quibus gaudent cæteri Fratres Ordinis, sive Monachi sive Conversi. Id enim religioni et honestati convenire judicavit Summus Pontifex, quia hujusmodi Fratres Redditi, « relicto seculo, continentiæ voto astricti, promissa loci stabilitate sub obedientia sine proprio vivere tenebantur. » Data est bulla Reate, III Nonas Februarii, Pontificatus Gregorii noni anno quinto. Qui Papa paulo ante litteras alias scripserat in gratiam cartusiæ Trisultanæ a Sede Apostolica constructæ, quibus indulget Monachis ejusdem Domus, ut in qualibet terra patrimonii B. Petri victualia et alia necessaria, nonobstante locorum aliquo interdicto, emere vel permutare seu dono recipere ac deferre quo voluerint, sine « plateatico vel pedagio » libere valeant.

Gregorii P. beneficia erga Trisult. Cart.

ITEM ERGA MAJOREM CARTUSIAM.

II. Cumque Henricus III, rex Angliæ, eleemosynam quinquaginta marcarum argenti ab Henrico II Majori Cartusiæ concessam et ab illius successoribus confirmatam erogare cessasset, nec Nostrorum precibus ullatenus acquiesceret; eum Gregorius ad continuandam eamdem largitionem cohortatur,

scripta propterea ad Winthoniensem et Bathoniensem Episcopos sequenti bulla. « Gregorius, etc. Venerabilibus fratribus Winthoniensi et Bathoniensi Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Operante mira gratia Creatoris, procedit de prudentia devotorum inde sibi Deum obligatum efficere, unde ipsos probat esse justitia debitores. Evidens quippe est et nullius ambigui susceptivum, quia quod sumus et possumus de thesauris cælestibus obtinemus. Sed ecce cum intuitu omnium Conditoris aliquid de suo pauperibus erogamus, ejus immensa pietas bonorum munifica muneratrix, illud nobis quasi solis processisset a nobis, in bonis temporalibus et æternis cum adjectione multiplici recompensat. Id enim attente perpendens inclytæ memoriæ Henricus rex Angliæ, dilectis filiis Priori et Fratribus Domus Cartusiensis (qui se relinquentes et sua, secuti sunt Dominum æternæ patriæ delicias percepturi) quinquaginta marcas argenti de sua Camera in eleemosynam liberaliter contulit annis singulis in perpetuum exolvendas ; spe sibi proposita qua pro refectione esurientium animarum a cœlorum Rege qui forma suscepta pauperis se honorari docuit in minimis et egenis, ipsum honorantibus magnam suæ dulcedinis multitudinem redditurus, mereretur cum supernis principibus collocari. Verum quia per hujusmodi opera pietatis, quæ ipse dum vixit et ejus hæredes fuerunt laudabiliter prosecuti, et carissimo filio nostro in Christo illustri Regi Angliæ ac aliis exemplum virtutis præstitit et salutis, ab ipso tanto libentius exercendum, quanto consimili potentia Celsitudo cœlestis eumdem sibi constituit successorem ; Serenitatem regiam rogandam duximus attentius et hortandam, ut pro divina et nostra reverentia prædictam pecuniæ quantitatem, quam in annua solutione se difficilem videtur reddidisse, propterquod dicti Fratres gravamen non modicum patiuntur, ipsis annis singulis liberaliter solvere non obmittat. Regem rectorem pauperum se procurans intellige, cui divina Majestas regali dedit titulo decorari, preces nostras taliter admissurus, quod suis cum opportunum fuerit et nos etiam annuamus. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica

ANNUS 1232

ANNUS 1232

scripta mandamus, quatinus præfatum Regem ad id monere prudenter et inducere procuretis. Datum Anagn. 4 Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno sexto. »

V. infra ad an. 1235.

Hactenus bulla Gregorii cujus archetypum apud Cartusiam reperimus : unde conjicimus eam a Nostris ad præfatos Episcopos missam non fuisse, ut Regis animum patientia potius quam autoritate sibi devincerent, quod eis feliciter successisse videbimus.

FULCO DE RUPE FIT CONVERSUS.

III. Hoc anno, Fulco de Rupe, miles, seipsum Ordini Cartusiensi dicavit. « Ego, inquit, notum facio universis quod ego dono meipsum Ordini Cartusiensi et specialiter Domui Portus B. Mariæ ejusdem Ordinis. Dono etiam mecum eidem Ordini quatuor sextarios siliginis in domo mea de Rocha, etc. Datum anno 1232, pridie Idus Martii. » Fuit postea Conversus ejusdem Domus in qua pie obiit 13 Calend. Maii, anno incerto.

ANNA PRIORISSA BERTAUDI OBIIT.

IV. Hoc pariter anno ad Sponsum migravit Soror Anna, Priorissa Monialium Bertaudi ubi sanctitate refulsit. Spiritu etiam prophetiæ et miraculorum gloria coruscans, ac consummatæ erga Deum et proximum charitatis. Ita ex Historia Molini et cartulario Durbonis.

GUILLELMUS PRIOR GLANDERII.

Codex ms. Cart. Gland.

Calendar. ms. ejusdem Cartus.

V. Circa hæc tempora Cartusiam Glanderii regebat Guillelmus de Insula, qui in antiquo ejusdem Domus codice dicitur Cartusiensium professionem amplexus relicta abbatia Sancti Pontii in Provincia, Ordinis sancti Benedicti, quam per aliquot annos sapienter moderatus fuerat. Vitæ cursum feliciter in eadem cartusia absolvit die 15 Martii, incerto anno.

JESU CHRISTI

ANNUS 1233.

Gregorii PP. IX	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 150.	Ann. 54.

I. CHRISTI Redemptoris anno millesimo ducentesimo trigesimo tertio, Indictione sexta, Jancelinus Magnæ Prior Cartusiæ, post diuturnos hujus ærumnosæ vitæ labores tandem in senectute sancta deficiens, perpetua fruiturus quiete cœlestes adivit sedes, duodecimo Calend. Novembris; ut constat ex duobus calendariis Domorum Ordinis eodem tempore conscriptis quæ vidimus : quibus addi etiam potest calendarium Domus Majorævi, in quo tamen dicitur ejusdem obitus signari ad undecimum Calendas ejusdem mensis. Sicut et in quodam Psalterio ejusdem Domus, ubi antiqua manu quæ videtur esse ejusdem temporis, hæc leguntur : « Anno Domini MCCXXXIII, die sancti Lucæ, XVIII Octobris, ego feci professionem in Cartusia in præsentia magni Dompni, Dompni Jancelini Prioris, qui die XXII sequenti ejusdem mensis Octobris mortuus est. Pro quo quamdiu vita vivam orabo Deum pro gratiis ab eo mihi datis, et ut semper hujus sim memor voti, hic me manu mea subscripsi, die omnium Angelorum, anno Domini MCCXXXIIII. Frater Nicolaus Procurator hujus domus Majorævi. » Hæc ibi. Hinc corrigendi sunt qui Canisii Martyrologium secuti, ponunt 4 Calendas Martii.

JANCELINUS PRIOR CARTUS. MORITUR.

Sed gravius allucinatur quidam duos ex uno Jancelinos faciens. Hic, primo suo Jancelino 40 annos attribuit, nimirum ab anno 1177 usque ad annum 1228; alteri vero 16 annos,

An fuerint duo Jancelini.

ANNUS 1233

nempe a dicto anno 1218 ad annum 1234. Et quia in veteri Chronico ms. Cartusiæ legit Jancelinum Cartusiam rexisse LX annis, ait numerum X (qui ita præponi debuit : XL) errore fuisse postpositum et sexaginta annos signasse, cum 40 tantum signare debuisset. Verum Molinus noster unicum fuisse merito contendit et pluribus probat, quem nos sequimur; nec temere quidem, cum ejus opinionem certa possimus fulcire autoritate ex cartulario Cartusiæ desumpta. Ibi enim extant litteræ datæ anno 1228, quibus Soffredus episcopus Gratianopolitanus recipit testium depositiones super antiqua possessione de Bovinant per Domum Cartusiæ. Et inter testes, « Joscelinus Prior Cartusiæ, interrogatus dixit quod per quinquaginta annos non audivit quod aliquis super hoc moverit quæstionem. » Præterea vult Molinus eum non sexaginta annis rexisse, sed tantum 58; immo ex nostra supputatione satis justa, apparet eum præfuisse annis tantum 54 : nec nobis contrarium est Chronicon, cujus autor non absolute loquitur sed titubans ait : circiter 60 annos rexisse; sicut et dixerat eum ad regimen fuisse assumptum circa an. 1175; quod probavimus non potuisse ante annum 1180 accidere.

JANCELINI ELOGIUM.

Dorl. lib. 4. cap. 15.

II. Hoc igitur anno, die 21 aut 22 Octobris, obiit noster Jancelinus, quem « tantæ sanctitatis et meriti, tantæque virtutis et exempli extitisse, ait autor Chronici, ut unus fere de antiquis sanctis Patribus esse videretur. Tanta sub eo in Fratribus sanctitudo florebat, ut Deus quoque fideli custodia et hos et horum omnium substantiam vallaret per circuitum, vindex nimirum pravorum operum, ultorem se objectans acerbissimum. Unde cum illustris quidam et magni nominis Princeps ausus est Fratribus Cartusiensibus aliquid præripere violenter et possidere, eum Deus percussit ejusque conjugem punivit in conceptu et partu sobolis suæ. Omni namque tempore quo mulier parere debuit, non humanam effigiem, sed prodigiosum quoddam monstrum fundebat in lucem. Istud dum jam certis vicibus contigisset, illa intelligens se ob sua scelera flagellari, rapinam restituit, et obtenta Sanctorum prece, filios deinceps generavit incolumes. » Idem

paucioribus verbis narrat Calkar : « Quidam tyrannus, inquit, gravans eos, sæpe recepit monstra pro prole; quousque edoctus a bono viro hoc esse ex illo gravamine, refudit ablata et prolem recepit naturalem; postea semper defendens Ordinem. » ANNUS 1233

Uno quoque dierum, quidam latrones (rem refert citatus Dorlandus) impetu facto, armenta et oves omnes quæ tunc pascebantur in campis, violenter coram se minantes tentabant abducere. Cumque non longius abiissent, occurrit illis frater Conversus illius Domus, et agnoscens esse sua animalia, precatur obnixe ne rem tam sacrilegam attentare præsumant. At illi surda aure transeunt irridentes. Et ecce terribiles quædam antea nunquam visæ bestiæ, repente irruunt e nemoribus minaces, truces, formidabiles; quæ, intactis ovibus, latrones ocyus invadunt ac prædam cogunt relinquere, quos etiam membratim discerpsisse vult Dorlandus. Quo facto, sese ad nemus recipiunt. Eoque manifesto exemplo ostendit Deus verum esse quod ante per os Prophetæ pollicetur : Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Zach. 2. 8.

III. Præter Collectionem a nostro Jancelino factam et in Comitiis Ordinis approbatam, ut diximus anno 1222, extat ad calcem ejusdem Collectionis velut quædam farrago Ordinationum in sequentibus Capitulis generalibus editarum, sub tali inscriptione : « Ista quæ sequuntur a postea a singulis Capitulis digesta et collecta, nihilominus observanda et tenenda esse jubentur. » Continetque quinque capitula, sed sine ullo rerum ordine aut delectu. QUÆDAM ORDINATIONES SUB EJUS REGIMINE EDITÆ.

In primo capitulo hæc præcipuæ leguntur :

1. « Carnes mortuæ nunquam vendantur in Ordine.

2. « Monachi quicumque extra terminos exierint absque licentia Prioris Cartusiæ, de Ordine expellentur.

3. « Confessiones venientium ad nos recipere possumus, et debemus eis dare consilium secundum qualitatem culparum suarum, persuadentes eis ut eant ad Prælatum suum videlicet, aut ad Episcopum si expedire videbitur, vel ad suum simplicem capellanum. »

Ex secundo capitulo notabiliores sunt quæ sequuntur :

ANNUS 1233

4. « Si lepram Novitius ante professionem incurrerit, professionem non faciet; tamen si in Domo manere voluerit habebitur pro professo et ei providebitur ut professo.

5. « Nulla Domus scribere præsumat eos qui de Ordine nostro non sunt in martyrologio Fratrum, et si aliqui usque hodie scripti fuerint, alibi scribantur. »

Ab eo igitur tempore omnes Domus martyrologium speciale conscripserunt, ubi benefactorum et amicorum obitus recensebantur, prout ex multis exemplis possemus probare.

Ex tertio capitulo :

6. « Pro Archiepiscopis et Episcopis in quorum diœcesi sumus, plenum Officium in ecclesia celebramus.

7. « Pro tricenario extraneorum, illi qui Missas non cantant dicant psalterium unum; et laici centum quinquaginta orationes dominicas. »

Ex quarto capitulo :

8. « Moneantur pastores Ordinis nostri, videlicet mercenarii, ut reddant decimam de animalibus suis illis quibus debentur. •

9. « Si plures infirmentur Monachi sive Conversi, simul possunt in una domo collocari ut eis possit commodius ministrari.

10. « De cætero si Priores ad Capitulum tempore constituto non convenerint, si canonicam rationem absentationis suæ ostendere non potuerint, partem suam de eleemosynis illius Capituli amittent et extra sedem suam erunt per annum. »

Ad intelligentiam hujus Ordinationis sciendum est his temporibus, et diu postea, Principes et alios Nobiles solitos fuisse pecunias vel alia bona mobilia ad Capitulum generale mittere, tuncque omnia oblata et concessa singulis Prioribus Capitulo generali præsentibus distribuebantur. Cujus moris varia habemus exempla in Chartis.

Quintum capitulum quod inscribitur « de Redditis et forma habitus et modo vivendi ipsorum, » valde prolixum est; continetque multa alia ad Redditos non spectantia, inter quæ hæc sunt observatione digna :

11. « In die Nativitatis Dominicæ quando incipietur Invitatorium *Christus natus est nobis*, sumemus amodo veniam. » ANNUS 1233

Hinc patet omnes hujusmodi venias non fuisse tempore Guigonis institutas, sicut etiam videbimus annis sequentibus.

12. « Dominicis et festis diebus, præsente defuncto, prius Missa dicatur pro defuncto, si commode fieri poterit. » Cautum enim erat Consuetudinibus Guigonis, ut « in nullo duodecim festo lectionum defunctorum Officium fieret, nisi forte defunctus præsens fuisset. » Nullus enim defunctus sepeliebatur, « nisi post Missam pro eo cantatam. » Sed successu temporis, propter multa incommoda circa divinum Officium accidentia, licitum fuit eos sepelire post Vesperas vel etiam ante Missam, ut sancitum fuit per quamdam Chartam his verbis : « Concedimus omnibus Præsidentibus Domorum Ordinis licentiam dispensandi de Statuto, ubi dicitur quod cadaver defuncti non nisi post Missam pro eo cantatam sepeliatur ; ut possint sepeliri citius si de reservatione cadaverum in ecclesia crederent periculum imminere. »

Consuetud. Guig. cap. 11 et 13.

Ex ch. 1422.

13. « Fratres Minores clerici in choro nostro et refectorio possunt recipi, et laici cum laicis.

14. « Privatum Capitulum, si tanta fuerit necessitas, super annum poterit dare licentiam scribendi Domino Papæ.

15. « De cætero dicitur in Confessione ter *mea culpa, cogitatione, locutione, opere et omissione.* » Etsi nostra confessio multum differat a Confessione qua hodie utuntur aliæ Ecclesiæ, non est tamen nostræ inventionis, ut alibi ostendimus.

16. « Non fuit consuetudo Ordinis nostri quod Priores ad Curiam mittantur pro negotiis alienis, et adhuc contradicunt Priores ne unquam fiat. »

Hactenus ex Ordinationibus sub finem regiminis nostri Jancelini editis.

IV. « Porro Jancelino, optimo Patri, successit vir magnæ sanctitatis et meriti (sunt verba Chronici) D. Martinus, Monachus Cartusiæ ac scientiæ singularis. Siquidem cum in tempore suo Ordo multum accrevisset, nulla tamen persona in toto Ordine ei consimilis putabatur. Nam, incrementum Deo

MARTINUS JANCELINO SUCCEDIT.

ANNUS 1233

dante, tanta exemplis suis in Ordine virtutum semina plantavit et rigavit, quod posteris sequentibus se in memoriam laudabilem dimisit. » Hactenus ex Chronico Cartusiæ. Jam olim Martinus Domum Portarum sapientissime gubernaverat; quod hactenus ignotum, sed constat ex quibusdam litteris testimonialibus quas ipse jam Prior Cartusiæ in favorem dictæ Domus Portarum scripsit sub sequenti tenore:

« Ego Martinus dictus Prior Cartusiæ, notum facio universis præsentem cartulam inspecturis, quod cum Domus Portarum territorium de Gerveil a Willelmo Ferraguto et a fratribus suis acquisivit, revera non interfui apud Gerveil quando eadem acquisitio pertractata est et continuata; verumtamen indubitanter et credo et certus sum quod eamdem acquisitionem, sicut in Instrumento inde confecto continetur, tunc laudaverunt vel antea laudaverant, interposito juramento, omnes filii ejusdem Guillelmi Ferraguti, excepto Aymone monacho qui postea similiter eam laudavit. Ego enim præsens interfui, cum post prædictam acquisitionem recenter factam beatæ memoriæ Dominus meus Stephanus, qui tunc erat Prior Portarum et dictam acquisitionem fecerat, prædictum Instrumentum cum magna diligentia proprio ore dictavit. De quo nemo qui eum novit crederet quod ipse ullo modo aliquid mendacii apponeret aut falsitatis, aut faceret sigillari. Propterea cum post eumdem Stephanum Dominum meum, ego quindecim annis et eo amplius ejusdem Domus Portarum Prior extiterim, et Lambertus prædicti Willelmi Ferraguti filius multoties me viderit, nec in vita patris sui nec post mortem super dicto territorio de Gerveil aliquam mihi moverit quæstionem : propterea procul dubio mihi videtur quod dictus Lambertus, injuste et cum maximo peccato Domum Portarum inquietat, et super prædicto territorio de Gerveil injustam calumniam eidem movet. Immo etiam scio quod eadem Domus Portarum non immerito eumdem Lambertum possit in causam trahere pro patre suo, quod cum juramento teneretur eidem Domui pacem facere de sorore sua et de Guichardo Moschet nepote suo, et de omnibus

Nostri possunt sibi injuriosos in jus trahere.

illis de genere suo qui adversus eamdem Domum super prædicto territorio quæstionem moverent, nullatenus hoc ipse fecerit. Sed eadem Domus, et a dicta sorore ejusdem Willelmi, et nepote ejus prædicto Guichardo Moschet, et multis aliis querelatoribus de genere supra dicti Willelmi, ipsa sibi pacem cum multis laboribus et expensis propriis impetravit. » ANNUS 1233

Supradictæ litteræ sine die et anno erant, sed in margine, diverso tamen ab eo quo litteræ compositæ erant charactere, signabatur annus 1236.

In tabulario ejusdem Domus Portarum noster Martinus ibidem præfuisse reperitur ab anno 1216 ad annum 1229, quo videtur absolutus et ad Majorem Cartusiam revocatus ut Jancelino, longa ætate fracto, in arduis Ordinis negotiis opem ferret.

V. Paulo post Martini electionem, Andreas delphinus, quem vidimus an. 1228 duos fundasse Monachos in Domo Cartusiæ, iterum aliquot reditus largitus est persolvendos a Canonicis sancti Andreæ, quorum ecclesiam ipse eodem tempore construxerat et dotaverat, ut ipsemet testatur in suo diplomate ubi inter cætera sic ille et Canonici præfati loquuntur : ANDREAS DELPHINUS DUOS MONACHOS FUNDAT APUD CARTUSIAM.

« Ego Andreas delphinus, comes Albonensis et Viennensis, considerans in qua sterili et arida eremo Fratres Cartusiæ demorentur, eorum necessitatibus compatiendo, volui eis de meis bonis temporalibus misericorditer providere, ut a Domino misericordiam, eorum intercessionibus, valeam impetrare. Igitur cum dictis Fratribus in reditibus perpetuis assignassem unde duo Monachi possent honeste sustentari, etc..., cum procedente tempore, Domino inspirante, ad honorem ipsius Domini a quo bona cuncta procedunt, nomine S. Andreæ ecclesiam Gratianopoli construerem et honorifice dotare intenderem, placuit mihi ut dictos reditus et obventiones donarem prædictæ ecclesiæ S. Andreæ, quæ perpetuo possideret et haberet. Et dicta ecclesia S. Andreæ in recompensatione dictorum redituum, etc... summam librarum, etc... Fratribus Cartusiensibus singulis annis reddere perpetuo teneatur. Nos vero Præpositus et Canonici dictæ ecclesiæ S. An-

ANNUS 1233

dreæ juravimus nos bona fide observaturos, et cum continget in ecclesia nostra novos creari Canonicos, in juramento fidelitatis, quod de more facient, exprimant nominatim ad dictam eleemosynam solvendam se teneri. Quandocumque etiam Procurator vel Procuratores in eadem ecclesia sancti Andreæ instituentur, jurabunt quod præfatam eleemosynam Fratribus Cartusiensibus reddent fideliter et persolvent tempore constituto, etc. Actum anno gratiæ MCCXXXIII, sedente in Urbe Gregorio Papa nono, et regnante Frederico; apud Gratianopolim in Capitulo generali S. Andreæ, crastina die festivitatis ejusdem. »

Priores Cartusiens. electi ad reformandum Ordinem Grandimont.

Hoc anno vel præcedente Bernardus de Turre, qui præfato Martino in prioratu Portarum successerat, et Prior cartusiæ Ligeti cum aliis ex Ordine Cisterciensi a Gregorio Summo Pontifice electi sunt, qui collapsam in Ordine Grandimontensi, Prioris Generalis negligentia, disciplinam restituerent. Rem narrat Joannes Levesque, Prior Villamedianus ejusdem Ordinis, in *Annalibus Grandimontensibus in Epitomen redactis,* Trecis anno 1162 editis, Centuria secunda, ad annum 1238; his verbis :

Priores Portarum et Ligeti intersunt Capit. gener. Grandimont.

« Tempore D. Eliæ Arnaldi, Prioris decimi, ordinatum fuit a Gregorio Papa, ut duo de Cartusiensi et duo de Cisterciensi Ordinibus, semel in anno usque ad triennium in Capitulo generali Grandimontis, corrigerent et reformarent quidquid in ipso Ordine cognoscerent reformandum. Qua autoritate innixi Abbates Dolensis, Ursicampi et Belencuriæ Cistercienses, et Priores Portarum et Ligeti Cartusienses, venerunt ad Grandimontem, ac Eliam Priorem ab objectis in eum criminibus primo absolverunt; sed eum postea negligentem asserentes multipliciter punierunt (inquit liber Andegavensis),

Statuta ejusdem Ord. componunt.

siquidem statuerunt ut Subpriorem in spiritualibus crearet in suo monasterio, nec Correctores et Curiosos ad arbitrium suum posset mutare. Sed multum astutus Prior Elias, oblato Papæ supplici libello, hæc Statuta tamquam Regulæ et privilegiis Sedis Apostolicæ contraria irritari curavit, bulla data hoc eodem anno sub tali forma : « Gregorius, etc. Dilectis filiis

Priori et conventui Grandimont. Sal. et Ap. Bened. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum olim dilecto filio Abbati Dolensi ejusque collegis visitationem et correctionem Ordinis Grandimontensis tam in capite quam in membris duxerimus committendam, iidem Visitatores ad Grandimontense cœnobium accedentes, cum nihil contra personam tuam, fili Prior, super denunciatis de te criminibus probaretur, inito virorum prudentium consilio, ab objectis te sententialiter absolverunt; teque postmodum negligentem asserentes, quædam edidere Statuta quibus non tamquam remissus, sed effrenis potius fuisses inventus, potestatem tuam nisi sunt multipliciter coarctare; Regulæ ejusdem Ordinis et concesso tibi ab Apostolica Sede privilegio, quibus felicis recordationis Honorius Papa prædecessor noster nihil decrevit addi posse vel minui, derogantes. Cum enim tibi, vel alii qui pro tempore fuerit in cœnobio, Grandimontis Priori, plenam tam in eodem cœnobio quam in singulis Cellis ipsius Ordinis in spiritualibus et temporalibus potestatem dictorum Regulæ et privilegii tenor indulgeat, præcipiens ut omnes Clerici et Conversi tam capitis quam membrorum, quibus eundi et veniendi tuo imperio est astricta facultas, tibi obediant absolute; juxta tuum imperium a monasterio egressuri ad Cellas et a Cellis in monasterium cum volueris regressuri. Visitatores prædicti memorata Regulam et privilegia enervantes et molientes ea corrigere vel potius corrumpere, statuerunt ut a te, cui dicta Regula a clausura Grandimontis omnem, præterquam cum inevitabilis necessitas contrarium persuaderet, interdicit egressum, Subprior de novo in eodem cœnobio crearetur qui te absente vice tua faceret in conventu regulares observantias custodiri, per quod et tibi a prædicta clausura facultatem cum volueris egredi liberam concessisse videntur, et plenam tibi potestatem spiritualium subtraxisse, eo quod Subprior esset inutilis qui nullum, te præsente, Officii sui exercitium obtineret. Decreverunt etiam Visitatores prædicti Ordinis Grandimont. Correctores et Curiosos tam Clericos quam Conversos nequaquam a suis administrationibus

ANNUS 1233

Quæ a Papa irritantur.

Ex Bullar. ms. Ord. Grandim. part. 2.

ANNUS 1233

sine causa rationabili amoveri; in quo forsitan si velles administratores, utilitate Domus exigente, mutare, eis tuæ permittitur resistere voluntati, et eorum officium perpetuari dignoscitur, et tibi libera administratio prohibetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut institutiones istas revocare seu irritare potius deberemus, quæ dictorum privilegii et Regulæ vires elidunt, et approbatas consuetudines Grandimontis enervant. Vestris igitur precibus annuentes, cum prædictorum Regulæ et privilegii tenore diligenter inspecto ipsis constitutiones prædictas esse contrarias constiterit evidenter, nos eas præcipimus non observari. Illud autem quod inter cætera, quæ similiter non teneri præcipimus, decreverunt ut Statuta generalis Capituli a te sine ejusdem Capituli præsentia non mutentur, sub eadem forma volumus observari : videlicet ut ea quæ Grandimontis Capitulum sine præfinitione temporis vel usque ad tempus futuri Capituli duxerit statuenda, sine ipsius Capituli præsentia nullatenus revocentur. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, Calend. Decembris, Pontificatus nostri anno 7. »

Ad preces Prioris Generalis.

Hanc bullam ex Bullario ms. Ordinis Grandimontensis erutam et hactenus, quod sciam, ineditam, ideo hic inserimus. « Porro Elias Prior cœpit paulo post (pergit Villamedianus) ob concessam sibi autoritatem, adeo superbire ut et reluctantes sibi subditos, et insultantes sibi extraneos videret. Delegati itaque contra ipsum a Gregorio Nono judices, videlicet Joannes de Melduno septuagesimus Pictaviensium episcopus, frater Petrus Prior Prædicatorum Parisiensium, et Joannes archidiaconus Castri Liddi * Cœnomanensis diœcesis; qui ad instantiam quorumdam de Fratribus Grandimont. Ordinis eumdem Eliam deposuerunt, probatis prius objectis criminibus, sententia data apud Turonas in Abbatia S. Juliani anno 1238 : ac postmodum ibidem, die sabbati post festum S. Matthæi apostoli, scripserunt intimationem sententiæ cum præcepto eligendi alium Priorem. Sed dictus Elias ad Sedem Apostolicam appellavit, et præfatos Episcopum Pictaviensem et alios Delegatos cum ducentis fere clericis Grandimontis in

Qui superbior inde efficitur.

Novi contra eum delegati judices.

* Château du Loir.

A quibus deponitur.

A b eis Sedem Apost. appellat.

ANNUS
1233

quadam domo die amotionis suæ violenter fecit includi, et inclusos per diei spatium detineri. » Hactenus Prior Villamedianus. Duos vero ex nostro Ordine Priores, videlicet Cartusiarum Ligeti et de Glanderiis, inter hujusmodi delegatos reformatores fuisse habent manuscripti Annales ejusdem Ordinis, in quibus ad annum 1237 res sic gesta describitur :

Eosdem et duos Cartusienses carceri mancipat.

« Sedente in supremi Pontificatus apice D. Gregorio, hujus nominis nono, ad sedandas Ordinis Grandimontensis tempestates exortas sub D. Elia Arnault, Priore Generali decimo Ordinis Grandimontensis, nominatus fuit illustrissimus D. Joannes de Melduno episcopus Pictaviensis, et ipsi Domino Præsuli dati sunt assessores Abbas de Mazeriis et Abbas de Saviniaco * Ordinis Cisterciensis, et Domnus Prior de Glanderiis Ordinis Cartusiensis ; quos omnes ille Prior Grandimontensis incarceravit et simul ducentos Fratres Clericos, quos per unum diem jejunos detinuit. Et ille Frater Generalis Elias Romam petiit, post appellationem emissam super Visitatione dictorum quinque Commissariorum Apostolicorum. Et illi quinque Commissarii Apostolici indixerunt Capitulum generale celebrandum in Domo Correctoria de Vincennis prope Parisios ; in quo Capitulo inibi celebrato deposuerunt illum Fratrem Eliam Arnault, et ejus loco substituerunt Fratrem Joannem de Laigle cum titulo Generalis undecimi. Et cum hoc Patre Generali undecimo statuerunt viginti capita Constitutionum, ut fusius dicemus anno 1239. »

Annal. mss. Ord. Grandim. ex codice Cartus. Divion.

* *Quidam volunt legendum* Samnhyaco.

Ab eis iterum absolvitur.

VI. Nec solum Grandimontenses sed et Cluniacenses voluit Gregorius ex Cartusiensium pietate et bono exemplo aliquid haurire, ad collapsam in suo Ordine disciplinam restituendam. Quapropter præsenti anno ineunte, ad Abbatem Conventumque Cluniacensem data bulla statuit, ut ad deformatum Ordinem reformandum, imprimis generale Capitulum Abbatum et Priorum tam Conventualium quam Minorum Ordinis Cluniacensis, apud Cluniacum annis singulis celebretur; ubi sine personarum acceptione, secundum Deum et Beati Benedicti regulam et Cluniacensis instituta, delinquentium corrigantur excessus, et de salute animarum et de

TRES PRIORES CARTUSIENSES DEBENT ADESSE CAP. GEN. CLUNIACENS.

Bullarium Ord. Cluniac. pag. 110.

ANNUS 1233

conservatione Ordinis Cluniac. et domorum indemnitate tractetur. Et inter rationes, quas ad id securius celeriusque perficiendum ineundas censuit, hanc unam designat : « In eodem quoque Capitulo, cui tres Priores Cartusiensis Ordinis volumus interesse, vocandos a Cluniacensibus non ut aliquam jurisdictionem exerceant, sed ut ipsos instruant et dirigant et diligentiam ipsorum vel negligentiam rescribant Sedi Apostolicæ annuatim ; omnes causæ quæ inter personas Ordinis Cluniacensis emerserint et per Abbatem Cluniacensem non fuerint terminatæ, delatæ ad Capitulum per Diffinitores, prout fit in Cisterciensi Capitulo, terminentur, etc. » Data est bulla Anagniæ, Idibus Januarii, Pontificatus illius anno sexto. Hanc porro constitutionem quoad præsentiam trium Priorum Cartusiensium, per aliquot annos observatam fuisse conveniunt Cluniacenses ; id tamen temporibus Nicolai IV jam abrogatum fuisse conjicimus ex ejus bulla, qua multa Gregorii IX statuta renovantur, quibusdam temperatis vel amplificatis, nulla tamen facta Priorum Cartusiensium mentione.

Idem Bullar. pag. 152.

GREGORIUS INQUIRI JUBET DE MIRACULIS STEPHANI DIEN. EPISCOP.

Raynald. ad hunc an. n.63.

VII. Contendentibus, ut diximus anno 1231, ab Apostolica Sede Archiepiscopo Viennensi (non vero Arelatensi ut incaute scripsit Raynaudus) ac Suffraganeis, ut Stephano nostro olim Diensi episcopo, ad cujus tumulum crebra Deus pergebat edere miracula, Sanctorum honores cultumque decerneret ; Archiepiscopo Ebredunensi et Episcopo Vapincensi atque Valliscrescentis Abbati Cisterciensi partes imposuit Gregorius Pontifex max., ut summa adhibita diligentia, in ea miracula et prodigia quæ post illius mortem edita fuissent inquirerent, cum ad aliquem Sanctorum albo adjiciendum probitas et cœlestium prodigiorum veritas desiderentur. « Ex litteris, inquit, fratris nostri Archiepiscopi Viennen. et Suffraganeorum suorum nos noveritis accepisse, quod recolendæ memoriæ Stephanus Dien. episcopus, qui degens olim in mundo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cœlo tot dicitur miraculis coruscare ut ejus sanctitas apertis indiciis comprobetur, et ejus intra alios Sanctos non invocare suffragia sit indignum ; quare nobis per easdem litteras supplica-

runt, ut eum Sanctorum adscriberemus catalogo venerandum. Licet autem ad hoc, ut aliquis Sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante perseverantia sola sufficiat, juxta illud : Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ (quod evidenter illa Joseph talaris tunica figurabat) ; ad hoc tamen ut ipse Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante duo sunt necessaria : virtus morum et veritas signorum, merita videlicet et miracula, ut hæc et illa sibi invicem contestentur, etc. Datum Later., 14 Calend. Januarii. » ANNUS 1233

Quid autem posthac gestum sit, non reperitur ; constat tamen eum semper ut Sanctum cultum fuisse. Ad calcem martyrologii Usuardi ms. quod e Domo Portæ Montis, antequam ab hæreticis occuparetur, ad Cartusiam Majorem missum fuit, habetur catalogus Reliquiarum in ecclesia ejusdem Domus reconditarum, inter quas legitur : « de cuculla et caligis sancti Stephani Diensis episcopi, Ordinis sacri Cartusiensium. » Ejus festum olim etiam colebatur apud Nos, ut patet ex Ordinario, ubi recensetur inter festa duodecim lectionum.

VIII. Hodie per totam diœcesim Diensem cum apparatu colitur die 7 Septembris, ut sequenti syngrapho ante quinquaginta quinque annos testati sunt Canonici ejusdem Ecclesiæ : EJUS FESTUM CELEBRATUR PER DIENSEM DIŒCESIM.

« Nos sacrista et Canonici ecclesiæ cathedralis Beatæ Mariæ Diensis, attestamur Reverendis Patribus Ordinis Cartusianorum et omnibus quorum intererit, festum beati Stephani ejusdem Ordinis et olim dictæ ecclesiæ cathedralis episcopi celebrari die septima mensis Septembris in eadem ecclesia cathedrali et per totam diœcesim. In quorum fidem subscripsimus, præsentesque sigillo nostro muniri jussimus. Die tertia mensis Martii anno 1633. Cal. Mariel, Joannes Varnier, Janon. »

Quomodo vero, post trecentos et quadraginta novem a morte Stephani annos, corpus illius integrum repertum est, fusius dicemus anno 1557.

JESU CHRISTI

ANNUS 1234.

Gregorii PP. IX Ann. 8.	Ordin. Cartus. Ann. 152.	Martini Pr. Cart. Ann. 1.

GUILLELMUS MON. CARTUSIÆ LEGATUS IN SCLAVONIAM.

Raynald. ad hunc an. n.41.

I. ANNO Salvatoris trigesimo quarto supra millesimum ducentesimum, Indictione septima, Gregorius Papa ad delendam hæreticam luem quæ Sclavoniam infecerat, malaque ingentia quæ in iis regionibus excreverant extinguenda, Legatum Apostolicum religiosi Cartusiani Ordinis misit (sunt verba Raynaldi), eaque de re ad Carniolæ, Istriæ, Dalmatiæ, Bosniæ, Croatiæ, Serviæ et aliarum Provinciarum finitimarum Præsules litteras misit. Ille vero Legatus Cartusiensis non videtur alius quam Guillelmus Sabaudus, qui anno 1222 ex vicecancellario Honorii tertii ab eodem episcopus Mutinensis creatus, et sequentibus annis in septemtrionales plagas ad disseminandum Evangelium missus, tandem anno elapso Mutinensi munere abiverat. Hic, ut verissimile est, obtenta a Gregorio nono abdicatione sua, in Cartusiam se receperat; unde ab eodem Pontifice qui noverat quantum sub papatu Honorii apud Livones res catholicas promovisset, hoc præsenti anno ab eadem Cartusia avulsus est. Quod Cartusiensem vitam professus sit, certissime constat ex epistola quam ad Priorem Cartusiæ, factus Cardinalis, post annos decem scribet. Sed id fieri non potuit ante episcopatum, quandoquidem tum erat vicecancellarius; igitur post dimissas infulas et quidem anno præterito; ac forsan statim post suum in Cartusiam adventum professionem emisit, juxta Constitutiones Capituli generalis anno 1222

Ughel. in Ep. Mutinens.

Episcopi ad Nos se transferentes possunt statim professionem emittere.

editas, quibus declaratur « quasdam esse personas quæ non expectant annualem probationem, sed protinus ut venerint, si hoc postulent ad professionem admittuntur, Archiepiscopi scilicet et Episcopi. Si itaque habitum nostrum suscipere voluerint, erunt in cella; si noluerint, servietur eis in hospitio et sepelientur in nostro cœmeterio. » Adduntque Antiqua Statuta, quod « si Pontificalia retinuerint non facient officia minora sacerdotio; si non retinuerint, in eorum dispositione sit utrum minora officia exequantur. » De nostro Guillelmo adhuc dicemus postea. ANNUS 1234

II. Hoc etiam anno, vir nobilis Petrus de Couh habitum Conversi induens in Domo Allionis, quosdam reditus Majori Cartusiæ legavit quos sub finem anni pro aliis reditibus cum Humberto de Couh Nostri permutarunt, scriptis literis « in religiosa domo Cartusiæ in festo B. Nicolai, præsentibus Domino Martino ejusdem Domus Priore, atque Hugone Procuratore, Nantelmo et Gunterio ac Guillelmo ejusdem Domus Monachis; Guillelmo Pallo, Hugone caprarum magistro, Bernardo Giroldi, Johanne Scofferio, Raymundo Alamandi et Guillelmi de Ripis Conversis, et Guillermo Reddito. » Raymundum Alamandi et Guillermum de Ripis ex nobilibus eorumdem cognominum familiis ortos esse facile crederem. PETRUS DE COUH FIT CONVERSUS ALLIONIS.

III. Eodem tempore fundatur cartusia Monialium Beatæ Mariæ Pratimollis in Delphinatu et diœcesi Gratianopolitana, in montanis supra Vallem Navigii* ad duas leucas, totidemque ab oppidulo *Domayne* ad orientem posita; a Beatrice Montisferrati, Andreæ delphini Viennensis uxore, ut constanter asserunt nostræ Moniales, et mox patebit ex Instrumentis fundationis; non vero a Beatrice præfati Andreæ matre, ut plerique volunt, quæ diu ante præsentem annum obierat; nec etiam a Beatrice Petri Sabaudiæ filia, præfati Andreæ nuru (ut nuper typis mandavit quidam), quæ Guigoni delphino nondum nupserat et quæ postea fundatrix extitit Monialium Melani, ut suo dicemus loco. CARTUSIA MONIALIUM PRATI MOLLIS FUNDATUR.

* Vaunavais.

Molinus et Alfaura.

Beatrix igitur Montisferrati, vivente ac consentiente Andrea suo marito, hanc Domum fundavit in loco dicto « Pratum

ANNUS 1234 molle » quem ei concesserunt Willelmus Ulciensis ecclesiæ Præpositus et Alamandus Prior Sancti Joannis Vallis Navigii, scriptis sequentibus litteris :

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem MCCXXXIIII, V Idus Septembris, Gregorio nono Papa et Friderico Romano Imperatore existentibus. Cum domina Beatrix Viennensis et Albonensis comitissa vellet et proposuisset construere monasterium Sanctimonialium degentium sub regula sancti Ordinis Cartusiensis, nec haberet locum aptum secundum suam voluntatem ubi posset ipsum perficere; supplicavit instantissime cum summa humilitate et devotione R. Patribus Willelmo Ulciensis ecclesiæ Præposito et suo Conventui, atque Alamando Priori ecclesiæ Sancti Joannis Vallis Navigii et canonicis in eadem ecclesia residentibus, ut sibi concederent et donarent locum de Pratomolli, situm in montanis supra Vallem Navigium, cum universis ad eumdem locum pertinentibus, in quibus prædictum monasterium dictarum Sanctimonialium construeret atque fabricaret. Cujus petitioni atque supplicationi annuentes prædicti tam Præpositus,.... prædictum locum de Pratomolli concesserunt, etc. Acta sunt hæc apud Ulcium, præsentibus Canonicis quorum nomina sunt hæc : Petrus Prior.... Testes autem sunt Hugo Præpositus S. Andreæ Gratianop., Obertus domini Delphini Comitis marescallus, Boso de Arenis et alii. »

Paulo post factam hanc donationem, aptatis quibusdam ædificiis veteribus, locum nostræ Moniales incolere cœperunt, quibus et dotales litteras Beatrix concessit a marito confirmatas in hunc modum :

« In nomine Domini, etc. Anno ab Incarnatione ejusdem MCCXXXIV, tertio Calend. Februarii, etc. Ego Beatrix Viennæ et Albonii comitissa, dono, laudo et concedo Deo et Beatæ Mariæ de Pratomolli et Sanctimonialibus supradictis et successoribus earum, in perpetuum habenda, etc. Nos vero Andreas delphinus Viennensis et Albonensis comes, omnia supradicta singula et universa prout supra dictum est lauda-

mus, confirmamus. . . . . et promittimus ita libere ut tenemur in perpetuum ab omni homine deffendere, etc. » ANNUS 1234

Mortuo aliquot post annis Andrea, Guigo illius et Beatricis nostræ filius hæc omnia non solum confirmavit, sed fundationem ita auxit ut a quibusdam fundatoris nomine donatus sit. Moriens vero sepultus est in ecclesia hujus cartusiæ, e regione magni altaris. Ejus filia Anna delphina fundavit Domum Saletarum, ut dicemus infra.

Quorumdam hujus parthenii benefactorum obitus reperiuntur in Chartis capitularibus, quorum hæc sunt nomina : Dominus de Monte[a] de Charancone; Guigo[b] Baudeti, secretarius delphinalis et Joanna uxor ejus; Carolus[c] Alamandi, miles et Prorex Delphinatus; Anemundus[d] de Rua; Spectabilis vir Jacobus Janon[e].

[a] Ex ch. 1467.
[b] Ex ch. 1522.
[c] Ex ch. 1535.
[d] Ex ch. 1575.
[e] Ex ch. 1579.

CARTUSIA VALLIS SANCTI GEORGII INCHOATUR.

IV. Paulo post fundationem Pratimollensis Domus, cœpit altera pro viris, dicta cartusia Vallis Sancti Georgii, in regione Nivernensi et diœcesi Æduensi, una leuca ab Ulmo oppido et duabus a Corbiniaco ad orientem sita. Fundator ejus Hugo, dominus Ulmi, miles strenuus, monachos sibi mitti a Martino Majori Cartusiæ Priore petiit, scripta ad eum sequenti epistola :

Ex Archiv. ejusd. Dom.

« Viris venerabilibus et Religiosis Priori Cartusiæ et Conventui ejusdem loci, Hugo, dominus Ulmi, salutem in Domino. Noveritis nos dedisse et concessisse ad fundationem Domus quam proponimus fundare ad honorem Dei et B. Virginis Mariæ et vestri Ordinis, situm loci qui talis est, fertilis in segetibus et pascuis competentibus, nemorosus et sufficienter aquosus ; et stagnum et molendinum et alia ædificia competentia Monachis et Conversis cum expensis nostris propriis ibidem Deo dante faciemus; de bobus et nutrimentis animalium ibidem providendo. Damus etiam terras ad duas carrucatas boum, et plus si necesse fuerit ad consilium Prioris ejusdem loci. Assignabimus etiam dictæ Domui sex modios bladi. . . . . Damus etiam et concedimus dictæ Domui plenum usagium in aliis nemoribus nostris. . . . Et hæc omnia assignabimus infra terminos supradictos. Promittimus

ANNUS 1234

etiam quod si forsan successores nostri vel alii habitantes ejusdem loci, in rebus nominatis perturbarent vel aliqua ex his vellent subtrahere ita quod plenarie dictos redditus et possessiones pacifice non haberent, Episcopus Æduensis ipsos et totam terram ipsorum districto interdicto et excommunicationi subjiceret, usque ad satisfactionem condignam, ad requisitionem Domus sæpedictæ. Et si ad hoc non sufficeret ecclesiastica censura, dominus Comes Nivernensis, quicumque sit, ad satisfaciendum de omnibus perturbatores jam dictos compelleret per brachium sæculare, et super his pro posse nostro procurabimus quod dicti Episcopus et Comes litteras suas patentes tradent Domui supradictæ. Unde benignitatem vestram suppliciter exoramus, quatenus tales personas religiosas et discretas nobis quantocius transmittatis, quod Deo ad honorem, et honestati vestri Ordinis, et nobis et etiam toti patriæ cedat commodum et honorem; et ut magis ac magis nostrum desiderium in hac parte devotius in Domino accendatur, scientes certissime quod penuriam dictæ Domus nullatenus possemus sustinere. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, Dominica post nativitatem beati Joannis Baptistæ. »

Hactenus litteræ fundatoris ad Priorem Cartusiæ. Diploma vero fundationis dabimus anno sequenti.

GUIDO FULCODII POSTEA CLEMENS IV CARTUSIENSIUM ARBITER.

V. Cartusiensibus Vallisbonæ hoc anno cum quibusdam aliis suæ Domus vicinis monachis de jure pascendi disceptantibus, Guido Fulcodii, celeberrimus ille Jurisconsultus qui postea Summus Pontifex sub nomine Clementis IV effectus est, nostro Ordini amicissimus (quippe qui patrem suum nostri Instituti vota professum habuerat), ab utraque parte arbitrarius judex delectus, totam controversiam sic componit :

Ex Cartul. Cartus. Vallisbonæ.

« Anno MCCXXXIV, XVI Kal. Augusti, controversiæ vertebantur inter D. Guillelmum de Portu, Priorem S. Saturnini, nomine monasterii sui ex una parte ; et Domnum Matthæum, Priorem Domus Vallisbonæ, nomine ejusdem ex altera : super pascuis et defensis. . . ; super quibus quæstionibus supposuerunt se arbitrio Guidonis Fulcodii jurisperiti,

ANNUS 1234

cujus dictum seu dicta, mandatum vel mandata. . . . . . pars utraque promisit confirmationem facere sub poena X m. solidorum Raimund. . . . . Pro omnibus per Dom. Priorem S. Saturnini complendis et observandis, fuerunt fidejussores et pacatores Johannes de Cauppaleriis, Stephanus Ricanus, Raimundus de Podioleno, Laurentius de Portu, Stephanus Gras, qui omnes dicto Priori Vallisbonæ prædicta omnia promiserunt. Pro universis autem per Dom. Priorem Vallisbonæ servandis fuerunt fidejussores et pacatores Adalricus de Vennejano, Bernardus Ademarius, ... Qui omnes dicto Priori S. Saturnini prædicta omnia promiserunt. . . . . Ad hæc, ego Guido Fulcodius pacem perpetuam solidare cupiens inter partes, et Illum habens præ oculis qui autor pacis est et amator, implorata gratia sanctæ et individuæ Trinitatis, consideratis assertionibus et rationibus et defensionibus et instrumentis utriusque partis, prædictas controversias, ut nunc et in posterum, de bono et æquo, termino in hunc modum : Statuo imprimis et mando quod infra limites quos subjiciam Domnus Prior S. Saturnini per se vel per alium animalia propria vel aliena immittat vel immitti faciat. . . . Item statuo et mando quod pastores dictarum Domorum sine rixa et contentione ovilia seu alberga sua collocent. . . . Item mando et statuo quod utraque pars bona fide procuret, quod hæc per dominum Viennensem Archiepiscopum legatum Sedis Apostolicæ comprobentur. Acta hæc sunt in ecclesia B. M. de Carsano coram domino Donodeo decano, Guidone de Mota monacho S. Saturnini, Willelmo procuratore Vallisbonæ, Jacobo vicario, Domno Gaucelino, W. de Insula, monachis Vallisbonæ, omnia supradicta collaudantibus et confirmantibus testibus domino Bertrando de Blausaco, Pontio decanali presbitero, Bremundo de Borriano, Stephano de Caupeiras, etc. Et nos Joannes, Dei miseratione S. Viennen. Ecclesiæ vocatus Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis legatus, comprobamus, etc. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1235.

Gregorii PP. IX Ann. 9.	Ordin. Cartus. Ann. 152.	Martini Pr. Cart. Ann. 2.

HENRICUS REX ANGLIÆ ANTECESSORUM DONATIONEM FACTAM CARTUSIÆ CONFIRMAT.

I. SURGIT annus Domini ducentesimus trigesimus quintus post millesimum, Indictione octava, quo Henricus III, rex Angliæ, Nostrorum patientia devictus, denegatam diu annuæ pensionis Majori Cartusiæ a suis antecessoribus constitutæ solutionem tandem fieri præcepit, dato sequenti diplomate : « Henricus Dei gratia rex Angliæ, dominus Hyberniæ, dux Normaniæ, Aquitaniæ, et comes Andegavensis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Vicecomitibus, Præpositis, Ministris, et omnibus Ballivis et fidelibus suis salutem. Sciatis nos, intuitu Dei et pro salute animæ nostræ et animarum antecessorum et hæredum nostrorum, concessisse et hac charta nostra confirmasse pro nobis et hæredibus nostris, Deo et Priori et Fratribus de Chartosa donationem quam Henricus rex, avus noster, fecit eisdem Priori et Fratribus de quinquaginta marcis argenti, percipiendis singulis annis ad scaccarium suum ad duos terminos, videlicet ad Pascha viginti et quinque marcis et ad festum sancti Michaelis viginti et quinque marcis, habendis eisdem Priori et Fratribus in liberam et perpetuam eleemosynam ; sicut charta prædicti Henrici regis avi nostri quam prædicti Prior et Fratres inde habent, in qua prædicta donatio plenius continetur, rationabiliter testatur. Quare volumus et firmiter præcipimus pro nobis et hæredibus nostris, quod

prædicti Prior et Fratres de Chartosa habeant prædictas quinquaginta marcas bene et in pace, integre et honorifice, in liberam et perpetuam eleemosynam, et eas percipiant singulis annis ad scaccarium nostrum ad terminos prædictos sicut prædictum est. His testibus : venerabili Patre J. Bathoniensi episcopo, Willelmo de Ferar, Roberto de Gurn, Hugone de Vivone, Radulpho filio Nicolai, Godefrido de Craucumb, Johanne filio Philippi, Amaurici de S. Amando, Galfrido Dispenser, Richardo filio Hugonis, Bartholomæo de Saukevilla et aliis. Datum per manum venerabilis P. Radulphi, Cycestrensis episcopi, Cancellarii nostri, apud Batthoniam, 3 die Augusti, anno regni nostri decimo nono. »

ANNUS 1235

II. Eodem anno vir nobilissimus Leopoldus, dynasta præpotens Gonawizensis, vivente et consentiente uxore, Conversi habitum vovit suscipere. Quomodo id factum fuit accipe ex Instrumento super hac re conscripto.

LEOPOLDUS DE GONAWIZ CONVERSUS IN SEITZ.

« In nomine Domini, Amen. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1234*, Indictione 8, sexto Calend. Martii. In præsentia domini Petri plebani de Gonawiz sacerdotis, Lamberti, domini Oberti castellani, Rodulfi de Treuna, Hartnici de Nusdorf, Ottonis de Peorat, Odolrici filii magistri Petri, Cirei et aliorum. Instrumenta et privilegia priscis temporibus sunt inventa ut memoriter habeantur quæ stabili sunt tenore conscripta, velut sacri Canones asserunt et divi Principes Romanorum. Dominus Luipoldus de Gonawiz sanus mente licet æger corpore, dum reatus et excessus multiplices, quos commiserat, compunctione ductus excogitaret, suadente uxore cum filiis misit nuntium pro Ven. viro D. Petro Priore S. Joannis de Seitz, ut contra toxicata vulnera peccatorum ei præberet antidotum vitæ æternæ. Qui veniens, ut vir sanctus et providus tam prudenter illum de anima monuit, quod idem dominus Luipoldus rogavit ut pro redemptione animæ suæ illum in Fratrem acciperet continentem. Et sic præsente uxore ac filiis, scilicet domino Ortolfo ac Luipoldo, dedicavit se Deo et ecclesiæ B. Joannis, exhibens manus in manus D. Prioris Petri. Verumtamen antequam fierent prædicta, D. Prior exa-

* Juxta antiquam supputationem.

ANNUS 1235

Uxor ejus continentiam vovet.

minavit et interrogavit diligenter uxorem dicti Luipoldi si castitatem vellet et continentiam observare; quæ continuo dixit: Pro mei salute maritique mei animæ commodis dedico me Deo, continentiam promitto, et licentiam ei tribuo ut recipiat habitum Fratrum de Seitz, ut beneficiorum particeps sim cum eo; et abrenuntiavit sæculo in manus D. Prioris et Plebani de Gonawiz. Et ad hoc ut ista credantur, ait: Ut sciatur me non ambages sed puram quærere voluntatem et veritatem, volo, Christo favente, dum sana ero, locum religiosum intrare ut anima mea salvetur. Et si filii mei viderint aut scierint me in aliquo supradictorum deviare sive in aliquibus; possessiones, mansos, res mobiles et immobiles quas habebo, super quas illos constituo defensores et protectores, mihi accipiant cum persona; et quandocumque me mori contigerit, recipiant eadem bona, quia ea non possum quoquomodo alienare, in feudum concedere aut alicui obligare. Post hæc memorati filii domini Luipoldi habito consilio suorum militum et aliorum, pro salute patris animæ contulerunt ecclesiæ B. Joannis de Seitz duos mansos in villa et loco qui dicitur, etc., tali enim tenore quod ab illa die et inantea prædicta ecclesia eos habeat, teneat, possideat, et proprio jure fruatur cum omni jure, proprietate, acceptione, ingressibus, egressibus, inferioribus et superioribus, sine alicujus vel aliquorum contradictione. Et promiserunt idem filii contra collationem hanc, tam per se quam per suos hæredes, firmam et stabilem esse, et nulla ratione contravenire. Acta sunt hæc in castro de Honowiz in stuba domini Ortolfi, filii supradicti Luipoldi, in præsentia subscriptorum testium. Ego Petrus scriba qui rogatus interfui, ea quæ vidi et audivi, bona fide scripsi; signo sanctæ crucis et sigillo ecclesiæ B. Joannis de Seitz et D. Luipoldi corroboravi, complevi et dedi. »

QUOMODO UXORATUS VIVENTE UXORE RECIPIENDUS EST.

27. q. 2. c. si vir et uxor.

III. Præter promissum continentiæ quod fecit uxor præfati Conversi, probabile est Priorem licentiam prius habuisse a Diœcesano. Id enim non solum præcipiunt sacri Canones, sed paulo ante idem jusserant nostræ Constitutiones receptæ anno 1222. Ibi enim sic legimus: « Uxoratum, uxore sæculum non

relinquente, qui sine proprii Episcopi autoritate receperit, obedientiam amittat, etiamsi uxor recipiendi se relicturam sæculum promittat. » Hoc decretum inseruit Rifferius suis Statutis. Et id quidem prudentissime cautum est, propter varias quæ inde possunt emergere consequentias. Idem ante nos jusserat S. Isidorus : « Si quis conjugatus vult converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. » Tempore Guillelmi Raynaldi, per chartam Cap. gen., « Statuimus, inquiunt Diffinitores, quia frequenter matrimonia incaute ab Ordinariis dissolvuntur, ut altero conjugum in sæculo remanente, alter non recipiatur amodo in Ordine absque licentia Capituli generalis vel Prioris Cartusiæ, esto quod divortium fuerit inter eos per suos Ordinarios celebratum. » Addit Franciscus a Puteo, « etiamsi in hoc autoritas diœcesani Episcopi et consensus in sæculo remanentis intervenerint. » Quæ etiam habentur in Nova Collectione.

ANNUS 1235

Antiq. Stat. par. 2. cap. 24. n. 31.

Isid. in reg. cap. 4.

Ex ch. 1369 et 3 Compil. cap. 8. n. 7.

Cap. 17. n. 3.

IV. E Sclavonia in Galliam redeuntes, reperimus illustrissimum virum Hugonem de Ulmo juxta promissum anno præterito factum, Domum Vallis sancti Georgii construentem, et in novorum monachorum ibidem jam habitantium gratiam, litteras fundationis scribentem in hunc modum : « Universis Christi fidelibus, etc. Hugo dominus Ulmi, in perpetuam rei gestæ notitiam cum salute. Quoniam memoria hominum sæpissime labitur super rite gestis ipsorum et maxime super his quæ longo temporis spatio protenduntur, ita quod in pluribus quandoque gravia pericula subsequuntur ; quare quæ Domino disponente geruntur in terris, oportet non immerito ad perpetuæ veritatis notitiam firmari robore litterarum. Inde est quod cum Dominus pius et misericors, me, sui gratia, potentia sæculari et bonorum suorum temporalium satis sufficienti abundantia convallasset, mihi suo militi peccatori, sui Sancti Spiritus gratia, misericorditer inspiravit ut sibi et mihi coadoptivos filios spirituales studerem quantocyus procreare, templum sanctum eisdem in terra propria construendo, et etiam habitacula cum suis necessariis in

HUGO DE ULMO FUNDAT DOMUM VALLIS S. GEORGII.

Ex Archiv. ejusd. dom.

ANNUS 1235

expensis propriis præparando; ita quod per misericordiam Redemptoris, una cum ipsis filiis templum cœleste et Sanctorum tabernacula possem jure perpetuo possidere.

« Cui sanctæ inspirationi anima mea ædhærens, cum ingenti gaudio et corde devoto deliberavi postmodum, in animo diligenter perscrutando, quod inter cæteras plurimorum Ordinum Domos, Domum Cartusiensis Ordinis, quasi ignoti in patria (cum in tota diœcesi nulla Domus ipsius Ordinis fundata reperiretur), cum expensis propriis construerem et fundarem, atque terris, nemoribus, et aliis bonis temporalibus, juxta formam Ordinis ita competenter dotarem eamdem, quod Fratres in ea commorantes inde possint commode sustentari, cum aliis beneficiis et eleemosynis quæ ab aliis Christi fidelibus poterunt ab invicem recipere, Domino concedente, prout hæc hujusmodi beneficia piis locis de novo fundandis consueverunt misericorditer erogari.

« Ad laudem igitur et honorem Dei et Salvatoris Domini nostri Jesu Christi et gloriosæ Mariæ matris ipsius, et beati Joannis Baptistæ et sancti Georgii martyris atque omnium Sanctorum, Domum prædicti Ordinis fundo quæ vocabitur Sancta Maria Vallis sancti Georgii, et construo pro remedio animæ meæ et nobilis He. uxoris meæ, nec non parentum et omnium antecessorum meorum vivorum et defunctorum animabus. Et dono in primis et concedo pleno jure in perpetuam eleemosynam Deo et dicto Ordini Cartusiensi, locum fundationis ejusdem Domus, videlicet nemus de Espesse cum omnibus suis pertinentiis, etc.

Helvis fundatoris uxor.

« Hæc autem omnia præmissa, sine aliqua retentione, Deo et Sanctis ejus atque præfato Ordini Cartusiensi in puram et perpetuam eleemosynam offero et concedo, atque supradictæ Domus Fratribus trado penitus et assigno, et in veram et corporalem omnium supradictarum rerum possessionem feci eos induci.

« Præterea ob reverentiam Dei et honestatem Ordinis, ad plenam pacem ejusdem ubique et specialiter infra suos terminos ab omnibus in perpetuum conservandam, sub pœna

perpetuæ exhæredationis et amissionis non solum rerum sed et propriorum corporum, prohibeo statuendo ne aliquis Nobilis vel ignobilis qui ad meam jurisdictionem debeat pertinere, in Priorem vel aliquem de Fratribus ipsius Domus manum audeat mittere temere violentam ; nec domos sive grangias suas frangere, comburere, seu furtum, homicidium vel aliud maleficium perpetrare in eisdem. Sed nec possessiones sive alia bona sua invadere, rapere vel aliam injuriam super his irrogare præsumat, quamdiu præfati Prior et Fratres eorum coram competenti judice voluerint stare juri.

ANNUS 1235

« Item firmiter inhibeo ne infra dictos terminos aliquis hominum capiat injuste, vel furtum, rapinam, incendium seu homicidium perpetret : sive prædam per eosdem ducat vel adducat. Item nec fœmina, nisi in dedicationibus ecclesiarum, portas sive clausuras domorum et grangiarum ipsorum Fratrum appropinquare præsumat; nec in eundo per vias versus ipsas domos vel grangias pertendentes, moram faciat in eisdem nec in nemoribus circa easdem constitutis, sed velociter transeat pergendo viam suam, nisi velit incurrere confusionem proprii corporis et ruborem.

« Item nullus per nemora sæpe dictæ Domus et alias possessiones suas, causa venandi aves vel animalia sylvestria persequatur. Et si contigerit forsitan ut in eisdem capiatur aliquid, Domui protinus reddatur : cujus animalis carnes leprosis eroget, sibi corium cum aliis necessariis libere retinendo.

« Quicumque autem scienter offenderit in aliquo de prædictis prohibitionibus, secundum modum transgressionis per Dominum terræ et suos ita gravissime puniatur, quod nullus præsumat consimile facinus attentare.

« Interea vero supradictam Domum cum omnibus bonis suis et familia, ab omni pedagio, aida, venditionibus, banno, seu aliis quibuslibet hujusmodi institutis quocumque nomine censeantur, per totam terram meam facio in perpetuum, et præcipio liberam et immunem et salvam et securam ubique permanere; et per me et meos, quasi propriam personam, ipsam Domum deffendere, tenere et salvare ; et etiam pro

ANNUS 1235

ipsa stare juri contra omnes molestatores indebitos, si qui fuerint (quod Deus avertat). Ad quæ omnia, volo et statuo quod Dominus Ulmi et sui et omnes mei successores in perpetuum similiter teneantur. Si autem Prior et Fratres dictæ Domus vel eorum successores aliqua de terris, redditibus seu aliis possessionibus collatis et assignatis eisdem, qualicumque de causa forsitan amitterent, ita quod non possent pacifice et plenarie omnia possidere sicuti sunt erogata : Dominus Ulmi quicumque sit, semper teneatur ad valentiam rerum amissarum vel damnorum super his illatorum, terras seu redditus eisdem Fratribus assignare. Quod si non faceret, et non conservaret dictam Domum cum omnibus bonis suis et libertatibus in his et aliis meis litteris comprehensis ; rogo quam plurimum et requiro in Domino venerabiles in Christo Patres et Dominos meos Æduensem et Nivernensem Episcopos præsentes et futuros, ut ipsius Domini Ulmi personam cum tota terra sua, monitione præmissa, gravi subjiciant interdicto, donec de omnibus damnis datis prælibatæ Domui sit plenius satisfactum.

« Ad quod etiam exequendum, dominus meus Comes Nivernensis et sui successores, cum super hoc fuerint requisiti, dictum Dominum Ulmi, causa Dei et precum mearum intuitu compellant firmiter et inducant. In hujus rei testimonium et munimen perpetuæ veritatis, ego et nobilis Helvys uxor mea, laudans omnia superius memorata et ad plenum concedens, præsentem chartam sigillis nostris roboratam memoratæ Domui tradimus, in perpetuum conservandam.

« Ego autem Hel. uxor nobilis sæpe dictæ Domus fundatoris, pro amore Dei et Domini nostri Salvatoris et honore Beatæ Virginis matris ipsius et omnium Sanctorum, necnon et pro remissione meorum et ejusdem Domini mei fundatoris peccatorum, hujusmodi vota ipsius tam salubria et opera tam pia in hac parte, et omnia enarrata superius et expressa, approbo in Domino et collaudo, et sincero corde memoratæ Domui in perpetuum concedo. In cujus rei testimonium et perpetuam firmitatem, sigillum meum præsentibus appo-

nere dignum duxi. Anno gratiæ Domini MCCXXXV. »

ANNUS 1235

Paulo post Guido Nivernensis et Forensis comes cum Mathilde uxore fundationem approbavit et confirmavit, datis literis hoc ipso anno; quod etiam eodem tempore præstitit Guido de Vergy episcopus Æduensis cum suo Capitulo.

FUNDATORES IN HAC DOMO SEPULTI.

V. In hac Domo sepulti sunt pii fundatores Hugo et Helvys uxor ejus. Hanc primum Andreæ Montisbarri domino nupsisse, cum Petro Francisco Chiffletio quandoque credidimus, sed duas fuisse postea deprehendimus : unam, præfato Andreæ nuptam et anno hujus seculi decimo defunctam, ut ex probationibus ab ipso Chiffletio allatis constat; alteram, nostri fundatoris conjugem, quam præsenti anno adhuc in vivis fuisse ostendit suprascriptum fundationis diploma. Ex ea unica nata est filia, dicta etiam Helvis, quæ cum marito suo Drocone de Melloto, Castricanini domino, paternas donationes confirmavit hoc diplomate : « Ego Droco de Melloto junior, dominus Ulmi, et ego Helvys uxor ipsius Droconis, domina Ulmi, notum facimus quod cum felicis recordationis Hugo, quondam dominus Ulmi, in fundatione Domus Vallis S. Georgii Cartusiensis Ordinis, Fratribus dictæ Domus in perpetuam eleemosynam dedisset et assedisset. . . . . possessiones quas ipsi Fratres per manum domini Johannis Cilecastri tunc domini Ulmi habuerunt. . . . . Inde est quod ego Droco ut omnia prædicta firma sint in perpetuum, in testimonium hujus rei præsenti paginæ sigillum meum duxi apponendum. Ego autem Helvys etiam rata esse volens omnia superius memorata, quia sigillum proprium non habeo, sigillum venerabilis viri Hugonis archidiaconi Avallonis gratanter rogavi præsentibus apponi in testimonium veritatis. Datum anno gratiæ MCCXLVII, mense Martio. »

Append. ad diatrib. de genere S. Bernardi.

Hæredes confirmant donationes.

Haud diu post obiit Droco, cujus filius ejusdem nominis fundationem nostram non solum confirmavit sed et variis bonis auxit, approbantibus Guillelmo fratre suo et Isabella sorore Chiffletio ignotis. Id patet ex sequentibus literis : « Ego Droco de Melloto, dominus Castricanini et Ulmi, notum facimus quod cum Domus Vallis S. Georgii, Ord. Cart., haberet

Chifflet. ubi supra.

ANNUS 1235

usagium. . . . declarando confirmamus et concedimus plenum et liberum usagium. . . . Item intuitu pietatis concedimus et confirmamus omnes libertates, necnon omnes possessiones a Dominis Ulmi eidem Domui concessas, etc.; bona fide promittentes quod procurabimus infra annum quod Guillelmus frater noster et Isabella soror nostra, prædicta omnia et singula volent, concedent et laudabunt. . . . Iterum promittentes sibi bona fide præsentem literam vel similem renovare et sigillare gratis infra quatuor menses, propter quod aliud sigillum fecimus fabricari. Datum mense Septembri, anno Domini MCCLXIII. »

SUCCESSORES FUNDATORUM.

VI. Idem Droco filium habuit cognominem, eorumdem locorum Dominum, qui anno 1294 mense Junio, quamdam cum Guillelmo Vallis S. Georgii Priore fecit transactionem. Ex eo alium Droconem genitum fuisse asserit Chiffletius, qui et eum facit maritum, Leonoræ Amedei V Sabaudiæ comitis filiæ. Habuerunt ambo duas filias, Joannam et Margaritam. Illa Radulpho Augiensi comiti nupta procreavit filiam ejusdem nominis, quæ, tanquam mediæ partis Ulmi domina, cum accepisset Capitulum nostrum generale Domum Vallis S. Georgii, tum propter tenuem ejus dotem tum ob bellorum grassationes ad incitas redactam, Domui Bassævillæ non meliori fortuna gaudenti velle adscribere ut ex duabus unica fieret cartusia, facultates ejus augere promisit. Interea tamen obtenta autoritate Apostolica, hujusmodi unio per chartam anni 1377 decernitur his verbis : « Priori Vallisprofundæ fit misericordia, et præficimus eum Domibus Bassævillæ et Vallis sancti Georgii quas, autoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, unimus et volumus ut amodo per unum Priorem gubernentur. » Joanna igitur hujus unitatis impediendæ gratia, omne jus quod ad eam in quasdam indictivas moletrinas attinebat Nostris cessit. Sicque quamdiu vixit benefica mulier, hujusmodi unio effectu caruit. Obiit illa anno 1389, nulla suscepta prole a Gaucherio de Brienna, duce Athenarum, marito suo. Ejus obitus in cartulario Domus his verbis describitur : « Obiit nobilissima domina Joanna d'Eu, uxor illustrissimi

Joanna Augiensis benefactrix Domina Ulmi.

Impedit unionem Domus.

Ducis Athenensis, quæ quidquid juris habebat in molendino . . . . Domui cessit, prohibens parochiis . . . . ne alibi molant. » ANNUS 1235

Altera Droconis de Melloto filia, videlicet Margareta, alterius partis Ulmi domina, primo nupsit Mauritio de Craon cui genuit Amauricum, comitem Drocensem et vicecomitem Thoarcii, ex parte uxoris Petronillæ fundatricis cartusiæ Thoarcensis, de qua fusius alibi.

Præter Amauricum genuit Margareta filiam nomine Isabellam uxorem Ludovici de Sully, matrem vero Mariæ de Sully nuptæ Guidoni de Trimolia secundo fundatori cartusiæ Luviniaci. Mortuo priore marito alterum Margareta accepit, Joannem de Chalons dominum d'Arlay, cujus nepos Joannes de Chalon, princeps Arausionius ex parte uxoris Mariæ des Baux, unionem hujus Domus quam Nostri iterum perficere tentabant, impedivit datis quibusdam bonis, ut mox dicemus.

ITERUM AGITUR DE UNIONE DOMUS.

VII. Mortua Joanna Augiensi, cum vix facultates sufficerent ad duos aut tres Monachos alendos, rursum fit incorporatio utriusque Domus, Vallis sancti Georgii videlicet et Bassævillæ, per Chartam capitularem quæ sic habet : « Priori Bassævillæ non fit misericordia, et incorporamus ac etiam unimus per privilegia Ordini concessa Domum Vallis sancti Georgii dictæ Domui Bassævillæ. » Nihilominus hujusmodi unio paulo post rescinditur, et novus Prior præficitur Valli sancti Georgii per aliam. « Quia unio alias facta de Domo Bassævillæ cum Domo Vallis sancti Georgii redundat in præjudicium utriusque, autoritate Capituli generalis ipsam revocantes, amodo non se intromittat Prior Bassævillæ de regimine dictæ Domus Vallis sancti Georgii, cui præficimus in Priorem Joannem Bossardi, sacristam Bellilarici. » Sed decennio post, Stephanus de la Loye tunc Prior, accepto mandato totam Domum tradendi præfato Principi Arausionensi, cum ab eo ducentas libras ad dissolvenda quædam nomina recepisset, majorum forsan beneficiorum spe illectus locum non deseruit, licet per Chartam anni sequentis Capitulum Generale « commisit Priori Divionis, ut cum fundatoribus tractaret qualiter cum aliqua Domo Ordinis

Ex ch. 1395.

Ex ch. 1402.

Ex ch. 1413.

ANNUS 1235

nostri vicina incorporaretur vel omnino dimitteretur. » Sicque perseveravit hæc paupercula cartusia usque ad Calvinianas tempestates; tunc enim ab hæreticis occupata penitus deflagravit, cum prius ab iisdem impiis hominibus quidam etiam Religiosi neci traditi fuissent, ut fusius eodem anno narrabimus, ubi et ejus historiam persequemur.

BENEFACTORES PRÆCIPUI.

VIII. Illius benefactores præcipui habentur : Joannes de Cabilone, dominus de Viteaux, præfati Joannis principis Arausionii filius minor natu, qui anno 1451 fundationem confirmavit, coegitque bordelagia Monachis denegantes solvere, ac denique Domum ære alieno et officialium Ulmi molestiis liberavit.

Margarita Darices cum filio suo Drocone de Melloto equite, domino Sancti Prisci, pratum quoddam largita est. Reginaldus de Merloto eques, ad instantiam uxoris suæ dominæ de Chastel Chinon *, villam quamdam dedit pro duobus anniversariis singulis annis celebrandis. Reginaldus de Merloto dominus de Chassenair, cum Joanna de Castro Perrone domina de Sancto Parisio conjuge, quosdam reditus concessit. Simon abbas Corbiniaci etiam benefactor dicitur.

* Château - Chinon.

FUNDATUR DOMUS PARCI.

IX. Eodem tempore quo primum ab Hugone de Ulmo construebatur cartusia Vallis sancti Georgii, aliud monasterium Nostris ædificare meditabatur Margarita comitissa de Fif filia Constantiæ de Thooneio, dominæ de Conchis, sororis Radulphi vicecomitis Bellimontis. Hæc cum locum non haberet fundandæ cartusiæ aptum, grande septum ex patria lingua dictum Parcum « de Orguis » ab avunculo suo præfato Radulpho, cum omnibus illius pertinentiis, in hunc finem hoc præsenti anno obtinuit, ut ex subjectis Radulphi litteris apparet.

Histor. ms. Clem. Bohic ad hunc an.

« Universis Christi fidelibus, etc., Radulphus vicecomes Bellimontis salutem in Domino. Noverint universi quod ego dedi et concessi in puram et perpetuam eleemosynam, cum assensu et voluntate filiorum meorum Richardi et Guillermi de Bellomonte, Margaretæ nepti meæ comitissæ de Fif, filiæ carissimæ sororis meæ Constantiæ de Thooneio dominæ de

Conches, totum nemus et totam terram de Parco de Orguis, ad suam voluntatem omnimode faciendam et ad dandam cui voluerit et ubi voluerit, liberum et quietum sicut ego antea possidebam; nihil omnino juris et dominii in dicto nemore nec in terra, mihi nec meis hæredibus retinendo. Et ut hoc ratum esset et stabile, ego Radulphus vicecomes Bellimontis et Richardus et Guillermus filii mei, ad majorem confirmationem huic cartulæ sigilla nostra apponi fecimus in testimonium et munimen. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo quinto. »

ANNUS 1235

Quid deinde secutum sit, anno sequenti dicetur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1236.

Gregorii PP. IX	Ordin. Cartus.	Martini Pr. Cart.
Ann. 10.	Ann. 153.	Ann. 3.

MARTINUS PRIOR CARTUSIÆ ABDICAT.

I. ADEST annus Salvatoris millesimus ducentesimus trigesimus sextus, Indictione nona, quo Martinus Prior Cartusiæ regimen abdicavit, cum tribus tantum annis illud tenuisset. Chronicon dicit illum præfuisse tredecim annis, sed contrarium patebit ex illius successore. Quod vero in prioratu non obierit colligimus ex antiquis Domorum Luviniaci et Parci calendariis, in quibus ad sextum Nonas Martii legitur : « Martinus, Monachus, sacerdos. » Hunc vero esse nostrum Martinum habemus ex altero calendario Domus Glanderii ; ubi ad eumdem diem signatur et dicitur « Prior Cartusiæ ». Annus vero a nostro Molino et aliis designatur 1242.

PETRUS II SUCCEDIT.

II. Successorem ejus nullus hactenus novit, quem nos fuisse quemdam Petrum deteximus ex duobus certis instrumentis. Primum habetur in cartulario Majoris Cartusiæ, estque diploma societatis spiritualis, quam ipse Petrus statim post suam electionem cum Canonicis Gratianopolitanæ metropolis iniit. Petri literæ ad Canonicos non extant, sed Canonicorum ad eum responsum in præfato cartulario sub sequenti tenore reperitur :

Societatem spiritualem iniit cum Canonicis Gratianopolitanis.

« Viris religiosis et Patribus in Christo reverendis, P. Priori Cartusiæ et qui cum eo sunt Fratribus, G. humilis decanus Ecclesiæ Gratianopolitanæ et ejusdem loci Capitulum continuos ad vota successus cum salute. Litteras vestras benigne

suscepimus devotione plenas et charitativa dilectione non vacuas, quæ nobis vestram affectuosissimam insinuant charitatem in hoc quod, munusculum nostræ fraternitatis sive spiritualis societatis in gazophilacio cordis cum pretiosissimo vestro thesauro, nos vobis spiritualiter associando, recondidistis. Unde benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui sua misericordia vestram societatem nobis dignatus est elargiri; sua nos etiam in hoc consolans consolatione, præbens nobis fiduciam et solamen, ut nos egenos et pauperes paupertate virtutum, in limo peccatorum defixos et in pulvere mundanorum provolutos, precum vestrarum interventu, Ille suscitando nos erigat et erigendo nos sublevet ut vobiscum in regno Dei sedeamus et solium gloriæ teneamus. Etsi terribilis sit Deus in suis judiciis, magnus et laudabilis valde in suis miserationibus, quoniam miserationes ejus super omnia opera ejus. Miserans miseratus est nobis Dominus, suas in nos magnificans miserationes, spem nobis tribuens vestra sibi societate sociari. Una et omnium vox est quod Ordinis Cartusiæ professores tanto differentius præ cæteris Christo associantur, quanto expressius triumphales sanctitatis titulos cum eo referendo Religionis Apostolicæ vestigiis inhæserunt, scilicet in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis et confessionibus, in disciplinis et psalmis, in hospitalite et humilitate, obedientia et charitate, et cæteris quibus vitæ fructus seminatur; in terris carnem suam deprimunt ut spiritum erigant, et Angelicæ sinceritati se homines comparentur ut eorum beatitudini socientur. Quam felix hæc societas quæ, Deo dante, nostras intemperantias sua temperantia temperabit. Quam benigna, quam optanda inter nos et vos conventio, qua, Christi mediante gratia, vestris meritis et intercessionibus Christo nos conjungendo a vitiis disjungemur. Hoc est lignum quod in nos aquas Marath sua dulcedine dulcorabit. Hæc est virga Moysi quæ a nobis lapideis aquam devotionis et compunctionis, exempli et doctrinæ eliciendo, excitabit et excitando eliciet in hoc deserto mundano, ut

ANNUS 1236

grex sive populus nobis commissus adaquetur; de qua qui biberit non sitiet in æternum. Eapropter, Reverendi Patres ac Domini, Ille qui acceptor est omnium sacrificiorum acceptet inter nos et vos munus oblatum, de quo munere nobis a vobis oblato exultaverunt animæ nostræ in Domino et delectatæ sunt super salutari suo, cum ipsum vidimus et audivimus in litteris vestris declaratum. Igitur cum non habeamus unde in retribuendo ad ante data vobis respondere pro his quæ nobis tribuistis, Ille qui bonorum omnium est retributor vobis retribuet supplendo nostræ retributionis defectum. Verumtamen quoniam munus vestræ fraternitatis nobis exposuistis ut intelligeremus exiguum nostrum, vobis generaliter et singulis omnibus Monachis in Cartusia degentibus et decedentibus, nunc et in perpetuum, de consensu et voluntate venerabilis Patris nostri S., Dei gratia Gratianopolitani episcopi, fraternitatem nostram sive societatem, tam spiritualem quam temporalem, vobis conferendo concedimus et concedendo conferimus, et ut plenius intelligatis, eamdem in præsenti charta duximus explicandam. Hoc debetur Canonico defuncto in die obitus sui : Quilibet sacerdos qui præsens fuerit tenetur celebrare Missam pro eo, et infra diem tricesimum tres Missas proprias; et alii Canonici qui non sunt sacerdotes tenentur in die obitus sui legere unum psalterium, et tria infra tricesimum diem; et usque ad tricesimum diem habet procurationem suam in refectorio, in mane et in sero tamquam unus nostrum, et usque ad tricesimum diem debetur ei Missa conventualis, et in aliis Missis debet fieri commemoratio pro eo; et debet scribi in libro Capituli et annuatim suum anniversarium celebratur. Valete in Domino Jesu Christo. »

Annus non exprimitur in præfato Instrumento, sed illud datum circa præsentem annum conjicimus ex nomine Episcopi Gratianopolitani, cujus prima littera S. significat Soffredum qui hanc ecclesiam rexit ab anno 1222 ad annum præsentem quo decessit, die 22 Junii juxta vetus calendarium Majoris Cartusiæ, postquam Canonicis S. Martini de

Miseriaco varias possessiones concessisset. Soffredo successit in episcopatu Petrus de Equa, qui eodem anno interfuit concessioni factæ Roberto Vapincensi episcopo per Fridericum imperatorem.

ANNUS 1236

Catalog. ms. Ep.Gratianop.

Alterum Instrumentum in quo etiam reperitur prima littera nominis hujus Prioris sic incipit : « Ego fr. P., Pauperum Cartusiæ qualiscumque dictus Prior, etc. » datumque est anno sequenti ubi illud integrum referemus. Eum porro ex litera P. Petrum appellatum fuisse conjicimus, quod in documentis Cartusiæ abhinc plures annos confectis, inter Monachos quorum nomina in his designantur, duos deprehenderimus sic nominatos ; nec ullius alterius nomen per hanc literam inchoatum legatur etsi aliquando totus Conventus se subscripserit, ut videre est superius ad an. 1228, ubi inter antiquiores Petrus Bonninus recensetur.

GUILLELMUS PRIOR WITHAM. OLIM EPISCOPUS LONDONIENSIS MORITUR.

III. Hoc anno tributum mortis exolvit Guillelmus a Sancta Maria, Prior Withamiensis in Anglia et quondam episcopus Londoniensis. Hic genere Normannus, Regis Anglorum Richardi primi quandoque secretarius et Canonicus Ecclesiæ sancti Pauli Londoniarum, apud Westmonasterium per manum Huberti Cantuariensis archiepiscopi, anno 1199, in capella S. Catharinæ episcopus Londinensis consecratur, 10 Calendas Junii. Is, rebus per Joannem Britanniæ majoris Regem exacerbatis (eo quod Guillelmus et alii Præsules universum regnum Summi Pontificis nomine sacris interdixerant et pronunciaverant Regem excommunicatum), cum Cantuariensi et aliis Romam profugiens, postea cum iisdem in Joannis gratiam prioremque conditionem restitutus est. Cumque postea sponte se ea dignitate abdicasset, anno 1221 die 26 Januarii, sese totum famulatui divino professione votorum religiosorum mancipavit in cartusia Withamiensi. Philippo vero hujus monasterii moderatore ad vitam immortalem evocato, Guillelmus ob religiosissimos mores sufficitur ; cumque tribus annis et mensibus quinque sese vigilantissimum Pastorem exhibuisset, expletis sanctissime in hac valle miseriarum peregrinationis diebus, mortis tributum exolvit anno

ANNUS 1236

præsenti. De eo agunt Radulfus de Diceto, Matthæus Paris, Harpsfeldius et alii recentiores.

GUILLELMUS EPISCOP. MUTINENSIS IN SEPTENTRIONALES PARTES DELEGATUR.

IV. Alter Guillelmus, ex episcopo Mutinensi factus monachus Cartusiensis et inde missus in Sclavoniam ut diximus ante biennium, rursum hoc anno a Gregorio delegatur in septentrionales regiones ut novis episcopatibus ibidem instituendis limites præscriberet ac definiret, Pastoresque e Dominicanorum familia assumptos præficeret, ad populos harum regionum excolendos informandosque christiana pietate. Eidem præterea Legato Cartusiensi commisit Summus Pontifex ut episcopatus transferre, vel in plures dividere vel conjungere posset, prout ad divinam gloriam magis conduceret locorumque exigeret necessitas. Cumque arsisset gravissima contentio inter Daniæ Regem Fratresque Militiæ Christi, cujusdam arcis in Livonia sitæ occasione, ad nostrum Guillelmum nunc suum Pœnitentiarium litteras exaravit, ut operam suam collocaret ad Regem cum Equitibus conciliandum. Cui etiam injunxit ut inquireret contra Poloniæ Principes qui ecclesias nequiter opprimebant. Extant apud Raynaldum litteræ papales horum negotiorum amplam facientes mentionem. De Guillelmo adhuc post septem annos.

Raynald. in Annal. ad hunc an.

POSSESSIO DOMUS PARCI A NOSTRIS INITUR.

V. Vidimus anno superiori piissimam mulierem Margaritam, comitissam de Fif, parcum sive saltum de Orguis ab avunculo suo obtinuisse ad cartusiam ibidem condendam, quam voluit Beatam Mariam de Parco appellari. Hæc igitur aptatis statim quibusdam ædificiis, Monachos Cartusienses die prima Junii hujus anni in possessionem loci induxit, prout legitur in libro Anniversariorum qui sic habet : « Anno Domini MCCXXXVI, prima mensis Junii, intravit Conventus in hanc Domum, Domino nostro Jesu Christo et Beatæ Mariæ et omnibus Sanctis in perpetuum famulaturus. » Deinde eodem mense, hujus traditæ possessionis tabulas sequentes conficere curavit devota fundatrix sub hoc tenore :

Ex ms. ejusdem dom. et hist. ms. Bohic.

« Universis Christi fidelibus, etc., Margarita comitissa de Fif, salutem in Domino. Approbatæ consuetudinis est apicibus scripturæ commendari ea quæ oportet perpetuo tam fideliter

quam inviolabiliter observari. Quapropter universitati vestræ volumus innotescat quod cum carissimus dominus et avunculus noster Radulphus, vicecomes Bellimontis, nobis in perpetuam eleemosynam dedisset parcum de Orguis cum pertinentiis suis, sicut in chartis ejus et filiorum ipsius plenius continetur, libere et quiete habendum et possidendum, vel conferendum cuilibet Religioni si vellemus ; de consilio et voluntate ipsius et aliorum amicorum nostrorum placuit nobis præfatum parcum, cum integritate et libertate sua qua nobis concessus fuerat, pro salute animæ nostræ et pro anima carissimæ matris nostræ et antecessorum nostrorum, assignare et in perpetuam eleemosynam conferre Deo et Ordini Cartusiæ ad ædificandum ibi Domum ejusdem Ordinis. Sperantes in Domino divinam proinde gratiam promereri in præsenti, et in futuro per hæc et alia bona (quæ Deo dante fecerimus), cœlestem gloriam possidere. Et ut hoc ratum et stabile permaneret in posterum, præsentes litteras sigilli nostri munimine dignum duximus roborandas. Actum anno gratiæ MCCXXXVI, mense Junii. » ANNUS 1236

Hæc Domus sita est in territorio de Charnia, diœcesis Cœnomanensis, ab oppido Brullon una tantum leuca versus Occidentem, et ab urbe Cœnomano totius Provinciæ cognominis capite septem distans. *Situs loci.*

VI. Donationem Margaritæ solemnibus codicillis approbavit vicecomes Bellimontis, qui apud sanctum Ludovicum Francorum regem instituit, ut ea quæ facta fuerant augustiore diadematis sui tutela præsidioque tecta vellet. Litterarum Radulphi ad Regem exemplar tale est: VICECOMES BELLIMONTIS DONATIONEM CONFIRMAT.

« Excellentissimo et charissimo domino suo Ludovico, Dei gratia Franciæ regi, Radulphus vicecomes Bellimontis salutem et fidelitatem. Sublimitati vestræ notum facio quod charissimæ nepti meæ Margaritæ comitissæ de Fif, dedi et concessi de consensu filiorum meorum Guichardi et Guillelmi parcum *de Orgues* in perpetuam eleemosynam, habendum et possidendum ita honorifice et quiete sicut ego possederam, liberum scilicet et immunem ab omni exactione sæculari, et ad facien-

ANNUS 1236

dum de eo omnimodam voluntatem suam. Et quoniam præfata neptis mea de voluntate et consensu meo, præfatum parcum dedit Deo et Ordini Cartusiæ ad ædificandam ibi Domum ejusdem Ordinis cum eadem libertate et integritate sua, supplico regiæ bonitati vestræ quatenus hanc donationem gratam et ratam habere dignemini. Et velitis vestri gratia autoritate regia confirmari. Datum anno MCCXXXVI. »

Et a Rege S. Ludovico approbationem obtinet.

Porro sanctus Ludovicus rex gratam se habere hujusmodi donationem declarans, regiis etiam codicillis pro majori securitate eam firmare studuit. « Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, notum facimus quod nos litteras dilecti et fidelis nostri Radulphi vicecomitis Bellimontis vidimus in hæc verba: Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis vel audituris Radulphus vicecomes Bellimontis salutem in Domino. Universitati vestræ notum facio quod cum carissimæ nepti meæ quondam dominæ de Conches dedissem parcum de Orguis in puram et perpetuam eleemosynam ad omnimodam voluntatem suam faciendam; ipsa, sicut vidi et audivi, præfatum parcum cum omni integritate et libertate sua dedit et concessit in puram et perpetuam eleemosynam Deo et monachis Cartusiensis Ordinis, ad Domum ejusdem Ordinis ibidem construendam; supplicans mihi quatenus hanc donationem ratam haberem pariter et acceptam. Ego vero tam piæ petitioni et donationi ejusdem grato concurrens assensu, concessi dictum parcum præfatis monachis cum ea libertate et integritate qua eum antea possederam, nihil mihi vel hæredibus meis ibidem juris vel dominii retinendo, etc. Quod ut ratum et stabile permaneret præsentes litteras sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno gratiæ 1236, mense Junii. Nos autem ad petitionem prædicti Radulphi, supradictam eleemosynam, etc., volumus et concedimus. Et in hujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro fecimus communiri. Actum apud Ebroicos anno MCCXXXVI, mense Augusti. »

Ecce vidimus optimum Regem nullum modum neque finem de Ordine nostro bene merendi fecisse. Ipse enim ante tres annos donationem Domus Vallis Dei regio diplomate

ANNUS 1236

ratam se habere testatus est, et sequenti anno idem præstiterat erga Domum Ligeti; sed anno proximo futuro majora Capitulo generali præstantem videbimus. Montem quoque Dei post viginti annos et Vallem sancti Petri anno quinquagesimo octavo suis colet beneficiis. Quid tandem erga suam cartusiam Parisiensem præstiterit suo etiam loco dicemus.

Summus Pontifex et proprius Antistes omnia confirmant.

Post obtentam a sancto Rege approbationem, Gregorius Pontifex maximus novellam plantationem codicillis pontificiis roboravit et sub protectione Apostolica recepit, data bulla Laterani anno sequenti per manum magistri Guillelmi S. R. E. vicecancellarii et domini Papæ notarii, II Nonas Februarii, Indictione undecima. Cum etiam necesse sit ut accedat consensus Episcopi diœcesani, eam ob rem Gaufridus Cœnomanensis episcopus fundationem probavit eodem anno futuro, die dominica in crastino Assumptionis B. Mariæ Virginis. Neque his contentus pius Præsul tanta ei posthac contulit ut merito præcipuus illius benefactor vel etiam alter fundator censendus sit, sicut alibi fuse narrabimus.

HÆREDES RADULPHI VICECOMITIS FUNDATIONEM AUGENT

VII. Porro de fundatrice nihil prorsus reperimus præter litteras superius exscriptas, et quod anno 1243, quædam suæ primæ fundationi adjecerit. Deinde moriens illius nudum nomen in Calendario Domus ad diem 17 Januarii reperitur, sine anno. Radulphus vero vicecomes avunculus ejus, et cum ea hujus cartusiæ fundator, jacet sepultus in Abbatia Virginum de Estrivalo in Charnia a suis antecessoribus ædificata. Richardus filius et hæres præfati Radulphi fuit etiam vicecomes Bellimontis, et præter consensum quem præbuit fundationi Parcensi, quosdam etiam reditus contulit anno 1242; et paulo post moriens, appositus est ad patres suos in supradicto parthenio. Mathildis vero uxor ejus, domina Montis Trichardi* et Ambasiæ, « Considerans, inquit in suis litteris, et attendens paupertatem seu inopiam ecclesiæ B. Mariæ de Parco de novo fundatæ in terra et dominio vicecomitis Bellimontis, adeo quod propter sui tenue fundamentum et proventuum penuriam, debitus Fratrum numerus secundum Statuta Ordinis Cartusiensis ibidem nequeat commode sus-

*Al. Richardi.

ANNUS 1236

tentari; pro remedio et salute inclytæ recordationis Richardi quondam vicecomitis Bellimontis mariti mei, et animæ meæ et animarum parentum, etc.; ad sustentationem duorum Fratrum in præfata ecclesia sub habitu regulari perpetuo Domino famulantium, do et concedo viginti libras turonenses annui reditus. etc. Datum anno 1243, mense Maio. » Ejusdem obitus signatur in Calendario sub 5 Idus Maii.

Ludovicus vicecomes.

Quidam ex eadem familia nomine Ludovicus, et ipse Bellimontis vicecomes, centum libras annui reditus suo testamento legavit, moriensque anno sexagesimo quarto sequentis seculi ex acceptis vulneribus in bello contra Anglos, sepultus fuit in ecclesia hujus cartusiæ ante majus altare. In Charta Capituli generalis anni 1383 denunciatur obitus Ludovici vicecomitis habentis tricenarium per totum Ordinem, qui videtur alius quo mortuo Maria Chamaillart ejus consanguinea, uxor Petri comitis de Alençonio alterius fundatoris cartusiæ Vallis Dei, successit in comitatu Bellimontis. Unde Petrus Sutor videtur allucinari, cum de fundatione Domus Parcensis agens, scribit eam fuisse extructam a quadam virgine (melius dixisset a quadam muliere) ex nobilissima Alenconiorum familia oriunda.

CUR OMNES ECCLESIÆ NOSTRÆ DICANTUR B. M. VIRG.

VIII. Denique quia superius mentionem fecimus B. Mariæ Matris Dei, ob cujus reverentiam Margarita comitissa fundavit hanc Eremum, quæque etiam propterea, ut diximus, Domus B. Mariæ de Parco seu de Saltu vocatur : sciendum omnes pene cartusias sanctissimæ Deiparæ esse consecratas. Sed præter rationem quam alibi dedimus, attendenda est forma quam agens de Novitiorum professione noster Legislator Guigo sic describit : « Ego frater, ille, promitto, etc. coram, etc. reliquiis istius Eremi quæ constructa est ad honorem Dei et B. semper Virginis Mariæ et B. Joannis Baptistæ, etc. » Unde Nova Collectio decernit quod « quamvis ecclesia sit extructa ad honorem alterius sancti quam Beatæ Mariæ aut Beati Joannis Baptistæ, non tamen mutabuntur prædicta verba professionis. » Et hæc verba nostræ professionis inserta, nobis specialia sunt, nec reperiuntur in pro-

V. an. 1084.

Guig. consuetud. c. 24. num. 4.

fessione sancti Benedicti, cujus forma in cæteris eadem est. Cistercienses vero licet eadem verba taceant, suas tamen ecclesias B. Virgini Mariæ voluerunt dedicari. Nam in eorum Constitutionibus, editis anno præsentis sæculi quinquagesimo septimo, ita sancitum legitur : « Omnes ecclesiæ Ordinis nostri in honore B. Mariæ dedicentur et fundentur. » Rationem hujus Constitutionis affert Cæsarius in suis Dialogis quos consulas. Hinc satis apposite annotavit quidam quod fere omnes Græcorum ecclesiæ et præsertim monasteriorum dicatæ erant B. Virgini ; et quod deficientibus ab Ecclesia Romana Græcis, honor B. Virginis Mariæ in nascentis Ordinis nostri Cisterciensisque ecclesiis compensatus est.

ANNUS 1236

Constit. Cist. ms. distinct. 1. cap. 1.

IX. Martini Cartusiæ Prioris temporibus, facta est ordinatio singulari erga Novitios charitate plena, quæ legitur in additionibus ad Jancelini Constitutiones his verbis. « Si lepram Novitius ante professionem incurrerit, professionem non faciet; tamen si in Domo remanere voluerit, habebitur pro professo et ei providebitur ut professo. » Eadem Rifferius observari præcepit, voluitque ut « ædificetur ei domuncula extra clausuram aliarum, et ibi a Priore et a sociis visitetur. » Sed prohibet « ne leprosis nostri Ordinis carnes comedere ulla permittatur ex causa. » Nihilominus successu temporis sapienter Patres admonuerunt, nullam Domum obligari ad tenendos leprosos Novitios in gravamen suum, cum hujusmodi homo inutilis sit et onerosus, imo cum talis morbus sit incurabilis et contagiosus, propter quem in receptione sua fuisset repulsus.

CONSTITUTIO QUÆDAM DE LEPROSIS.

Stat. Ant. p. 2. c. 23. num. 39 et 40.

Glossa ms. in Stat. Ant.

JESU CHRISTI

ANNUS 1237.

Gregorii PP. IX. Ann. 11.	Ordin. Cartus. Ann. 154.	Petri II Pr. Cart. Ann. 1.

DOMINICANI NON RECIPIENDI SINE LICENTIA SUORUM SUPERIORUM.

I. TRIGESIMUS septimus post millesimum ducentesimum Salvatoris adest annus, Indictione decima, quo magister Hugo de Sancto Theodorico, alias de Sancto Caro, Prior Ordinis S. Dominici in Francia et postea cardinalis, sciens plures e Dominicanis ad nos transire, adeo enixe apud Petrum Cartusiæ Priorem et cæteros Patres in comitiis (quibus Hugonem adfuisse verisimile est) congregatos causam egit, ut ab eis impetrarit quatenus nullus ex suis ad nostrum Institutum admitteretur, nisi prius obtenta a Superioribus licentia. Extant hujusmodi concessionis litteræ quarum autographum habuimus e nostra Divionensi cartusia, et est tale :

« Ego fr. P. Pauperum Cartusiæ qualiscumque dictus Prior, totumque Capitulum generale Ordinis Cartusiensis notum facimus universis nos, ad preces et instantiam venerabilis Patris nostri et amici specialissimi magistri Hugonis de Sancto Theuderio Prioris Fratrum Prædicatorum in Francia, concessisse ut neminem de Ordine Prædicatorum in nostro Ordine recipiamus sine litteris Superioris Magistri de Ordine Prædicatorum aut Prioris Provincialis. Et in hujus rei testimonium sigillum Cartusiæ apposuimus huic cartæ. Datum anno gratiæ MCCXXXVII, mense Majo. Apud Cartusiam tempore Capituli generalis. »

Item nec Fratres Minores.

Et in Charta anni ejusdem, per totum Ordinem omnibus

significatum est « ut de Ordine Prædicatorum nullum recipiamus in Ordine nostro, absque licentia Prioris Provincialis eorumdem. » Eadem gratia Patribus Franciscanis postea etiam concessa est. Unde Statuta Rifferii eadem pene verba habent : « De Ordine Prædicatorum vel Minorum nullus recipiatur absque licentia Prioris vel Ministri Provincialis eorumdem. » De Cisterciensibus et Præmonstratensibus idem sancitum fuisse vidimus sub regimine Basilii. Et ne quis horum Ordinum nimis importune admitti peteret, ad eorum animos ab hujusmodi voluntate avocandos, prohibitum fuit per Chartam anni 1268 ne ulli ex alio Ordine ad nostrum venienti aliqua committeretur obedientia. Quam prohibitionem sæpius posthac renovatam videbimus.

ANNUS 1237

Stat. Ant. p. 2 c. 23. n. 32.

Nec Cistercienses, nec Præmonstratenses.

II. Hoc præsenti anno, S. Ludovicus rex Franciæ quadraginta libras Turonenses annui reditus concessit Majori Cartusiæ ad alendos Priores toto tempore celebrationis Capituli generalis. Quam summam in Præpositura Turonensi collocavit, ut ex sequentibus litteris videre est :

S. LUDOVICUS REX BENEFACTOR CAP. GEN.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen. Ludovicus, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod pietatis intuitu et ob remedium animæ nostræ et animarum claræ memoriæ regis Ludovici genitoris nostri, serenissimæ matris nostræ Blanchæ, fratrum et antecessorum nostrorum, dedimus et concessimus in puram et perpetuam eleemosynam monachis Ordinis Cartusiensis quadraginta libras Turonenses annui reditus, ad pitanciam et procurationem dictorum monachorum cum ad ipsorum Capitulum conveniunt generale, percipiendas ab eis annuatim in Præpositura nostra Turonensi et eisdem vel eorum certo mandato in festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis singulis annis integre persolvendas. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri autoritate, et regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Aubeigniacum anno Incarnationis dominicæ 1237, mense Septembri, regni vero nostri anno undecimo, adstantibus in palatio nostro quorum nomina subposita sunt et signa. Da-

ANNUS 1237

pifero nullo, S. Roberti cubicularii, Camerario nullo, S. Amalrici constabularii. Data vacante Cancellaria. »

Hunc reditum pro Capitulo generali conventus cartusiæ Ligeti suis sumptibus debet exigere, juxta tabulas obligationis anno 1274 scriptas.

OFFICIUM *Salve sancta Parens* APUD NOS INTRODUCTUM.

III. Sub idem tempus potuit accidere quod Dorlandus de Officio *Salve sancta Parens* et de Missa B. Mariæ quotidiana narrat his verbis : « Olim in quibusdam Ordinis Domibus, agente diabolo, vis tanta tentationum incubuit, ut omnis sacræ Religionis disciplina Fratribus tædio esset. Psallere, orare, meditari, abstinere, jejunare videbatur molestissimum. Cumque ingens cum luctu et lacrymis omnium clamor ad Deum fieret pro remedio a facie tribulantis, misit Deus Angelum sanctum suum, qui uni ex illis piissimo viro locutus est, dicens : Propitiabitur vestri Mater misericordiæ Virgo Maria, si cum Horis ejus, quas quotidie legitis, Officium *Salve sancta Parens* inter Primam et Tertiam addere velitis, et Missam singulis diebus ad ejus honorem celebrare. Hæc ubi promulgata sunt, omnes statim amplexati sunt. Et revera postquam Cartusiensis Ordo has B. Virginis laudes assumpsit, ejusdem Deiparæ suffragiis semper est sublevatus. » Quandonam id evenerit non habet Dorlandus, quod tamen ad hæc tempora referimus, eo quod in additionibus ad Constitutiones Jancelini ab illius morte ad annum circiter 1250 factis, reperimus Officium illud introductum fuisse; ibi enim sic loquuntur Patres : « Consulimus et monemus, non tamen præcipimus, ut officium *Salve sancta Parens* dicatur in cellis. » Illius tamen institutio antiquior est, jamque nota erat Basilii temporibus, in cujus constitutionibus circa finem declaratur quod « in commemoratione B. Mariæ dicetur *Salve sancta Parens ;* ℟. *Benedicta et venerabilis ;* Alleluia, *Post partum ;* Offertorium, *Ave Maria ;* Communio, *Beata viscera.* » Per « commemorationem » vero hic intelligendum esse Missam sine communicatione et consecratione, discimus a Thoma Waldensi apud Stephanum Durantum. Attamen probabile est illius usum cœpisse tantum apud Nos communem fieri, circa

Dorl. lib. 5. cap. 9.

V. etiam Stat. Ant. p. 1. c. 36.

Constit. mss. Basil.

Durant. de Ritib. Eccles. lib. 2. c. 4.

tempus quo facta est præfata monitio quam Rifferius in Antiquis Statutis iteravit. In Novis vero Guillelmus Rainaldi declarat ad illud Officium nos teneri. Nostrum hunc morem laudat Joannes Molanus in notis ad vitam S. Alberti confessoris. De Missa vero quotidie facienda nihil in hujusmodi additionibus occurrit, sed in veteri chronico cartusiæ Bellilarici autor coævus, sub octavo Priore qui circa præsens tempus per septem annos præfuit, scribit quod « sub eo Missæ B. Virginis Mariæ sunt constitutæ, et reditus acquisiti quibus cerei et lucernæ ardentes ad Missas hujus B. Virginis quotidie celebrandas, debeant devote et venerabiliter inflammari. » Non dubium quin hæc consuetudo in plures alias Domos admissa tum fuerit, quam tamen a toto Ordine receptam et ab omnibus Domibus observari jussam tantum post centum annos legimus.

ANNUS 1237

Sta.No. p. 1. c. 5.

Mol. in Natal. Sanct. Belgii.

Chron. ms. Cart. Bellil.

V. ad an. 1335.

JESU CHRISTI

ANNUS 1238.

Gregorii PP. IX Ann. 12. | Ordin. Cartus. Ann. 155. | Petri II Pr. Cart. Ann. 2.

ALBERTI DE TURRE BENEFICIA ERGA DOM. PORTARUM.

I. SURGIT annus Christi millesimus ducentesimus trigesimus octavus, Indictione undecima, quo potens vir Albertus de Turre, cujus antecessores nostro semper Ordini faverant, et Beatrix de Coloniaco uxor ejus genus ducens a fundatoribus cartusiæ Siligniaci, ambo majorum exemplum secuti, in gratiam quoque Bernardi de Turre Portarum cartusiæ tunc Prioris, ac præsertim propter devotionem, ut loquuntur, amorem et benevolentiam quam nostri Portenses erga eos habebant, eamdem Portarum Domum resque illius omnes in suam clientelam adsciscunt, eamque, imo et totum Ordinem Cartusiensem, per terras suas ab omni eximunt vectigali, sub forma sequenti :

Ex Cartul. 2. Cart. Portar. fol. 138.

« Omnibus præsentem chartam inspecturis, Albertus dominus de Turre et Beatrix uxor ejus, rei gestæ notitiam cum salute. Noverint universi quod nos attendentes devotionem, amorem et benevolentiam quam Domus Portarum et Fratres ejusdem Domus erga nos et erga prædecessores nostros habuerunt, Domum ipsam cum omnibus pertinentiis suis, res mobiles et immobiles et grangias, personas et familiam ejusdem Domus, necnon et operarios qui ad opera eorum veniunt, illos similiter qui Domum prædictam visitabunt, sub nostra protectione et custodia et conductu recipimus bona fide; pascua quoque quæ antecessores nostri prædictæ Domui dederunt per totam terram nostram, et omnes alias elee-

mosynas seu beneficia quæ tam a nobis quam ab antecessoribus nostris præfatæ Domui sunt collata, eidem sine omni retentione firmiter confirmamus. Liberam quoque facimus eamdem Domum per totum dominium de *la Tor* et de *Cologniou* ab omni usagio quocumque nomine vocetur, sive sit pedagium, sive lædia, sive passagium aquarum, et specialiter ad portum Hugonis quod est prope Ambroniacum et ad portum de Charveis.

ANNUS 1238

II. « Id idem devote concedimus toti Ordini Cartusiensi. Et quia prænominata Domus Portarum pascua habet......... in quibus certum est, et nos etiam bene confitemur, quod nullus Dominus de Cologniaco nec de Turre debet inducere animalia nec pascere, nec aliquis alius nisi solummodo indigenæ, nisi de consensu et voluntate Domus Portarum; quia videlicet prædicta pascua eidem Domui valde sunt necessaria, in quibus multi eam frequenter molestant et injurias inferunt: promittimus firmiter, pro posse nostro, ab omnibus quicumque sint, sive extranei sive indigenæ, viriliter deffendere, et injuriam prædictæ Domus tamquam propriam nostram requirere et reputare. Igitur omnia supradicta, nos prædicti Albertus de Turre et Beatrix de Cologniaco pro remedio et salute animarum nostrarum nec non antecessorum nostrorum, Deo et sæpe nominatæ Domui Portarum et Ordini Cartusiensi in perpetuam eleemosynam damus et confirmamus, prout melius et certius potest intelligi pro utilitate Domus Portarum et Ordinis Cartusiensis, et quamdiu vixerimus prædicta promittimus deffendere et conservare et ad eadem omnia deffendenda obligamus omnes hæredes et successores nostros, sub debito fidelitatis et amoris quem hæredes et successores debent parentibus et antecessoribus suis. Et ut omnia supradicta rata et firma permaneant in perpetuum, præsentem chartam sigillorum nostrorum fecimus munimine roborari. Datum anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo trigesimo octavo, mense Aprili. »

ITEM ERGA TOTUM ORDINEM.

III. Petrus a Sabaudia, Augustæ Præpositus, Thomæ, hujus nominis primi, Sabaudiæ quondam comitis filius et

PETRUS A SABAUD. IDEM PRÆSTAT DOMUI PORTARUM.

ANNUS 1238

Amedei IV tunc regnantis frater, eamdem Portarum cartusiam hoc anno in suæ quoque tutelæ præsidium accepit, dato tali diplomate :

Ex Cartul. 2. Port. fol. 208.

« Petrus de Sabaudia, Præpositus Augustæ, universis amicis suis ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem et amorem. Noveritis quod nos Domum Portarum cum rebus suis omnibus habemus in nostra custodia et protectione, ad defendendum jus suum contra quemlibet sine juris alterius læsione, mandantes castellanis nostris de S. Regneberto et de Lognes* ut ipsos tanquam nostros ligios custodiant et defendant. Et in hujus rei memoriam præsentes literas eisdem dedimus sigilli nostri robore roboratas. Datum anno Domini MCCXXXVIII, XVI Calendas Augusti. »

* *Forte* Lompnes.

Guich. hist. Sabaud. lib. 2. cap. 12.

Ex his forsan corrigendi sunt qui præfatum Petrum scribunt uxorem jam duxisse anno 1233, cum in præscriptis literis dicatur Præpositus Augustæ.

JESU CHRISTI

ANNUS 1239.

Gregorii PP. IX Ann. 13.	Ordin. Cartus. Ann. 156.	Petri II Pr. Cart. Ann. 3.

I. ANNO Jesu Christi nono supra millesimum ducentesimum trigesimum, Indictione 12, ad Grandimontenses ad regularem disciplinam revocandos, duos Abbates Cistercienses et duos Cartusienses, scilicet Lioutandum et Petrum de Elemenc, cartusiarum de Ligeto et de Glanderiis Priores, iterum ac serio incumbere jussit Gregorius. Hi ut malum radicitus evellerent, Eliam Arnaldi Generalem Præpositum, tanquam turbationum autorem variisque irretitum criminibus, officio suo quantumvis renitentem et ad Sedem Apostolicam provocantem, plenis in Comitiis in prioratu apud Vincenas prope Parisios sito habitis, dejecerunt. « Post depositionem Eliæ (inquit Prior Villamedianus) electus est in Priorem Grandimontis vir valde religiosus Joannes de Aquila in dicta domo de Vincenis, ubi in ipso generali Capitulo ad reformationem Ordinis, quædam Statuta a præfatis Cisterciensibus et Cartusiensibus edita, per eos tanquam Apostolicos Visitatores et Reformatores promulgata fuerunt et ab ipsomet recens electo Priore recepta et approbata. » Horum Statutorum exemplum e prioratu........ recepimus, continentque viginti capitula Cisterciensium usus multum redolentia, unde observat laudatus Villamedianus, nonnullos autores scripsisse Ordinem Grandimontensem ad Cisterciensem spectare, quem Cartusiensibus aliquid de suis initiis debere alibi diximus. Eorum inscriptio talis est :

STATUTA PRO REFORM. ORD. GRANDIMONT.

Raynald. ad hunc annum.

Sammarth. tom. 4. Gal. Chr. in Abbat. Grand.

Jo. Levesq. Epit. Annal. Grandim. ad hunc an.

ANNUS 1239

Ex Bullario ms.Ord.Grandim. part. 42.

« Statuta per Abbates de Saviniaco et de Maseriis et Priores de Ligeto et de Glanderiis, Cistercienses et Cartusienses, reformatores a Gregorio IX constitutos, facta in domo de Vicenis durante Capitulo generali ibidem celebrato. Deinde sequitur prologus : Nos, fratres de Saviniaco et de Maseriis abbates Cisterciensis, et de Ligeto et de Glanderiis Cartusiensis Ordinum Priores, Visitatores et provisores in Ordine Grandimontis a Domino Papa Gregorio nono constituti, ad reformationem ejusdem Ordinis diligenter et devote secundum modulum nostræ parvitatis intendentes, saluti animarum Fratrum ipsius Ordinis providere cupientes, Statuta sequentia in Ordine Grandimontis præcipimus observari. » Sequuntur viginti capitula quorum primum est « de Ordine quem debent tenere Fratres in ecclesia et alibi. » Eorum conclusio talem habet tenorem : « Datum et actum et signatum a nobis quatuor Visitatoribus prædictis, apud Vicenos tempore Capituli gen., die lunæ proximo ante festum sancti Barnabæ Apostoli, anno Dom. MCCXXXVIIII ; M. abbas de Savigniaco, G*. abbas de Mazeriis, L. Prior de Ligeto, P. Prior de Glanderiis. » Statimque subjicitur acceptatio Statutorum per Priorem Grandimontis, his verbis : « Ego Joannes Prior Grandimontis, omnia Statuta ab Abbatibus de Savigniaco et de Mazeriis, et Prioribus de Ligeto et de Glanderiis Visitatoribus Ordinis per sanctissimum Patrem Gregorium IX summum Pontificem constitutis, in bosco de Vicenis durante Capitulo gen. facta, humiliter recipio, et in consensus et obedientiæ testimonium, signum et sigillum appono in Cella de Vicenis, die festo S. Barnabæ apostoli, anno Dom. millesimo ducentesimo tricesimo nono. F. J. Prior Grandimontis. » Sed hæc in eo statu diu non permanserunt, ut videbimus post quatuor annos. Eadem tamen Statuta a præfatis Abbatibus et Prioribus edita, ab aliis quoque Reformatoribus, scilicet Bertrando Moysiacensi abbate Ordinis S. Benedicti et fratre Bernardo Geraldi Fratrum Prædicatorum in Provincia Priore Provinciali per Honorium IV anno 1289 deputatis, confirmata sunt. Quæ omnia Clemens V anno 1310, nova pro eodem Ordine

* *Al.* B.

Ex eodem Bullario ubi supra.

condens Statuta, approbavit ac iterum confirmavit, scripto speciali capitulo quod est eorumdem Statutorum septuagesimum quartum. Et hunc habet tenorem : « Per prædicta vero vel per aliqua de prædictis, Regulæ, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, Statutis et aliis, in aliis casibus dicto monasterio Grandimontis et ipsi Ordini ab Apostolica Sede concessis, et editis olim per de Mazeriis et de Saviniaco Cisterciensis Ordinis monasteriorum abbates et collegas suos (videlicet nostros Priores Cartusienses), ac postmodum per Abbatem Moysiaci et Fratrum Prædicatorum in Provincia auctoritate Apostolica pro reformatione et bono statu ipsius Ordinis factis, et etiam Statutis sæpedicti Ordinis licitis et honestis; quæ quidem omnia supradicta in suo robore volumus permanere, nisi quatenus iis contraria reperta fuerint, nullatenus derogetur. »

ANNUS 1239

Ex eod. Bull. part. 3.

Eodem anno, Valnavesius de la Mira, Majoris Cartusiæ benefactor, mille solidos apud Canonicos de Miseriaco constituit, ut ex possessionibus inde comparandis certus vini et frumenti numerus singulis annis Cartusiæ monachis ab ipsis Canonicis solveretur, residuum vero ecclesiæ de Miseriaco cederet. Sunt literæ hujus fundationis quos Eustachius Canonicorum Prior scripsit, cuncta approbante P. episcopo Gratianopolitano.

Valnavesius de la Mira benefact. Cartusiæ.

II. Hoc anno Gregorius IX audiens quanta patrarentur miracula ad tumulum B. Odonis cartusiæ Casularum quondam Monachi, de quo multa jam alibi retulimus, Abbatem sancti Martini de Turano et Custodem Franciscanorum monasterii in diœcesi Marsicana siti designavit; qui de ejus vita et miraculis diligenter inquirerent, ut inquisitione facta ipsum in Sanctorum numerum adscriberet. Hujus Pontificis ad prædictos delegatos litteræ, in eorum actis hoc anno et sequenti exscriptis, eo, qui sequitur, tenore continentur. »

GREGORIUS QUÆSITORES NOMINAT QUI DE MIRACULIS B. ODONIS INQUIRANT.

Vid. ann. 1189 et 1200.

« In nomine Dei æterni, amen. Sanctissimo Patri et Domino Gregorio, Dei gratia Summo Pontifici, Machabæus humilis abbas S. Martini de Turano, Reatinæ diœcesis, et frater Petrus custos Fratrum Minorum in Custodia Marsicanæ diœce-

ANNUS 1239

sis, devotionem omnimodam, et terram ante sanctissimis vestræ Beatitudinis genibus obsculari. A Sanctitate vestra litteras accepimus in hac forma : Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati de Turano Reatino et fratri Petro Custodi Fratrum Minorum Marsicanæ diœcesis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ad audientiam nostram, fide dignorum relatione, pervenit quod per merita quondam Odonis monachi Cartusiensis, cujus corpus in monasterio Sanctorum Cosmæ et Damiani de Taliacozo, Marsicanæ diœcesis, requiescit, Dominus Jesus Christus multa et magna operatus hactenus miracula extitit et etiam nuper ostendere in sui est corporis translatione dignatus. Quapropter cum viri tanti memoria non debeat apud homines deperire, nos super hoc plenius certificari volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus habentes præ oculis solum Deum, inquiratis de vita ipsius et super præmissis diligentius veritatem ; et quæ inveneritis fideliter in scriptis redigentes authenticis, sub sigillis vestris apud aliquem religiosum locum eadem deponatis, ad Sedem Apostolicam nullatenus transmissuri nisi super hoc a nobis mandatum receperitis speciale. Datum Laterani quarto Idus Decembris, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

« Nos autem Apostolicum mandatum exequi volentes et tam pio operi devotum impendere famulatum, accessimus ad ecclesiam Sanctorum Cosmæ et Damiani de Taliacozo, adhibitis nobiscum viris providis et discretis, videlicet Abbate de Sorbo, venerabili viro ; et duobus Fratribus Minoribus, scilicet presbytero Gregorio de Rocca de Silice et diacono Joanne de Castroveteri ; et duobus tabellionibus, videlicet magistro Petro et Joanne Danielis de Colleficato, quorum omnium subscriptiones et signa inferius adnotantur. Testes quos ibidem invenimus super vita, conversatione, actibus, obitu et miraculis illius sancti Patris, quæ Deus per ejus merita in vita ipsius beati Viri dignatus est et nunc in nostris temporibus revelare, licet moderna satis sint ex ipsa novitate flagrantia, jurare fecimus et juratos examinavimus diligenter.

Quorum dicta in duobus scriptis consimilibus redigi fecimus, dictorum tabellionum signis et subscriptionibus subsignata, et tam nostris quam tabellionum quos nobiscum adhibuimus munita subscriptionibus et consignata sigillis, ad memoriam in duobus monasteriis (scilicet unum in monasterio Sublacensi et aliud in monasterio S. Pauli de Urbe) reponi fecimus ne aliqua possit inseri falsitatis elusio, Apostolico cum placuerit conspectui præsentanda; relinquentes nihilominus unum consimile scriptum in monasterio ubi corpus ejus sanctissimum requiescit. Quorum dicta hæc sunt.... » Deinde sequebantur interrogationes et responsa testium circa B. Odonis vitæ sanctitatem, mortem, et ab eo patrata tum in vita tum post mortem miracula; quæ omnia, cum annis 1189 et 1200 retulerimus, hic tantum quæ de corporis illius translatione ac inde secutis miraculis in præfatis Actis habentur, subjicimus. ANNUS 1239

« Archipresbyter Oderisius juratus et interrogatus de revelatione modo habita et translatione corporis ejus, dixit quod cum B. Odo inter alios fuisset sepultus et ibidem usque ad hæc tempora quievisset, dictus Sanctus apparuit ipsi testi in visione nocturna, et præcepit ei quod diceret Abbatissæ loci ut ejus corpus inde amoveri faceret, et prope altare in ipsa ecclesia sepeliret. Et cum crederet ipse testis illusionem fantasticam esse, apparuit ei cum magna claritate secundo et tertio mandans et præcipiens illud idem. Qui cum Abbatissæ dictam visionem narrasset, dicta Abbatissa congregato Clero et populo castri, fecit B. Odonis tumulum aperire, cujus corpus ibidem inventum est adeo integrum quod nec capilli capitis ceciderant, nec multum erat ejus facies immutata, sed totum integrum corpus cum carne et ossibus inventum fuit ibidem, et obvolutum pluviali reverenter fuit per Clericos in ecclesiam deportatum.

Ejùs corpus post 40 annos revelatur.

Integrum reperitur.

« Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit et audivit et interfuit omnibus supradictis. Interrogatus de tempore, dixit quod dicta translatio facta fuit de anno proxime præterito mense Aprili. Interrogatus de die, dixit quod die Dominico octavæ Paschæ Resurrectionis.

In ecclesiam defertur.

ANNUS
1239

SEQUUNTUR
MIRACULA.

III. « Dixit insuper idem testis quod ex quo fuit illud sanctum corpus in ecclesia deportatum, statim cœpit divina Potentia ad invocationem nominis B. Odonis plurima et magna miracula demonstrare, ita quod ipse testis vidit filiam cujusdam ferrarii de Taliacozo, nomine Florentiam, patientem in oculo quoddam malum et maculam quæ medicorum remediis non potuerat liberari, et ad invocationem nominis B. Odonis, digito ipsius Sancti super oculo imposito, sanum illum recepit ex toto. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit et audivit et interfuit. Dixit etiam se vidisse quemdam juvenem de Taliacozo, nomine Raynaldum, filium cujusdam militis nomine Jacobi, per tres annos gravi infirmitate detentum, tumidam scilicet habentem faciem et mente perditum, domum exire nolentem, neminem videre vel audire potentem, dormire non poterat nec opus aliquod exercere : et cum deductus esset ad locum ubi corpus B. Odonis translatum erat, ad invocationem ipsius sanctissimi Patris integre restitutus fuit ad omnia ita quod deinde sanus et hilaris fuit ; et hoc fuit proxime præterito mense Aprili, in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani ante sepulchrum B. Odonis. Interrogatus de die, dixit quod non recordabatur.

« Dixit insuper se vidisse postea quamdam mulierem de Tibure, nomine Mariam, a dæmonio vexari et dicentem se fuisse obsessam ab eodem per decem et octo annos, quam meritis B. Odonis coram ejus tumulo præsentatam vidit exinde liberatam.

« Dixit etiam idem testis se vidisse quamdam mulierem de Canzio, nomine Mariam, contractam manibus, quæ dicebat per. . . annos fuisse contractam, præsentatam ante sepulchrum B. Odonis et ibi per duos dies morantem devote, quæ meritis ipsius beati Odonis liberata recessit. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit eam et prius patientem et postea liberatam.

« Dixit etiam quod vidit quamdam puellam de Taliacozo, filiam Berardi Natalissimi, diu contractam fuisse et omnibus viribus a clunibus inferius destitutam, et deportari ad tumu-

lum B. Odonis, quam ad invocationem ejus nominis statim vidit liberatam. Interrogatus qualiter sciret hæc omnia prædicta, dixit quod omnia prædicta vidit et audivit et interfuit. Interrogatus de tempore et mense, die et loco, dixit quod dictæ mulieres liberatæ fuerunt hoc præsenti anno, mense Aprili proxime præterito, in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani de Taliacozo ante corpus B. Odonis ; de die vero non recordari, scire tamen quod dicta miracula fuerunt intra quindecim dies post translationem beati Odonis.

ANNUS 1239

« Oderisius Guaraclerii de Alto Sanctæ Mariæ, juratus et interrogatus, dixit se diu fuisse privatum lumine oculorum et passum dolorem capitis, qui cum nullo medicorum potuisset remedio liberari, licet a pluribus auxilium implorasset et medicamentis variis fuisset usus, tandem ductus ad corpus B. Odonis et ejus manu deducta per oculos suos et caput, confestim restitutus fuit lumine oculorum, et dolore capitis liberatus. Interrogatus de tempore dixit quod fuit hoc præsenti anno et proxime præterito mense Aprili ; de die non recordabatur.

« Blasius levita, interrogatus et juratus, dixit se interfuisse translationi et vidisse quemdam juvenem de sancto Donato deportari per patrem suum ad corpus B. Odonis, qui erat claudus et fuerat in asello delatus, secundum relationem patris ; et cum jacuisset aliquantulum ante corpus B. Odonis, vidit eum idem testis sic surgere sanum ut de per se ambularet per ecclesiam et extra, ipso vidente cum cereo in manu accenso. Interrogatus de nomine juvenis dixit quod non recordabatur.

« Idem præterea dictus testis dixit quod vidit quamdam puellam de Villa S. Benedicti contractam et sic perditam quod per se ambulare non poterat ; et vidit eam deprecari et jactari ante corpus B. Odonis, et cum aliquandiu jacuisset invocato B. Odone, vidit eam surgere et per ecclesiam ambulare ; et post dies aliquot vidit eam per se ad ecclesiam reverti, et hoc fuit mense Aprili, de die vero non recordabatur.

« Dixit insuper idem testis quod vidit quemdam puerum in

ANNUS 1239 fascia positum, manibus et pedibus contractis, quas ipse testis vidit et tenuit, de castro S. Michaelis; et vidit eum deferri ad corpus B. Odonis, et dum ibi paululum jacuisset vidit eum liberatum, ita quod manus prius contractas in altum extendit in conspectu multorum.

« Dixit etiam idem testis quod vidit quemdam de dicto castro S. Michaelis, filium Bartholomæi Joannis Porrei, nomine Theodinum, qui erat surdus, venire ad corpus B. Odonis ut sanaretur, et jacuit ante corpus per diem unum, et die altera vidit eum liberatum audientem et respondentem, et vidit putredinem exire de auricula ejus quando liberatus fuit.

« Dixit præterea ipse testis quod vidit quamdam mulierem de Sorbo, nomine Mariam, contractam crure et pede, calcaneo retorto usque ad nates, deferri in asino ad corpus B. Odonis, quæ cum jacuisset ibi per diem et noctem non liberata recessit; sed post paucos dies vidit eam cum Clero et populo illius villæ venientem liberam meritis B. Odonis sicut ipsa dicebat, quia in somnis apparuerat sibi et sanaverat eam; et hoc fuit dicto mense Aprili. Hæc ipso referente erat sexdecim annorum.

« Dixit insuper idem testis quod vidit quamdam mulierem de Tibure, nomine Mariam, a dæmonio vexari in ecclesia prædicta ante sepulchrum B. Odonis, mordentem imagines et expuentem in eas, morari ibi per aliquot dies, quæ liberata fuit et sana recessit meritis B. Odonis, sicut ipsa retulit et alii plures; et fuerat vexata per annos decem sicut ipsa dixit et filius ejus.

« Dixit idem quod vidit quemdam de Viconario, nomine Petrum, a dæmonio vexari, ad corpus B. Odonis deferri et cum stetisset ibi per aliquot dies extitit liberatus, qui dicebat se fuisse vexatum per tres annos.

« Item dixit quod vidit quamdam mulierem de territorio Celani a dæmonio vexari in ecclesia dicta, ita quod in clamore ejus fugiebant adstantes; et cum appropinquasset ad corpus B. Odonis confestim liberata fuit, quæ a pueritia sua vexata erat, sicut ipsa dicebat.

« Illud quoque miraculum dixit se vidisse de muliere de Collibus nomine Theodora, quæ habebat collum tortum et caput inflexum ad humeros, et sicut ipsa referebat hoc passa fuerat per duos annos, et præ dolore die noctuque clamabat; quæ cum accederet ad corpus B. Odonis, invocato ejus auxilio liberata fuit. ANNUS 1239

« Illud quoque, miraculum vidit de quodam juvene, nomine Petro de Olerito, qui patiebatur morbum caducum, et veniens ad corpus beati Odonis extitit liberatus.

« Dixit insuper idem testis quod vidit quamdam mulierem viduam de Cangio, quæ habebat manus ambas contractas, venientem ad sepulchrum B. Odonis; diutius oravit et fuit liberata velociter.

« Dixit denique idem testis se vidisse quamdam puellam, filiam D. Berardi de Pileo, venientem ad corpus beati Odonis, referentem se infirmitatem pessimam passam fuisse ita quod per tres dies amiserat loquelam, et dicentem vidisse B. Odonem in somnis dicentem sibi: Vade ad cellulam quam habeo in Taliacozo, quia sanaberis ex toto; et extracto annulo quem habebat in digito suo signavit eam signo crucis cum eodem annulo, et sic excitata surrexit et melius se habuit. Postmodum veniens ad locum ubi corpus B. Odonis jacebat et videns corpus sanctissimi Patris, ipsum reverenter adoravit, et intuens manus ejusdem Sancti vidit annulum in digito ejus quo sanaverat ipsam in somnis, quem recognovit; referens gratias Deo et corpori sancto, statim ex toto liberata surrexit.

« Dixit etiam idem testis quod quando discooperiebatur sepulchrum B. Odonis odor suavissimus emanabat; quo discooperto, inventa fuit ad caput ejus quædam crux parvula lignea et integra.

« Nicolaus Blasius, juratus et interrogatus, se interfuisse translationi dixit cum Clero et populo de Taliacozo, et cum laici niterentur aperire sepulchrum cum instrumentis ligneis et ferreis, ipsum aperire non potuerunt, donec venerunt Clerici parati cum crucibus, thuribulis et aqua benedicta; qui cum adolevissent, sepulchrum ipsum sine difficultate ape-

ANNUS 1239 ruerunt, et discooperto odor suavissimus ex eo flagravit, et corpus ejus invenerunt et crucem, et tulerunt sicut levita Blasius dixit.

« Interrogatus de miraculis, dixit quod dum ipse testis pateretur scrofulam in gutture, super imposita sibi manu B. Odonis et cruce quæ inventa fuit ad caput ejus, statim liberatus fuit.

« De muliere de Tibure dixit idem quod levita Blasius, et addidit quod vidit eam deportari in clamide ad corpus B. Odonis, et audivit illam clamantem et dicentem ei : Senex cur me affligis ?

« Item dixit quod vidit quamdam mulierem de Viconario, nomine Mariam, a dæmonio vexari in dicta ecclesia SS. Cosmæ et Damiani, quæ venerat ad corpus B. Odonis ; et cum repræsentasset se corpori sancto, liberata fuit evomendo sanguinem nigrum ante ipsum corpus.

« Raynaldus Bonjoannis clericus, juratus et interrogatus, dixit quod vidit quemdam de Alto Sanctæ Mariæ venire contractum ad corpus sancti Odonis, sustentatum baculis ex utraque parte ; et cum repræsentaret se corpori B. Odonis confestim fuit liberatus, ita quod ibidem dimisit baculos et recessit gaudens de tanto miraculo.

« Item dixit se vidisse quemdam hominem de Rocca Elici venientem ad corpus B. Odonis, qui erat surdus, et aliquantulum morando ibi recepit auditum.

« Item dixit se vidisse quemdam juvenem de Colle de Macinis habentem manum contractam, et cum repræsentasset se corpori B. Odonis extitit liberatus.

« Item dixit quod vidit quemdam cæcum et ducatu venire ad corpus B. Odonis ; qui cum repræsentaret se corpori sancto et aliquantulum moraretur ibidem, invocato nomine B. Odonis visum recepit et oculos, et sine ducatu recessit.

« De muliere arreptitia de Tibure dixit idem quod levita Blasius, addendo quod in liberatione illius extinctæ fuerunt sex lampades coram sepulchro, præsentibus Abbate de Sorbo et levita Blasio.

« Item dixit quod ipse testis fuerat passus a tempore recordationis suæ quemdam morbum in sinistro brachio, de quo sanies in tantum exibat quod omnes pannos diurnos et nocturnos dissipabat; qui cum nullo potuisset medicorum remedio liberari, devovit se B. Odoni et repræsentavit se corpori ejus supponens brachium corpori sancto, et statim liberatus fuit. ANNUS 1239

« Presbyter Joannes Inversi, juratus et interrogatus, dixit quod vidit Joannem Girardi qui fuerat privatus unius oculi, et diffisus consilio medicorum, B. Odonis meritis dixit postea se visum recuperasse; et ipse testis expertus fuit quod visum recepit idem Joannes.

« Item dixit quod vidit quemdam insanum seu maniacum de Tuffo deductum fuisse ad corpus B. Odonis ligatum manibus et pedibus, et cum stetisset ibi per octo dies parum aut nihil comedens liberatus fuit, ita quod recessit ad propria sanus, et iterum reversus est ad ecclesiam præfatam liberatus et gaudens, ad reddendum laudes Deo et corpori sancto pro sanitate recepta.

« Item dixit se vidisse uxorem Benedicti Pagani de Taliacozo, nomine Amabilem, quæ erat privata lumine oculorum, et præsentata ad corpus B. Odonis statim lumen recepit.

« Presbyter Joannes Gravinelli, his quæ a Blasio levita de muliere dæmoniaca Tiburina relata sunt, addidit quod pluries et turpiter evomendo sanata fuit et liberata a pluribus dæmoniis sicut ipsa dicebat et clamabat, præsentibus Blasio judice, Gandulpho et aliis pluribus.

« Item dixit quod vidit quemdam de Alto S. Mariæ, Oderisium nomine, venientem ad tumulum B. Odonis, qui erat privatus lumine oculorum et hemicraneum dolorem patiebatur in capite, sicut ipse testis fuit expertus; et cum per aliquot dies ibi moram protraheret, visum recuperavit et a dolore hemicraneo fuit liberatus invocato nomine B. Odonis, et hoc fuit proximo mense Aprili; de die non recordabatur.

« Item dixit quod vidit quemdam militem de Zuculo, nomine Rogerium, qui, sicut ille dicebat et ipse testis fuit expertus,

ANNUS 1239

longo tempore surdus extiterat, venire ad corpus B. Odonis cum magna devotione; et ibi aliquandiu moram contrahens, imposita cruce quæ fuerat inventa ad caput B. Odonis super auribus ejus, auditum statim plane recepit, proximo mense Aprili, in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani de Taliacozo.

« Item dixit se vidisse quamdam puellam de Pontibus delatam esse ad corpus B. Odonis, quæ erat contracta a clunibus usque ad talos et vitio fistulæ laborabat, sicut ipsa et pater ejus dicebant; et moram contrahens ibi per aliquot dies fuit a dictis langoribus liberata, ita quod quæ prius ambulare non poterat sed ab aliis portabatur, ambulavit postmodum suis pedibus, asserens se firmiter esse ab infirmitate liberatam.

« Item dixit se vidisse quemdam hominem de Penna, qui ex quadam ægritudine effectus erat adeo curvus quod quasi erat usque ad genua inclinatus; et veniens ad corpus B. Odonis et ibidem parum demorans sanus recessit, ita quod directus coram adstantibus ambulabat.

« Item dixit se vidisse quemdam de Cellis, nomine Martinum, qui erat contractus manibus et pedibus et erat surdus et mutus; et veniens ad corpus B. Odonis et ibidem moram contrahens per aliquot dies, liberatus fuit ab infirmitatibus antedictis.

« Oderisius Tostonis, juratus et interrogatus, dixit se vidisse quemdam Monachum de Crypta Ferrata pati podagram et chyragram, qui audita fama B. Odonis vovit se ei, et cum idem testis attulisset illi de pannis ipsius Sancti, cum summa devotione recepit et liberatus est.

« Item dixit quod vidit quamdam mulierem, nomine Amabilem, paraliticam et surdam; et cum deducta fuerit ad corpus B. Odonis libera extitit.

« Levita Bartholomæus, juratus et interrogatus, dixit se vidisse quemdam de Taliacozo, nomine Joannem Girardi, privatum lumine unius oculi per duos annos sicut ille dicebat, et ipse testis vidit quia auxilium postulaverat ab eo multoties; et cum veniret ad corpus B. Odonis, inclinato capite posuit manus super corpus B. Odonis et lumen recepit incontinenti;

« Pandulphus diaconus, juratus et interrogatus, dixit quod vidit D. Episcopum Treventinum accedere ad tumulum B. Odonis, et cum magna reverentia et afflictione fecit eum discooperire; et eo discooperto vidit quod quidam Frater Minor, accepta manu B. Odonis, deduxit per maxillam Berarducciæ, filiæ Oderisii de Petro, quæ patiebatur in ea fistulam de qua ossa fuerant evulsa, et confestim fuit sanata. ANNUS 1239

« Item dixit se vidisse quamdam puellam de Castro Morrei, nomine Lætitiam, quæ habebat crura sicca, delatam ad corpus B. Odonis, quæ nullo modo poterat ambulare; et cum moraretur ibi per aliquot dies, meritis ipsius Beati Odonis extitit liberata.

« Joannes Berardi, juratus et interrogatus, dixit quod cum ipse habebat quamdam filiam, nomine Altegrimam, quæ per tres annos fuerat contracta ita quod de loco in locum non poterat se movere sine adminiculo, deportata vero ad corpus B. Odonis post translationem ejus, confestim liberata fuit præsenti anno. De mense et die non recordabatur.

« Ugo de Taliacozo, juratus et interrogatus de translatione, dixit se vidisse quamdam mulierem de Monte Allican, nomine Raynalducciam, quæ erat hydropica, omnia membra tumida habens et ventrem; quæ cum deportata fuisset ad corpus B. Odonis et ibi per aliquot dies moraretur, meritis B. Odonis extitit liberata.

« Joannes de Collis, juratus et interrogatus, dixit se vidisse quemdam puerum quinque annorum et plus, filium Philippi Leonardi de Collis, contractum taliter quod nunquam ambulaverat aliquando nec poterat ambulare; et ipse testis deportavit eum ad corpus B. Odonis, et dum ipsum aliquantulum servaret ibidem, confestim ambulare cœpit et pergens per totam ecclesiam sanus recessit ad propria.

« Palomba uxor Joannis de Montesciano, jurata et interrogata, dixit quod cum ipsa fuisset privata lumine dextri oculi per sex annos et habuisset eumdem oculum dealbatum, ex toto desperata consilio medicorum, accessit tandem ad corpus B. Odonis tempore translationis ejus et devovit se ei et

ANNUS 1239 confestim recepit lumen. Dixit etiam quod filia sua Gemma amiserat sinistrum oculum ex variolis, ita quod a nativitate sua non videbat cum illo oculo, et deducta ad corpus B. Odonis statim recepit lumen.

« Barbatus, juratus et interrogatus, dixit quod cum ipse per duodecim annos passus fuisset dolorem capitis et surditatem aurium, et propter hoc fuisset ad balnea et in nullo sibi profuissent, venit postmodum ad corpus B. Odonis et devovit se ei, et sic liberatus fuit.

« Maria Stephaniæ, jurata et interrogata, dixit quod cum ipsa privata fuisset lumine sinistri oculi per viginti annos, et asma fuisset passa per septem annos, et in inguine fistulam per tres annos, repræsentavit se corpori B. Odonis, et meritis ipsius confestim liberata fuit.

« Joannes de Luppa, juratus et interrogatus, dixit quod cum filia sua Maria fuisset passa febrem erraticam per septem menses, et etiam tenasmum, deducta fuit ad corpus B. Odonis et statim liberata fuit; et hoc fuit proximo mense Aprili.

« Petrus Ægidii liberalis, juratus et interrogatus, dixit quod cum ipse passus fuisset morbum caducum, cujus accessionem frequenter habebat et in accessione spumabat et privabatur sensu et motu voluntario, remanendo tantummodo ei motus anhelandi; et cum deportatus fuisset ad corpus B. Odonis, morando ibi aliquantulum extitit liberatus.

« Presbyter Gentilis, juratus et interrogatus, dixit quod cum ipse habuerat quamdam neptem, nomine Bonam, flante salso cum pruritu graviter impeditam, quæ nullo medicorum potuerat remedio liberari; venit ad corpus B. Odonis cum reverentia et devotione magna, et ejus nomine invocato confestim liberata fuit.

« D. Matthæus de Collibus, juratus et interrogatus, dixit quod cum quædam mulier de Tibure, nomine Bentevolla, passa fuisset quamdam ægritudinem, amiserat exinde medietatis corporis sui sensum et voluntarium motum, unde cum medicorum auxilio liberari non potuisset, venit ad corpus B. Odonis et devovit se ei, et sic extitit liberata.

« Oderisius de Alto S. Mariæ, juratus et interrogatus, dixit quod cum ipse fuisset contractus per septem annos, ita quod ambulare non potuerat nisi duobus baculis fulciretur, et nullo medicorum remedio liberari potuisset, deportari se fecit ad corpus B. Odonis, et cum devote se præsentaret eidem, confestim liberatus fuit. ANNUS 1239

« Bona de Sancto Benedicto, jurata et interrogata, dixit quod cum ipsa fuisset contracta cruribus per tres annos, et nullo potuisset medicorum auxilio liberari, tandem deportata fuit ad corpus B. Odonis et confestim liberata fuit.

« Petrus Ægidii, juratus et interrogatus, dixit quod cum ipse passus fuisset quoddam apostema in gutture ita quod expuere non potuerat nec etiam aliquid transglutire, venit ad corpus B. Odonis et devovit se ei, et statim emisit putredinem per os et liberatus extitit.

« Bartholomæus Joannis Aczarelli, juratus et interrogatus, dixit quod vidit quamdam mulierem de Collis, nomine Mariam, quæ diu habuerat manum contractam et linguam impeditam, ita quod loqui non potuerat, et veniens ad corpus B. Odonis, cruce quæ ad caput ejus inventa fuit deducta super os mulieris, statim liberata fuit. »

Plures alii testes in ejusdem inquisitionis tabulis nominantur, qui jurati et interrogati, præfatorum miraculorum veritatem cum variis eorum circumstantiis testificati sunt, quos brevitatis causa hic præterimus. Harum tabularum extrema clausula hæc erat :

« Actum est apud Taliacozum, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quadragesimo, Pontificatus D. Gregorii Papæ Noni anno tertio decimo, mense Januario, tertia decima Indictione.

« Ego frater Petrus, Custos Fratrum Minorum in Custodia Marsicana. Ego Machabæus, abbas de Turano.

« Joannes Danielis de Collefìcato, Imperiali autoritate publicus notarius, his omnibus interfui, et a dictis Abbate de Turano et fratre Petro rogatus subscripsi et in publicam formam redegi. Ego magister Petrus de Collefìcato, Dei gratia

ANNUS 1239

Imperiali autoritate publicus notarius, rogatus a dictis Abbate de Turano et fratre Petro his omnibus ut supra scriptum est interfui et meum signum feci. Ego Frater S. Ego frater Joannes de Castro Veteri. Ego Nicolaus, abbas de Sorbo. »

Hactenus Acta inquisitionis in vitam et sanctitatem B. Odonis factæ, quibus etiam usi sunt in suis Annalibus Bzovius et Odoricus Raynaldus. Richardus vero notarius de Sancto Germano, eodem vivens tempore, in suo Chronico (quod Ughellus ad calcem tomi III *Italiæ sacræ* edidit) de B. Odone sic meminit ad ann. præsentem : « Mense Maio in Marsia apud Talliacotium quidam sanctus Oddo revelatur, qui miraculis multis claruit. » Unde citatus Raynaldus eum vocat : « Religiosum virum vitæ sanctitate insignem, qui cum jam diu ante (inquit) sanctissime obiisset, Marsiam per hæc lugubria tempora maximis miraculis collustravit. » Quamobrem jure merito Joannes Bollandus miratur, quod ejus nomen in nullo repererit Martyrologio. « Miraculis tamen certe, inquit, et religioso hominum ad ejus sepulcrum concursu, ita a quatuor jam seculis, et quod excurrit, celebrem fuisse constat, ut Gregorius IX Pontifex Maximus (qui ab anno 1227 ad 22 Augusti 1241 sedit) de eo in Sanctorum album ascribendo egerit, et quidem ascripsisset si diutius supervixisset. Unde mirum quod ita diu tanti Viri memoria apud autores latuerit. » Theophilus Raynaudus, Soc. Jesu, in suo *Stylita mystico* et quidam alii recentiores ejusdem tanquam Sancti meminerunt.

GIRANDUS PRIOR BELLILARICI MORITUR.

IV. Obiit hoc anno Girandus, qui et Girardus, professus Excubiarum, Prior quartus Bellilarici, de quo Chronicon ejusdem Domus ab authore coævo editum sic loquitur : « Deinde Girandus, monachus Excubiarum, quartus Prior extitit et Domum quindecim annis strenue gubernavit. Qualis ergo esset et quantis moribus apud Dominum et homines præemineret, advertite. Erat statura procerus, calvitie venerandus, incessu maturus, eloquio facundus, moribus et vita gratiosus, adeo ut apud Nobiles et ignobiles, apud magnates et plebeios tantam familiaritatem et gratiam, maxime erga

bonæ memoriæ Guidonem olim comitem Nivernensem et Forensem invenerat, quod pene tantumdem pratorum, terrarum et vinearum Domui nostræ acquisivit, quantum ab ipsa fundatione Domus ab Hervæo comite fuerat impertitum. Hoc siquidem testantur cartulæ donorum et eleemosynarum quæ in tempore illius a fidelibus contigit erogari, quod in nulla fere cartula invenitur, quin in ea Girandi vocabulum non scribatur. Hic quindecim annis, Domino cooperante, Domum nostram ita efficaciter rexit ut, prioratus ejus tempore, sancti Viri Stephani primi Prioris prophetia, (ut superius meminimus,) sit completa. Prædixerat Vir sanctus in morte sua, Domum Bellilarici in paupertate et pendulo permanere quousque anni quindecim complerentur. His igitur transactis annis, feliciter migravit ad Dominum; sepultusque est extra ecclesiam directe retro altare, interposito scilicet ejusdem ecclesiæ muro. Et hoc siquidem industrie et juste factum fuit, ut qui fundator et patronus ecclesiæ extiterat, ibidem illius corporis gleba honorifice conderetur. Juxta illum quoque sepulti sunt tres alii Priores, Bartholomæus Vallis Sancti Petri Monachus a dextris illius, a sinistris vero Britius quondam decanus Antissiodorensis et alter Bartholomæus, Domus nostræ ambo Monachi. »

ANNUS 1239

V. Cum scriptis armisque Friderici Imperatoris crudeliter Gregorius Papa exagitaretur, ad conciliandum sibi divinum numen per Beatæ Mariæ virginis patrocinium, instituit ut in Ecclesia præcellens et devotissima antiphona *Salve Regina* caneretur, certisque adderetur divini Officii Horis. Hanc vero salutationem sive precationem multis ante annis, sæculo videlicet undecimo, ab Hermanno Contracto compositam plerique volunt, licet Durandus ejus autorem statuat Petrum Compostellanum. A fundatione nostri Ordinis apud Nos receptam et cantari solitam esse conjicimus ex Guigonis Consuetudinibus ubi dicitur : « Sabbato primæ Adventus dominicæ cohærenti, commemorationem de Sancta Maria usque ad primam post Octavas Epiphaniæ diem intermittimus »; nempe ad Laudes et Vesperas, ut exponitur in Antiquis Sta-

ANTIPHONA SALVE REGINA QUANDO INTER NOS RECEPTA.

Bzov. ad hunc an. n. 8.

Durandus lib. 4. cap. 22.

Cap. 2. n. 1.

P. 1. c. 2. n. 3.

ANNUS 1239

tutis. Sed quales essent istæ commemorationes, non exprimitur quidem; eas tamen fuisse, nempe antiphonam *Tota pulchra es* ad Laudes, et *Salve Regina* ad Vesperas verissimile est : quandoquidem Statuta posteriora eisdem verbis hujusmodi commemorationes semper designarunt, nec uspiam, sive in Supplementis ad Consuetudines Guigonis sive in aliis Collectionibus, aut etiam in Chartis capitularibus quæ innumeras mutationes aut additiones multo minoris momenti circa divinum Officium factas continent, ulla fit mentio institutionis hujusmodi precationis. Unde non levis est conjectura eam jam fuisse apud Nos in usu ab ipsis Ordinis incunabilis. Nam et ante tempora Gregorii IX, canticum istud in Germania et Gallia certis divinæ rei Horis recitatum fuisse scribit abbas Urspergensis. Præfatus vero Gregorius illud per omnes orbis totius ecclesias decantari præcepit.

Wion. lib. 5. ligni Vitæ cap. 105.

Cistercienses hanc orationem quater tantum in anno concinnebant tempore sancti Bernardi, ut ipsemet B. Abbas sub initium primi super hanc antiphonam sermonis his verbis testatur : « Dulce canticum ac nobilissimum melos, quod in honorem Sanctæ Mariæ *quater* in anno Ordo noster devotissime concinit, ad ædificationem nostram discutiendum, Fratres, assumpsimus, etc. » Hæc ille. Ex quo etiam notandum quod prima hujus orationis verba referens, dictionem *Mater* omisit. Sic eam inchoans, *Salve Regina misericordiæ,* quod Nos etiam facimus, et ita invenitur apud Cæsarium in ejus Dialogis, et apud Trithenium in Chronico Hirsaugiensi. Idem S. Bernardus autor agnoscitur trium illarum exclamationum, quibus idem canticum clauditur, nempe : *O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.* Ordo Prædicatorum hanc antiphonam videtur serius universim admisisse, quam post Horas in Choro flexis genibus dicendam præcepit Capitulum generale ejusdem Ordinis centesimum nonum, Lemovicis celebratum circa annum 1350, ut in ejus Chronicis legitur. Attamen Theodoricus de Apoldia in Vita S. Dominici, Fratrum Ordinis sui fervorem enarrans, eamdem sacram antiphonam ab ipsis jam tunc esse frequentatam asserit, dicens Fratres post

Cæs. lib. 7. c. 30. Trith. anno 1047.

Anton. Senens. in Chronic. Ord. Prædic. an. 1350.

Vita S. Dom. lib. 6. c. 4. apud Surium.

Completorium solitos fuisse « salutare Beatissimam Dei matrem, singularis Ordinis patronam, per Antiphonam *Salve Regina.* » Eam in nostris Breviariis ante quatuor secula scriptis invenimus.

ANNUS 1239

AYMO EPISCOPUS GENEVÆ QUOSDAM EXCOMMUNICAT INFENSOS CARTUSIÆ ANGIONIS.

VI. Hoc denique anno cum Aymo, episcopus Genevensis, habitatores cujusdam villæ Cartusiensibus Domus Angionis infensos et eorum jurium usurpatores excommunicationis fulmine percussisset, Michael abbas Bonimontis et Guillelmus Prior Cartusiæ Vallonis, tanquam ejusdem Episcopi Commissarii, eosdem incolas injuriæ Nostris illatæ pœnitentes, post debitam satisfactionem ab hujusmodi censuris absolverunt, scriptis ea de re literis sequentibus :

« In nomine Domini, etc. Anno gratiæ ipsius 1239, mense Novembri, ego Michael abbas Bonimontis notum facio universis præsentes litteras inspecturis, me accessisse personaliter ad sedandam controversiam quæ erat inter Domum Angionis Cartusiensis Ordinis ex una parte, et habitatores villæ de Bignins ex altera, super usamento pascuorum quod sibi usurpabant injuste dicti habitatores intra terminos Domus præfatæ; cum ipsi omne usamentum hujusmodi solvissent olim et guerpivissent Domui illi, sicut manifeste continetur in carta quæ inde facta est, tribus sigillis satis autenticis communita. Cum igitur utraque pars in Nos et in Priorem Vallonis, Guillelmum nomine, qui et quondam Prior extiterat Angionis, compromisisset ; ad mandatum venerabilis Patris nostri Aymonis Geben. episcopi, data nobis ab ipso autoritate componendi inter ipsos, et absolvendi villam de Bignins ab excommunicatione et a banno quibus propter injuriam ligaverat eam prænominatus Pater, postquam prædictæ Domui satisfecisset ; Nos per Dei gratiam inter eos composuimus in hunc modum : Primum quidem cognovimus et pronunciavimus villam de Bignins nullam habere rationem nullumque jus in pascuis terminorum Angionis, sed injuste Domum molestaverant et damnificaverant in usurpatione prædicti usamenti a tempore quo carta quam inspeximus facta est ; et ideo dictæ villæ habitatores ad melius statim recurrentes consilium et

ANNUS 1239

de retro male actis pœnitentes, usamentum prædictum (et pro se qui aderant et pro suis qui præsentes non erant) penitus et prout melius ad utilitatem Domus Angionis intelligere poteramus solverunt et guerpiverunt, cartam inde conscribi jusserunt et sigillis nostris scilicet Bonimontis et Vallonis roborari petierunt. Cartam etiam, quæ olim ut prædiximus facta de eadem prædicti usamenti solutione fuerat, approbaverunt; et se nullo in tempore contravenire sed amicos bonos de cætero Domus Angionis fore, in manu Jordani Prioris fidei suæ sacramento universi et singuli promiserunt. Domnus etiam Amoudricus, capellanus eorum, promisit quod si quis ipsorum contra prædictas conventiones venire præsumeret, ipse postquam ab Angionensibus fuisset super hoc requisitus, per censuram ecclesiasticam eum ad satisfaciendum Domui eidem compelleret. Præterea Domnus Guigo miles et prædictus capellanus simul, in manu nostra firmaverunt, quod si quis prædictæ villæ habitatorum compositionem istam et usamenti prædicti resignationem laudare forte renuerit ipsi ambo eum quicumque foret laudare facerent; alioquin nos iterum autoritate qua fungebamur in hac parte, villam ; et ecclesiam de Bignins interdicto supponeremus ut prius. His ita gestis, nos eos a pœna et emenda quam Angionenses ab ipsis propter injurias et mala illata petebant, et secundum jura petere poterant, misericorditer absolvimus. In hoc ipso, Angionenses audaciæ nostræ mutuæ dilectionis gravantes, et etiam eis si valde moleste hoc nostrum gravamen acciperent, de nostro recompensationem facere promittentes. Sic itaque pacificatum est inter illos et amici remanserunt, et se, juvante Domino, futuros invicem promiserunt. Diximus etiam quod nomina singulorum qui hanc nostram inter ipsos compositionem laudaverunt, parochianorum videlicet de Bignins, in hac carta ad certitudinem perpetuam scriberentur, quod et factum est. Primus occurrit Domnus Amoudricus capellanus, deinde Domnus Guigo miles et filii ejus Joannes, Stephanus et Raymundus; item Anselmus frater dicti Guigonis, Hugo frater dicti capellani, et multi alii utriusque sexus numero

sexaginta. » Deinde subditur : « Si quis autem remansit inter istos non nominatus, cum inventus fuerit, laudare debebit. Testes vero in quorum præsentia factum est hoc, sunt Petrus de Claravalle cellerarius Bonimontis, Willelmus Conversus Valonis, Petrus de Boffie, Petrus de Tono, Willelmus Rafiol et Silvester monachi Algionis, et multi alii clerici et laici seculares. »

ANNUS 1239

JESU CHRISTI

ANNUS 1240.

Gregorii PP. IX	Ordin. Cartus.	Petri II Pr. Cart.
Ann. 14.	Ann. 157.	Ann. 4.

THOMAS COMES FLANDRIÆ LITTERAS TUTELARES CONCEDIT CARTUSIÆ.

I. ANNUS adest Salvatoris quadragesimus supra millesimum ducentesimum, Indictione tertia decima, quo Thomas Flandriæ et Hanonniæ comes, Amedei comitis Sabaudiæ, alterius Amedei episcopi Maurianensis et Bonifacii Cantuariensis archiepiscopi utriusque Cartusiensis frater, Gratianopoli tunc agens, singularis protectionis litteras Majori Cartusiæ concessit quæ sunt hujus sententiæ :

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Nos Thomas comes Flandriæ et Haynault, notum fieri volumus universis qui sunt in potestate et jurisdictione venerabilis· Fratris nostri Amedei comitis Sabaudiæ et marchionis in Italia, quod nos amore Dei et in remissionem peccatorum nostrorum, suscepimus Fratres Cartusiæ et omnia bona eorum sub protectione et defensione nostra, ita quod nullus audeat mercenarios et operarios eorum, et venientes ad Domum Cartusiæ et inde revertentes, capere, verberare, sua eis auferre, vel aliquo modo perturbare; nec infra terminos eorum arma portare, hominem capere, prædam ducere vel facere, nec hominem occidere, vel furtum facere vel rapinam, nec eis pignorare, dum parati fuerint coram suo Ordinario juri stare. Et hæc supradicta volumus firmiter observari ab omnibus qui in nostra voluerint amicitia permanere. Verum si, quod absit, aliquis dictos Fratres Cartusiæ aliquomodo infestare præsumpserit, sciat se

nostram indignationem incurrere, et in eum cum tempus affuerit curabimus vindicare. Volumus siquidem dictos Fratres plena pace gaudere, ut et nos eorum orationibus possimus apud Dominum adjuvari. Noverint igitur eorum benefactores nostram gratiam promereri, et eorum malefactores nostrum odium incurrisse. Actum anno gratiæ MCCXL, mense Novembri. Data apud Gratianopolim. »

Ab eo igitur tempore nullus, nec ipsi etiam Sabaudiæ Principes, ut suis locis videbimus, arma intra Cartusiæ terminos tulerunt, sed ubi ad januam Domus vel etiam Pontis accedebant, ea Fratri Converso janitori tradebant custodienda.

RAYM. BERENGARII UNIV. ORDINEM A VECTIGALI EXIMIT.

II. Raymundus Berengarii, comes Provinciæ, præfati Thomæ comitis munificentiam superans, non solum Cartusiam Majorem sed universum Ordinem ab omni vectigali exemit, dato tali diplomate :

« Anno Domini MCCXL, mense Novembri, nos Raymundus Berengarii comes et marchio Provinciæ et comes Forcalquerii, in remissionem peccatorum nostrorum donamus et in perpetuum concedimus Domino Deo et Beatæ Mariæ et universo Ordini et universis Fratribus in Ordine illo Deo servientibus, franchisiam et libertatem per totam terram nostram et districtum Arelatensem, per terram scilicet et per aquam, in eundo et redeundo, de omnibus iis quæ ad usum et necessitatem universarum Domorum prædicti Ordinis pertinerent vel necesse fuerit, ita ut videlicet quod ab omnibus pedagiis, lesdis, quæstis, tentis, ademptis, et omnibus omnino exactionibus sint res eorum in perpetuum liberæ et quietæ. Mandamus igitur omnibus bajulis * nostris et amicis, quatenus universas res et Fratres prædicti Ordinis ubique sicut nostra propria salvent, manuteneant et defendant. Actum apud Muram in diœcesi Gratianopolitana, tertio Idus Novembris, anno Domini MCCXL. »

* *Forte* Balivis.

S. EDMUNDUS ARCHIEPISCOP. CANTUARIENS. MORITUR, ALIQUANDO NOSTRI INSTITUTI PROFESSUS.

III. Die sexta decima Novembris præsentis anni moritur sanctus Edmundus Cantuariensis archiepiscopus, quem nostri Instituti professum facit Nicolaus Ægidius in *Francicis Annalibus,* cui astipulatur Renatus Choppinus sic scribens :

ANNUS 1240

Nicol.Gisles in Ludov. IX. ad ann. 1246.

Choppinus lib 2. Monast. tit. 1. num. 3.

« Rigida et anachoretica Cartusia in lucem extulit Lincolniensem Ecclesiæ præsulem B. Hugonem et D. Amedeum (sic eum vocat ex gallico nomine *Edme,* sed melius Edmundum appellasset) Cantuariensem antistitem, qui varia operum miracula propitio numine ediderunt. » Hæc Choppinus qui suum autorem citat præfatum Ægidium. Sed idem ex certiori scimus testimonio, nempe ex quadam epistola Hugonis II, Prioris Cartusiæ, ad Bonifacium de Sabaudia ejusdem S. Edmundi in archiepiscopatu successorem, qui habitum nostrum in Cartusia bis susceperat. In hac igitur epistola, quam integram post decem annos dabimus, Hugo noster Bonifacium jam archiepiscopum ad imitationem sanctorum Edmundi et Hugonis Lincolniensis excitat his verbis : « Inspiret, obsecro, pro his Spiritus, qui ubi vult spirat, cordi vestro benignissimo ut sanctum Edmundum, quem ante oculos mentis vestræ tot miracula piaque facta ipsaque Sedes quam nunc tenetis Cantuariæ ponunt, imitemini, et sanctum Lincolniensem episcopum Hugonem. Hi a nobis, ut scitis, venerunt, sed mundi superbiam in humilitatem, luxum in frugalitatem, divitias in paupertatem, in ipso culmine commutantes, Cartusiensem professionem suam constanter retinuerunt. » Hæc ille.

Quid vero clarius desiderari potest ad astruendam Edmundi Cartusiensem professionem ? Fatemur tamen illum non ante episcopatum illam emisisse. Siquidem certissimum est eum ex Sarisberiensis Ecclesiæ thesaurario ad Sedem fuisse Cantuariensem evectum. Verum cum pateat ex his quæ occasione Guillelmi Mutinensis episcopi anno 1234 diximus, licitum his temporibus fuisse Præsules ad nostram professionem admittere non expectata annuali probatione, hinc fit verissimillimum, sanctum Edmundum ex speciali quadam devotione nostrum aliquando professum fuisse Institutum in Domo Wittamiensi vel Hentoniensi, quæ in Anglia tunc solæ erant. Nec obest quod omnes antiqui illius Vitæ scriptores illud tacitum præterierint, cum nullus etiam ex eis meminerit beatum Præsulem habitum induisse Cisterciensem, quod ta-

men circa finem vitæ fecisse recentiores rerum Cisterciensium scriptores, non graviori quam Nos autoritate usi, constanter asserunt. Hanc porro desumunt autoritatem ex antiquo sui Ordinis missali in quo hæc verba legunt : « Thomas Cantuariensis archiepiscopus et Edmundus ejus successor, longo tempore habitum Religionis in Pontiniaco tulerunt. » Hæc ibi. Sed quomodo habitum Cisterciensem longo tempore in Pontiniaco tulerit? quandoquidem hoc ipso anno, præsenti videlicet quo se illuc recepit e vivis excessisse scribitur. Scimus religiosum virum Chrysostomum Henriquez ejusdem Ordinis monachum, ut longum illud tempus astruat, illius obitum ad annum 1246 ex Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum referre. Sed certe minus caute. Constat enim ex Angliæ Scriptoribus et ex nostro Surio ipsum hoc præsenti anno obiisse, et inter Sanctos fuisse dicto anno 1246 recensitum. Non tamen propterea intendimus sanctum Edmundum Cisterciensibus præripere, quem agnoscimus apud ipsos quasi unum eorum per menses aliquot conversatum et post mortem tandem sepultum; sed bona eorum venia, liceat nobis hunc cum eis honorem communicare. Sit igitur Cisterciensis in morte B. Edmundus, sed in vita Cartusiensis agnoscatur, qui « in ipso culmine episcopali, ut noster Generalis Hugo in citata epistola testatus est, Cartusiensem professionem suam constanter retinuit. » Vitam ejus admirabilem fuse describit Surius noster die 16 Novembris, ad quem lector recurrat. Ipsi etiam Hæretici suis ultimis temporibus sanctum Episcopum multis efferunt laudibus, ut videre est apud Smitheum.

ANNUS 1240

Fascicul. SS. Ordin. Cistercien. distinct. 31.

Matth. Westmon. ad an. 1246.

Smith de Cantuar. Archiep. cap. 13.

IV. Eodem tempore quo S. Edmundus Angliam exul reliquit, quidam quasi honestæ ac severæ vitæ vir, habitum et gestum prætendens Cartusiensis Ordinis ut credulæ plebi sua facilius atque speciosus deliramenta sub hac larva persuaderet, apud Cantabrigiam in Anglia captus fuit, quamdam nolens ecclesiam intrare, quippe quam asserebat esse profanatam; Gregorium non esse Papam nec Ecclesiæ Caput, sed simoniacum et usurarium; diabolum solutum esse, et alia ejusmodi deliria quæ Parisius enumerat : quæ utrum vera

QUIDAM FALSUS CARTUSIENSIS DELIRIA EFFUTIT.

Matth. Paris. ad hunc annum.

ANNUS 1240

sint subdubitandum est. Credit enim Spondanus artem intervenisse Friderici Imperatoris Summo Pontifici infensissimi fautorum. Et sane plurima sunt apud Parisium quæ aperte indicant somniatorem hunc fuisse Friderici studiosissimum Ecclesiæque Romanæ parum æquum. Quid vero actum sit de larvato illo Cartusiensi non refert Parisius, nisi quod Turri fuerit Londinensi inclusus. Certe monachum hunc inter illos hypocritas annumerare merito debemus, qui ambitionis labem falsa religionis imagine nituntur occultare. De quibus olim Joannes Sarisberiensis dixerat illos, « ut fraus sub honestatis specie convalescat, laudabilium virorum collegia expetere, arduas subire professiones, vestes Cartusiensium, Cisterciensium, Cluniacensium induere, et dignari esse Canonicos ac gloriam in laneis tunicis et pellibus agninis.... nihilominus succensere populum. Non enim hoc fecisse dicuntur hypocritæ, sed Cistercienses aut Cluniacenses aut alii, quorum hi ventiloqui aut ventriloqui habitum induunt et vitam mentiuntur. Nam claustrales qui plane religiosi sunt, dum professionibus serviunt ab hac malitia immunes sunt. Nulla vita fidelior, nulla simplicior, nulla felicior quam eorum qui in claustris fideliter degunt, et humiliter abjectione sua gaudentes, obediunt Prælatis suis in omni subjectione et reverentia. »

Joan. Sarisber. de Nugis curial. lib. 7. c. 21.

JACOBUS DE VITRIACO CARDINALIS MORITUR.

V. Hoc etiam anno ex hoc mundo transiit Jacobus de Vitriaco cardinalis Tusculanus, vir in divinis Scripturis eruditus nec secularium litterarum ignarus, moribus et vita spectabilis, Ordinis quoque nostri laudator insignis, cujus verba in laudem nostri Instituti prælata, aurea plane sunt et digna quæ in cujuslibet Nostrum cordis tabulis, cubitalibus, ut aiunt, litteris exarentur. « Hujus Religionis (nempe Cartusiensis), inquit, rigor districtionis et districtio rigoris tamquam fornax Spiritus Sancti aurum purgans et scoriam ex argento separans, falsos fratres diu retinere non potest. » Unde cella mari comparatur quod morticinum, quantocyus potest, projicit. « Non solum enim (pergit ille) inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, qui in aliis Congregationibus ali-

Quam præclare de Ordine scripserit.

Jacob. de Vitri. lib. 2, Occident. Histor. c. 18.

quanto tempore valent subsistere et eorum observantias in angaria portare, arida cella et aspera conversatio cito evomit; sed quoscumque alios qui in veritate non ambulant, Regulæ severitas tamquam paleam citius exsufflat et abjicit : neque inter sanctos Fratres, velut inter paradisi arbores, abscondi seu latere longo tempore possunt, quin eorum nuditas, sicut legimus de primis parentibus, facile deprehendatur; nisi induti fuerint virtute ex alto, qui tam arduam viam aggrediuntur. »

ANNUS 1240

Genes. 3.

Act. 1.

VI. Deinde pius Cardinalis historiam subjungit cujusdam Cartusiensis sibi noti, qui tentatus a diabolo, et ad suum se superiorem consilii causa recipiens, maligni spiritus evasit technas. Sic igitur rem eodem loco enarrat :

QUIDAM MONACHUS DIABOLI TENTATIONEM SUPERAT.

« Quemdam autem ex his Fratribus vidimus, qui cum die quadam ante debitam refectionis horam supra modum in cellula esuriens, vix Horas diei consuetas præ nimia anxietate dicere valeret, vidit Sathanam in specie mulieris pulcherrimæ introgressum, pulmentum quod ad focum Frater posuerat, cum nimia festinatione præparantem. Accedens enim tentator, qui famem pene intolerabilem immiserat, ignem sufflabat et ligna fortiter accendebat, tandem autem pisis, quæ optime præparaverat, coquus ille infernalis in scutella coram Fratre positis, ab oculis ejus evanuit. Ille vero orationes multiplicans et se crucis signaculo frequenter communiens, vix tandem Deo auxiliante potuit evadere et horam refectionis regularem expectare. Cum autem intra se hæsitaret, utrum ferculum a dæmone præparatum manducare deberet, consuluit Priorem suum, virum sanctum, prudentem et religiosum, qui cum respondisset ei quod nulla creatura Dei rejicienda esset, quæ cum gratiarum actione reciperetur; postquam Frater totum manducasset pulmentum, in veritate affirmabat quod nunquam in sæculo vel in Religione comederat cibum tam artificialiter ita bene paratum. » Hæc ille quæ noster Dorlandus etiam suis Chronicis inseruit.

1. ad Timot. 4.

Dorl. Chronic. lib. 5. c. 40.

JESU CHRISTI

ANNUS 1241.

Gregorii PP. IX Ann. 15.	Ordin. Cartus. Ann. 158.	Petri II Pr. Cart. Ann. 5.

GREGOR. IX MORITUR.

Raynald. ad hunc annum et 1243.

I. EXURGIT annus a partu Virginis quadragesimus primus post millesimum ducentesimum, Indictione quarta decima, quo Gregorius Pontifex maximus curis gravissimis ac senectute confectus, e vivis discessit mense Augusto. Post eum Cœlestinus quartus eligitur; ipsoque circa mensem Novembrem mortuo, Sedes per viginti menses et amplius vacavit; eo quod Cardinales quidam a Friderico Imperatore in carcere detinerentur, aliis in fugam versis.

ITEM BRITIUS PRIOR LUVINIACI VIR RELIGIOSISSIMUS.

II. Circa hunc annum, mense Octobri, obiit Britius tunc Bellilarici et alias Luviniaci Prior, qui ante ingressum in Ordinem decanus Antissiodorensis exstiterat. Laudes ejus ab autore Chronici Bellilarici fusius describuntur in hunc modum :

Quondam Decanus Antissiodor.

« Britius, vir valde venerandissimus, quondam Antissiodorensis decanus, Prior extitit sextus. Qui dignitate et honore decanatus contempto, ad humilitatem et attritionem Cartusiensis Ordinis humiliter se transferens, in Domo nostra sacræ Religionis habitum cum miro devotionis affectu et desiderio suscepit. Et quia vir erat fidelis et prudens quem constituerat Dominus super familiam suam, sentiens se velle ad altiorem perfectionis statum emigrare, noluit sancti certaminis campum absque pœnitentiæ armis ingredi ; certior factus quod quis contra versipellem et triplicem adversarium,

mundum scilicet, carnem et dæmonium fortiter et legitime non certaverit, coronam de lapide pretioso a Domino non recipiet. Arma porro pœnitentium, cinis et cilicium. Qualis autem et quantus et quam fortis Christi athleta etiam sæcularis extiterit, ambigi non potest, cum et cilicia quibus antea carnem suam cum vitiis et concupiscentiis olim domuerat, secum in sacculo reposita asportavit. Verum quia valde litteratus erat et sanctarum amator Scripturarum, adeo etiam ut super coætaneos et contemporaneos, prout ab omnibus dicebatur, in decori scientia dictaminis specialiter eminebat; sciens vir devotus, quod legendo frequenter didicerat, quam bonum et quam jucundum quamque salutiferum sit legere et intelligere, maxime cellitis et solitariis; elegit specialiter ducentas libras, quas in scribendis libris jussit integre deputari. Hæc sunt itaque nomina et volumina librorum quos de proprio scribi fecit : Augustinum videlicet *super Joannem* in tribus voluminibus. Tertium ipse volumen propria manu scripsit, necnon et *Enchyridion* ejusdem B. Augustini cum quibusdam sermonibus et versibus ab eo appositis in uno volumine. Augustinum *de Civitate Dei* in duobus voluminibus. Augustinum *de Confessionibus* in uno volumine. Augustinum *de vera Religione.* Augustinum *de Disciplina Christiana; Regulam Sanctimonialium* ab eodem editam et digestam, Paschasium *de Sacramento altaris* in uno volumine. *Moralia Job* in septem voluminibus. Hoc agens consideranter, scienter et industrie, ut Monachi singuli in singulis cellis *Moralium* volumina singula haberent, ac in eis studiose sua etiam cum devotissimis lacrymis corda purificantes, ad amorem et desiderium cœlestis patriæ inflammarent. Quos omnes ùtique libros cum summa diligentia, ingenti cura ferventique studio emendavit. Quod quidem evidenter patet ex rubricis et notarum signis quæ ad marginem crebro inseruit; ut videlicet citius adverteret lector, de quo et quid sermonum autor in serie loqueretur.

ANNUS 1241

Doctus et eloquens fuit.

Plures libros conscripsit vel scribi curavit.

III. « Interea quoque hanc orandi consuetudinem, sive in ecclesia prostratus esset sive in cella, hunc ipsum virum Dei

QUAM FERVENS IN ORATIONE.

ANNUS 1241

habere diligenter consideravi; ut videlicet toto porrecto corpore super terram vel pavimentum vel asserem, aperto ore lingua extracta ex ferventissimæ devotionis affectu, locum quem ejus lingua lingebat, vel ex inundatione lacrymarum seu ex oris vaporatione, totum madidum relinquebat. Erat etiam iste Dei servus ita misericors et pius ægrotis, compatiens et benignus, ut per noctes de strato suo frequenter surgeret, et ipsos infirmantes humiliter et devote retegeret. Verumtamen erga superbientes et tumidos, rebelles et improbos, ita severa et acerba reprehensione se durum et austerum exhibebat, ut a plurimis crudelissimus diceretur. Propter quod et ipse de semetipso jocose dicebat: Meum quippe loqui, pulchre est profecto litigare. Reprehendere etenim vitia officium est bonorum virorum et benevolorum. Igitur quia ea quæ virtutis sunt apud Nos religiosus fecerit, breviter explicavimus, nunc ad illa virtutum insignia quæ adhuc sæcularis egerit, stylum vertamus. Michael vir religiosus, hujus Dei servi nepos et consanguineus, qui ab eo a pueritia fuerat nutritus et de ejus secretis plurimum conscius, audita morte viri istius, scripsit epistolam cuidam socio suo qui cum eo similiter extitit educatus. Nos vero ad laudem ipsius et posterorum exemplum, huic nostro operi dignum et justum duximus adnectendum.

Ægrotis compatiens.

Severus discolis.

QUALIS FUERIT IN SECULO.

IV. « Charissimo fratri suo et amico speciali, J. suppriori sancti Mariani, suus Michael de Bellavalle salutem et talentum sibi commissum a Domino strenue et fideliter erogari. Elapsum est tempus non modicum ex quo inter nos leves epistolæ discurrere desierunt. Hujus rei defectum non plene intelligens, partem aliquam vobis adscribo, residuum totum mihi, et principaliter occupationibus hinc inde obortis. Quia ut verum fatear, multoties scribere proposui, sæpe manum schedulæ applicabam, quam tamen casu aliquo emergente vel cogebar relinquere imperfectam, vel subito nuntio recedente factam manibus discerpebam. Unde aliquantulum refriguit in me propositum applicandi ingenium ad scribendum, videns circa me occupationes undique discurrentes. Sed absit ut pro hac desidia refrigescat in me charitas quam enutrit

vestræ orationis instantia, et inflammat. Sane aliud potest esse in causa, quod vos forte melius nostis, et illud vellem mihi diligentius aperiri. Præterea materia suspiciosa præsentem interscindit cartulam, cum tangit cor et anxiat recordatio obitus domini et patris nostri, quem sicut uno affectu merito diligebamus, ita eodem affectu et pari merito per nos et amicos nostros tenemur eidem propensius subvenire. Et quid dico subvenire? Nam luce clarius constat quod Sancti qui mundum perfecte reliquerunt, cum Domino residentes, cæteros judicabunt. Et B. Gregorius testatur in Dialogo, quod perfectorum animæ, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Unde Paulus dissolvi desiderat et esse cum Christo. Credamus igitur necesse est, ipsum inter illos Sanctos receptum in gloria, quorum vitam et mores imitari studuit in terra. Quis rogo veritatem ferventius deffendit? quis humilius sua pauperibus erogavit? quis sapientius carnem spiritui servire coegit? Conversatus in sæculo asperrimum cilicium gerebat ad carnem splendidis desuper indutus vestibus, sexta feria in pane et aqua abstinens, sicut scitis, et ut plenum perhibeam testimonium veritati, vidi et scivi aliquando quod diem transegit integrum sine cibo corporali, sanus existens et aliorum necessitatibus occupatus. Dicite si vidistis aliquando mensam ejus sine pauperibus et egenis? mensam voco domum refectionis. Consuetudo quippe illi erat ad portam pauperes eligere tres quotidie vel quinque sive septem, et mensam apponi faciebat eis sæpe coram se, aliquando alicubi secretius propter hospites et extraneos, et ministro deputato diligentius procurari, nolens pasci inani laude hominum pro pauperum pastione. Mensa ejus frugalis non superflua, ornata clericis et personis religiosis, si possent aliquando reperiri. Ibi semper aut collocutio de honestis, aut disputatio de casibus in curia emergentibus, vel eruditio de obscuris sententiis sacræ Legis. Sobrius in potu, sine aqua vinum aliquantulum non bibebat. Tam æstate quam hyeme post prandium non cœnabat, nisi aliquando propter hospites et hoc raro.

ANNUS 1241

Veritatis defensor.

Pauperum amator.

Corporis castigator.

Diem sine cibo transigit.

Pauperes ad mensam recipit.

ANNUS
1241

Nocte ecclesias visitat.

« De extensis denique vigiliis quas nocte qualibet faciebat hoc modo sufficiat enarrare, quod circa noctem mediam surgens, calceatis pedibus vaccinis sotularibus usque ad genua propter lutum, aliquo clericorum gestante lumen in laterna, exibat tamquam peregre proficiscens, visitabat ecclesias circumquaque positas, stationes faciens ad ostia singularum. Tunc audiri poterat frequens pectoris percussio, frequentior genuflexio, frequentissima gemituum emissio; facto magno intervallo surgens inde ad aliam ecclesiam properabat, et ibi faciebat similem stationem. Cum demum pervenisset ad cancellos ecclesiæ Beati Germani se totum extendebat in modum crucis super nudum pavimentum. Tunc plorabat, tunc se totum immolabat. Ego in hac peregrinatione sæpe ei lumen præferebam. Sed cum tandem veniremus ad S. Germanum, sicut dixi, ego quidem sciens quam facturus erat moram, ornata ibi laterna ne lumen deficeret, in aliquo angulo loci illius sopore multoties deprimebar. Qui surgens ab oratione me leniter excitabat, et reversus per ecclesiam B. Stephani, si sacristæ moram facerent surgendi ad Matutinas, ipsos pulsans ad valvas cum lapide excitabat; et rediens domum aliquantulum pausabat, donec signum ultimum pulsaretur; et tunc ecclesiam cum cæteris introibat. Hæc et his similia vera sunt argumenta quod modo vere vivat in Domino qui sic vixit in sæculo; quod clarius eniteret si modum conversionis suæ et conversationis in Ordine subtilius pensaremus. In his ergo quæ præmisi non gero personam docentis sed discentis potius et dolentis. Cum enim proponerem cartulæ modum non excedere, pro pietate patris excrevit materia in immensum. Desiderabam enim vobis ad memoriam reducere ea quæ mecum plenius didicistis de ipso et cognovistis, ut cætera quæ non novi vel modo non recolo, quod vos scitis a vobis merear aperiri. Et maxime ut certior efficerer, si hæc ita se habeant, aut in aliquo plus minusve dixerim quam exigit regula veritatis. Vellem enim si consenseritis, hæc et alia virtutum ejus charismata palam fieri conservis ejus, his in quorum castris usque ad bravium militavit, ut qui corpus ejus

habent in pignus salutis, haberent et occulta virtutum ejus insignia, quæ ipse vivens noluit publicari. Quidquid autem utile ad hoc recolitis, præsenti schedulæ subscribatis. Nam multa recolo quæ brevitatis causa præterivi, ut est constantia quam habuit in carcere Petri de Bruillat, familiaritas ad Dominum Papam, et multa alia in hunc modum, quæ tamen vellem a vobis plenius enarrari ; valete.

ANNUS 1241

V. « Porro quod frater Michael supra dictus, hujus sancti Viri nepos, causa brevitatis captionem et captivitatem ipsius se præterire asserit, ego non penitus omittam : ut ab omnibus vere sciatur quanta virtute constantiæ Christus suum debellatorem in hac tribulatione fortiter roboravit. Cum vero, sicut ipso narrante aliquando didici, pro causis Antissiodorensis Ecclesiæ defendendis in carcere Petri captus esset, propriis illum vestimentis irreverenter expoliantes, cum mitra in capite apposita, ne videlicet persona esse ecclesiastica nosceretur, tunica cujusdam armigeri vario colore colorata turpiter vestierunt; nimirum assimilatus in hoc Filio Dei qui veste purpurea sive candida indutus est in opprobrium et derisum. Sed quid faceret exul a patria relegatus in carcerem ? nempe arripiebat cytharam sive organum Spiritus Sancti, psalterium scilicet cum tunc præ manibus non haberet, corde tenus tamen dulciter psallebat inter parietes solus habitans, ut levius se haberet, nec eum malignus spiritus occasione præsentis infortunii amplius agitaret. Quod quidem sancti otii opus tanto perfecit devotius ab Angelis comitatus, quanto ab hominibus secretius extitit segregatus. Et quoniam probata virtus corripit inquietos, tanta autoritate et austeritate verborum prædonem suum comminando arguebat, ut etiam furore arreptus propemodum in ipsum ferociter insiliret. Cui e contra Vir sanctus respondebat quod nec tantæ temeritatis ausu nec tanta præsumptionis audacia in eum irruere non deberet, quia sine dubio non impune aliquo tempore præteriret.

QUAM CONSTANS IN ADVERSIS.

VI. « De familiaritate vero Summi Pontificis, de qua superius idem Frater mentionem facit, ab eo similiter et ab alio aliquando audivi quod cum ipse ad expedienda negotia ve-

NEGOTIA EPISCOPORUM ANTISSIODOR. ET AURELIANENSIS ROMÆ SOLLICITE PROCURAT.

ANNUS 1241

nerabilium virorum Antissiodorensis et Aurelianensis Episcoporum Romam pluries expetisset, ibidem in primis fortes adversarios invenit et tribulationes multas et malas sustinuit, adeo ut a præsentia Domini Papæ per ostiarios turpiter expulsus foras ejiceretur; ob hoc siquidem quod nimis instanter pro causa sua Summum Pontificem expetebat. Quo viso consodalis ejus quasi compatiendo dicebat ei: Modo potestis requiem capere. Nec propter hoc certe, ait, quiescam, donec ab isto magnifico Domino egrediatur ut splendor justitia ejus, id est, donec desiderium cordis mei secundum jus super hac causa plenarie fuerit consummatum; et ideo humiliter et secure expectabo donec veniat petitio mea. Cum ergo fervida calliditate introitum et accessum explorator sedulus observaret, vel per se vel cum aliis ingredientibus se immiscens, quocumque modo poterat se ingerebat. Cujus sedulitatem, instantiam atque fidelitatem Dominus Papa considerans, quadam die ait illi: Lege tu ipse litteras istas; quibus lectis, dixit ei: Quid dicis et quid tibi videtur? Quid ego dicam, Pater sancte, cum et ipse in conspectu tuo totus tremebundus et pavidus assisto? Verumtamen hæc et illa legendo mihi esse contraria bene percipio. Quapropter, Domine, sciatis certissime quod nunquam ad Dominos meos verbum dubium reportabo, sin autem in meam patriam vacuus remeabo. His igitur verbis Dominus Papa exasperatus, sedens in cathedra huc illucque se vertebat dicens: Vis contendere mecum? Et quia, sicut ipse dixit mihi, Dominus Papa Innocentius III hoc in se habebat proprium ut quos in suo negotio esse sollicitos cerneret, mira eos affectione diligeret; unde et ad ultimum, etsi non eo quod amicus ejus esset, attamen quasi per improbitatem illius, dedit ei quotquot habuit necessaria. O Virum virtutibus plenum! qui nec prærogativa Summi Pontificis gratia per superbiam elatus se jactitat, nec per minas et carceres impii prædonis tyrannidem, ut Joannes Herodem ipse incarceratus fidenter arguere non formidat.

Circa an. 1209, ex Rigordo in gestis Philippi Aug. Regis.

Summum Pontificem summa cum libertate alloquitur.

MORITUR PRIOR BELLILARICI

VII. « His igitur quæ vel ante vel post decanatum fecerit explicatis, ad fœlicem ejus vitæ finem breviter recurramus.

Post multum itaque temporis, cœlesti afflatus desiderio, decanatu demisso, habitu Religionis assumpto Prior Luviniaci extitit, deinde vocatus ad Nos venit. Qui nimirum in utriusque Prioratus officio quantæ virtutis quantæque strenuitatis probitatis et sanctitatis fuerit, præcedentia declarant; cum nobis impossibile sit ad plenum omnia aperire. In ipsa itaque die solstitii æstivalis a Luviniaco adveniens, Domum istam causis arduis, periculosis et difficilioribus vexatam et oneratam invenit. Circa festum Angelorum febris eum quartana arripuit, quæ illum usque ad diem ultimum tamquam in purgatorio affligere non cessavit. Quæ enim vox vel lingua retexere poterit, quoties Trecas pro causa terminanda adierit? Dominum ejusdem civitatis Episcopum interpellaverit? in ipsis itineribus eundo et redeundo frigore et ardore infirmitatis propriæ debilitatus de equo corruerit? Denique causis adjuvante Domino efficaciter terminatis, sicut de beato Martino legitur, decidit in lectum et cœpit sanguinem excreare. Ubi cum venisset vir eruditus Prior S. Mariæ de Balneolis vel de Espaulo, constantius videns sputa et excreationes illius ex pulmonis putredine procedere, nuntiavit hoc esse evidens mortis indicium et proximum illius obitum imminere. Ego quoque, cum secus eum solus sederem et diceret mihi quod me semper dilexerat et in orationibus suis cum magistro Petro Porreta et cæteris specialibus amicis mei memoriam fecerat, consolabar eum dicens: Vos pristinam miserante Domino recuperabitis sanitatem. Nequaquam, ait, palmum extensum quatiendo et tremulando erigens, quia mihi totam viam jam video præparatam. Præfuit itaque nobis fere per annum, et quadam feria secunda illuscescente, nobis præsentibus obiit ad Dominum in senectute bona et plenus dierum. »

ANNUS 1241

VIII. Hoc anno inter Domum Cartusiæ et Camberiacum, ut legitur in Chronico Cartusiæ, quidam maximus mons, se ab aliis montibus dividens ac per longum spatium cujusdam vallis transiens, ad alios montes accessit; omnesque in ipsa valle villas terra et lapidibus operuit, atque circa quinque hominum millia suffocavit. Quinque ecclesias hac lamenta-

MONTIS CUJUSDAM EVERSIO.

ANNUS 1241

bili clade absorptas fuisse narrat noster Molinus, easque sitas fuisse circa Favrasium, Cartusiæ cellarium, asserit.

Inter villas obrutas, illa a quibusdam annumeratur in qua situs erat Prioratus S. Mariæ de Gravers, quem propterea dicunt translatum ad locum ubi nunc est sub nomine S. Badulphi. Ut ut sit, constat ex tabulario Majoris Cartusiæ Prioratum de Gravers Ordinis S. Benedicti, Abbatiæ S. Raimberti ut vidimus anno 1189 subjectum, nomen postea mutasse; nam in quodam instrumento dato anno 1344: « Rectores sive commorantes in ecclesia de Gravers, vel sancti Badulphi ut nunc vulgariter nominatur (sunt verba Instrumenti), tenentur solvere Religiosis Cartusiæ quadraginta solidos » annui reditus, de quibus diximus citato 1189.

De montis istius eversione scribunt Hartmannus Schedelius, Wernerus Rolewinck, Trithemius et plures alii recentiores; quam evenisse hoc anno omnes unanimiter asserunt: diem vero noster Molinus designat septimum Calendas Decembris.

LIBER IN MEDIO RUPIS INVENTUS.

IX. Circa idem tempus, referente ejusdem Chronici autore, quidam judæus Toleti in Hispania comminuendo quamdam rupem pro vinea amplianda, in rupis medio librum invenit ligneis foliis compactum, hebraice, græce et latine exaratum, tantumque scripturæ habentem quantum uno posset scribi psalterio. In eo disserebatur de triplici ætate ab Adam ad Antichristum et inter cætera hæc verba legebantur de Christo: « In tertio mundo (sive ætate) Filius Dei nascetur ex virgine Maria et pro salute hominum patietur. » Eadem habet Bzovius in suis Annalibus, et diu ante illum scripta reperiuntur a Martino Polono, nostro Wernero ad annum 1244, Alberto Crantzio et multis aliis. Hæc nos ideo tantum referimus quia scripta legimus in præfato Chronico, medio quarto decimo seculo conscripto.

JESU CHRISTI

ANNUS 1242.

Sedes Apostolica vacat.	Ordin. Cartus. Ann. 159.	Hugonis II Pr. Cart. Ann. 1.

I. ANNUS Christi millesimus ducentesimus quadragesimus secundus, quinta decima Indictione, Romanæ Ecclesiæ ex orbatione Pontificis luctuosus extitit. PETRUS PRIOR CARTUS. ABDICAT.

Quis vero Cartusiæ sedem tunc tenuerit, vix etiam indicari potest. Petrus enim in officio non obiit; siquidem obitus illius cum Prioris titulo non reperitur in Calendariis in quibus raro fiebat mentio prioratus quando in eo quis mortuus non fuerat. Unde cum in his Calendariis quæ habemus, plures Petri scribantur Monachi Cartusiæ, quis eorum ad nostrum referri debeat, assequi non possumus. Qui Martini regimen ad præsentem annum produxerunt, successorem ejus faciunt Hugonem II, quem certissimis autoritatibus probabimus jam præfuisse anno proxime sequenti, et circa an. 1247 abdicasse et iterum sedisse anno 1249. Hunc noster Molinus dicit ex Monacho et Procuratore Cartusiæ ad clavum ejus evectum esse. Et revera in ejus assertionis testimonium invenimus in Cartulario Hugonem Procuratorem extitisse annis 1228 et 1234, ut videre est eisdem annis. Præterea in epistola quam ipse tunc Prior Cartusiæ, anno 1250 ad Bonifacium archiepiscopum Cantuariensem scripsit, ejusdem Procuratoris officii a se quondam obiti meminit. *Hugo II succedit antea Procurator.*

Nostrum Hugonem II nullus antiquorum noverat, non vetus Chronicon ante 300 annos compositum, non Antiqua

ANNUS 1242

Statuta, non Sutor, non Dorlandus, nec alius quispiam ante nostrum Molinum qui omnium primus nomen illius eruit ex antiquis et certissimis monimentis, quæ postea suis locis inseremus.

HUGO PRIOR MONTIS RIVI DOCTUS ET PIUS MORITUR.

II. Circa finem hujus anni pie obiit V. P. D. Hugo de Miromars, vir doctus et olim archidiaconus Magalonensis, tunc vero Prior cartusiæ Montis Rivi quam adhuc regebat quinto Calendas Decembris. Fuerat ille unus ex dominis Dornes et quidquid juris in eodem dominio possidebat Nostris cessit, monasticum habitum in eadem cartusia suscipiens juxta monitum sibi a B. Virgine factum, quod ipsemet in hunc modum vulgavit :

Ex codice Luvigniaci.

Qualis in seculo fuerit.

« Ego magister Hugo, cognomento de Miromaris, quondam Magalonensis archidiaconus et Beatæ Mariæ Databulis Prior in Montepessulano, cum essem et dignitate præditus in diversis, et mundanis facultatibus et honoribus opulentus, et satis in populi multitudine gratiosus, et in corporis habitu satis sanus, cum etiam cuncta mihi prospere arriderent ; cum attendissem divinam Patientiam me diutius ad pœnitentiam expectasse, divina Misericordia procurante, omnia velut stercora postposui et abjeci dicens : Nihil mihi commune tecum fallacis mundi figura præteriens, hoc uno genere acquiram de te commodum relinquendo te, incursurus damnum mei per usum tui. Non angariatus crucem tollens Domini, secutus sum eum, partem eligens tutiorem videlicet Ordinem Cartusiensem ; quo mediante, spero ad Angelorum cœlestium ordinem pervenire, in quo agnus peditat et camelus noctat. Verum cum de loco ubi pes meus quiesceret mecum deliberare cœpissem, occurrit mihi Domus Montis Rivi, Ordinis supradicti ; quam tantum per famam noveram, sed quæ vel qualis loci dispositio penitus ignorabam. Cum enim mecum ista verterem animo cupienti, jacens in strato mediæ noctis silentio, ecce mecum in somnis de accipienda conjuge tractabatur, et cum venissem ad locum mihi assignatum, videbam me esse in valle altissimis vallata montibus, juxta fontem magnum in quadro mutatum. In qua valle a parte occidentis aqua non

In somnis Mons Rivus ei ostenditur.

modica defluebat, et per partem Orientalem ejusdem fontis aqua eadem effluebat; a parte vero Aquilonis ipsius fontis apparebant domunculæ habentes per circuitum arbores infinitas. Tandem dum in quamdam domorum illarum intrassem, et quemdam Magistrum (quem Bononiæ habui) non multis numero astantibus aliquantulum auscultassem quasi legentem, iterum fui sicut prius in spiritu, et in eodem loco ab Oriente juxta præfatum fontem, expectando si forte veniret illa cum qua contrahere matrimonium intendebam. Affectus vero tædio propter moram, juxta fontis rivulum ad Orientem deambulabam animo recedendi.

ANNUS 1242

« Cum vero non multum longe essem a fonte, ecce a dextris astitit, in specie nobilissimæ mulieris pulcherrimæ Ordinis Cartusiæ velatæ et indutæ, B. Virgo Maria statura non magna, facie quasi pallida, suisque quasi humeris dextrum brachium meum sustentans, quæ me facie ad faciem respiciens ait : Amice dimittesne me ? Ego autem vere ipsam Beatam Mariam fore intelligens, gavisus valde continuo acquievi dicens : Domina mea, amica mea, non te dimittam, et statim evanuit.

B. Virgo Maria apparet.

III. « Ego sine intervallo expergefactus a somno, et mente et calamo hæc notavi per ordinem ; et advocavi mihi nuntium providum et discretum et super præfata visione instructum ad Domum Montis Rivi ad explorandum utrum situs illius sic se haberet sicut visio ostendebat ; qui rediens omnibus circumspectis, et de valle, fonte, montibus, arboribus et cæteris per ordinem universis retulit sic se per omnia contineri, sicut in visione fuerant prænotata. Quo audito gavisus sum gaudio magno, et dixi : Vere locus iste sanctus est et ego nesciebam ; ipse est quem elegit mihi Dominus in sepulturam ; vadam igitur et ibi dormiam et requiescam. Exinde autem tractans de spirituali matrimonio contrahendo inter me et Domum præfatam, divina gratia, licet inter absentes. . . . . . . matrimonium est contractum sed non continuo consummatum. Tandem cum ad dictum matrimonium consummandum Montem Rivum venissem, videns loci confinia per circuitum

VISIONIS VERITATEM SCRUTATUR.

ANNUS 1242

aspera, invia, deserta, montuosa et ab hominum consortio penitus aliena, admiratus sum nimis ex eo quod Ordo Cartusiæ quasi ubique elegerit montuosa deserta et ab hominum strepitu penitus separata. Quod quidem mente pertractans intellexi sic ab initio Ordinis a Domino ordinatum, et me servum inutilem Montem Rivum duce Spiritu Sancto advenisse, montem scilicet sanctificationis Dei quem acquisivit dextera ejus ; sciens pro certo neminem ab hujus mundi diluvio posse evadere nisi cum arca Dei in monte Armeniæ requiescat, id est nisi cum fide Ecclesiæ in monte qui est Christus Dei Filius confirmetur.

Sanctitas monachorum Montis Rivi.

« In quo quidem loco tam Monachos quam Conversos prospexi, visu corporis et cordis sanos et incolumes, promptos et hilares et secundum ætatem cujuslibet bene sensatos et fortes, et officia sibi commissa viriliter exequentes sive exercentes, sine molestia aut murmure omnia disponentes, eosque unanimes pacificos et gaudentes, cor unum et animam unam habentes, omnia sine differentia communiter possidentes, nihil proprium retinentes, quia erant illis omnia communia. Item vidi eos hospitales, sobrios, benignos, prudentes, continentes, et in omnibus patientes, amplexantes eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem ; non superbos, non cupidos, non bilingues, etc. Per hæc et alia quæ vidi, intellexi veraciter quod locus iste sanctus esset domus Dei, porta cœli et scala paradisi, et quod vere, re et nomine, Mons Rivus diceretur. »

MULTA PRÆFATUS HUGO SCRIPSIT.

IV. In catalogo librorum qui ante ducentos annos extabant in Majoris Cartusiæ bibliotheca inter Historicos legitur : *Tractatus magistri Hugonis postea Cartusiensis in Monte Rivo de Mathalona*. Hic mihi videtur esse noster Hugo de Miromars, sive de Miramas, ut legitur in Bibliotheca Regia ubi ejus opera asservantur, quorum indicem a quodam amico nuper transmissum subjicimus.

Opera Hugonis de Miramas quondam archidiaconi Magalonensis deinde Monachi in Cartusia Montis Rivi : 1. Tractatus de Antonomasia et mysterio hujus. 2. Ejusdem brevis

ANNUS 1242.


commentarius in Apocalypsim. 3. Flores Juris canonici. 4. Ejusdem Speculum. 5. De Miseria hominis. 6. de Fragilitate hominis. 7. De statu Ecclesiæ. 8. De virtutibus. 9. De vitiis. 10. De Diabolo et pœnis miserorum. 11. De statu civium supernorum. 12. De Prærogativis Ordinis Cartusiæ. 13. De statu mundi.

SOCIETAS INTER EBRONIENSES ET CARTUSIENSES PARCI.

V. Hoc pariter anno Abbas et Conventus abbatiæ de Ebronio mutuam bonorum spiritualium societatem inierunt cum nostris Cartusiensibus Domus Parcensis, cujus societatis litteræ tales sunt :

« Universis præsentes litteras inspecturis, frater Hernaudus abbas Beatæ Mariæ de Ebronio* totusque ejusdem loci conventus, salutem in omnium Salvatore. Noveritis nos cum viris religiosis in Christo carissimis Fratribus de Parco Beatæ Mariæ, Cartusiensis Ordinis, talem fraternitatis et societatis confœderationem unanimiter iniisse, et sigillorum nostrorum testimonio roborasse. Videlicet quod præter quotidianas et generales orationes et alia bona quæ per nos operari dignabitur clementia Salvatoris, singulis annis post octavas Epiphaniæ, quamcitius vacaverit, bono modo, unum in conventu pro Fratribus eorum mortuis solemniter Officium faciemus cum Vigilia novem lectionum et Missa cum tractu. Et quilibet sacerdos unam Missam, quilibet clericus quinquaginta psalmos, et Conversus centum quinquaginta *Pater noster*, semel in anno pro dictis Fratribus reddere tenebuntur. Præterea cum de obitu singulorum Fratrum nobis constiterit, sine mora et negligentia, quilibet Monachus sacerdos Missam unam, cæteri vero qui non fuerint sacerdotes quinquaginta psalmos dicent : et pro singulis eorum mortuis uni pauperi semel in refectorio tenebimur necessaria ministrare. Dicti autem Fratres pro Monachis nostris mortuis supradicta facere tenebuntur, excepto quod de paupere pascendo superius est expressum. Fratres eorum Laici pro quolibet Monacho nostro mortuo, centum quinquaginta *Pater noster* dicere tenebuntur. Adjectum etiam fuit quod audita morte Prioris dicetur Officium solemniter in conventu, et ipsi

* Esvron.



ANNUS 1242

Fratres ad hoc similiter tenebuntur cum Abbatis Ebronii eisdem fuerit obitus nunciatus. Et ut hoc inviolabiliter in perpetuum permaneret, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum ann. Domini 1242, mense Januario. »

Posthac idem Abbas vel ejus successor spiritualibus temporalia addidit, quosdam reditus ad sustentationem Monachorum conferens.

JESU CHRISTI

ANNUS 1243.

Innocentii PP. IX	Ordin. Cartus.	Hugonis II Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 160.	Ann. 2.

I. SEQUITUR Christi annus millesimus ducentesimus quadragesimus tertius, Indictione prima, quo post longam satis summæ Sedis vacationem, tandem mense Junio Summus Pontifex Innocentius hujus nominis quartus creatus est.

PROBATUR HUGONEM II PRÆFUISSE CARTUSIÆ.

Onuph. in Chron. Summor. Pontific.

Constat etiam Hugonem, hujus nominis II, Cartusiæ primariæ gubernaculum tunc temporis tractasse, qui sedente Capitulo generali sequentes litteras Priori Portarum in gratiam ejus Domus concessit:

« Nos Hugo dictus Prior Cartusiæ cæterique Priores in generali Capitulo constituti, notum facimus universis præsentem cartulam inspecturis, nos concessisse Bernardo Priori et Fratribus Portarum plenariam licentiam possidendi extra terminos suos illam acquisitionem salis quam eisdem fecit Dalmatius bonæ memoriæ, obedientiarius Sancti Justi Lugdunensis, apud Ledonem. Ipsam in quantum ad nostrum Ordinem pertinet ratam et firmam habentes, autoritate Capituli irrevocabiliter confirmamus. In cujus rei testimonium tradimus eis præsentem cartulam, nostri sigilli munimine roboratam. Datum anno MCCXLIII. »

II. Hoc etiam anno Guillelmus Cartusiensis monachus, olim episcopus Mutinensis, vir sanctitate (ut habet Raynaldus ad hunc annum) atque amplissimis rebus gestis et legationibus in Germania et septemtrionalibus regnis clarissimus,

GUILLELMUS CARTUSIENSIS AD IMPERATOREM A PAPA LEGATUR.

ANNUS 1243

cum Petro Rothomagensi archiepiscopo et Guillelmo sancti Facundi abbate, ad Fridericum Imperatorem pacis conciliandæ gratia ab Innocentio Summo Pontifice delegatur, quem anno sequenti videbimus in Cardinalium collegium coaptatum.

WILLELMUS DE BRUSINAIS FIT ANGIONIS REDDITUS.

III. Eodem tempore vir nobilis Guillelmus de Brusinais Redditi habitum in cartusia Angionis induit, dato prius quodam agrario laterculo cum hæredum suorum approbatione. Extant sub hac forma hujus donationis litteræ :

Ex originali.

« Sciant omnes præsentem paginam inspecturi, quod ego Willelmus domicellus de Brusinais, laudantibus, et assentientibus, et se in perpetuum ab omni contraveniente protecturos promittentibus duobus filiis meis Perreto et Gauchisio, pro remedio animæ meæ et animarum eorum et omnium parentum nostrorum, dedi et concessi Deo et Fratribus Domus Angionis Cartusiensis Ordinis : primum quidem, meipsum ad convivendum ibi et ad commoriendum, et in eorum servitio semper et fideliter permansurum. Ipsi autem promiserunt mihi quod reciperent me in Redditum suum, si generale Capitulum eis permitteret; sin autem debent mihi dare victum sicut uni de Redditis suis, et vestitum sicut uni de mercenariis. Deinde vero dedi eis de allodio meo totam terram et omnino quidquid habebam inter fossatum *de la Marmoreia* et fossatum de Lunagio, nullum jus aut censum aut pelucheriam, nullam exactionem, nullam conventionem in locis et rebus prædictis mihi aut posteris meis modo quocumque retinens; sed in omni libertate et pace, dominio et integritate prædictis Fratribus possidenda relinquens amodo et usque in sempiternum. Verum quia sigillum proprium non habebam, rogavi et impetravi ut dominus Hiblo de Monz, et dominus Henricus filius ejus, et Coenetus dominus Genulliaci præsentem paginam sigillorum suorum munimine roborarent. Huic redditioni et donationi meæ in manu Domni Jordani Prioris dictæ Domus factæ interfuerunt : Amaudricus capellanus de Genulliaco, et Raymundus capellanus de Brusins, et Anselmus domicellus de Brusinais, et Stephanus de

Gillie clericus; et de Domo Angionis Frater Aymo et Frater Petrus Conversi, et plures alii. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, mense Januario, in festo sancti Hilarii. » ANNUS 1243

IV. Adhuc superstes erat in hac Domo Guillelmus anno 1256, quo filii ejus quamdam terram Nostris vendiderunt, scriptis hujusmodi litteris : EJUS FILII ERGA HANC DOMUM BENEVOLI.

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Noverint omnes præsentem paginam inspecturi, quod cum nos Petrus et Gauchisius, fratres de Brussines, filii Willelmi quondam domicelli, nunc autem Redditi Domus Angionis Cartusiensis Ordinis, haberemus quamdam terram in parochia de Brussines sitam in loco qui dicitur Castanella, quæ terra communis erat nobis et Anselmo de Brussines domicello, partita prius per medium eadem terra inter nos et Anselmum jam dictum : nos partem quæ nobis ex divisione facta accidit, cum arboribus quæ in ea sunt, vendidimus pretio quadraginta et sex solidorum et sex denariorum dictæ Domui Angionis, etc.; et si, quod absit, postquam requisiti essemus a Domo Angionis, hæc quæ promisimus facere negligeremus vel differremus, volumus et concedimus quod capellanus noster de Brussines, quicumque fuerit illo in tempore, nos sub interdicto teneat donec promissa integre complessemus. Insuper omnes querelas et discordias quas sive pro terris, sive pro lignis, sive pro aliis quibuscumque rebus habebamus vel habere posse videbamur adversus prædictam Domum, solvimus et guerpivimus in perpetuum. Promittentes quod amodo boni et fideles amici ejusdem Domus erimus, etc. Et quia sigillum proprium non habebamus, præsentem paginam sigillari fecimus sigillo domini Henrici domini de Monz, ad rei sic gestæ certitudinem ampliorem. Actum anno MCCLVI, mense Junio. »

V. Eodem prorsus tempore, alter ejusdem familiæ, Petrus de Brussinais miles, consentiente uxore sua et aliis quorum intererat, Conversi statum in eadem Domo amplexus est. Id testantur plura instrumenta, quorum unum sequentis est tenoris : PETRUS EJUSDEM FAMILIÆ CONSENTIENTE UXORE FIT CONVERSUS IBIDEM.

ANNUS 1243

« Sciant omnes præsentem paginam inspecturi, quod ego Petrus de Brusines miles, Domum Angionis Cartusiensis Ordinis intrare et ibidem pœnitentiam peragere cupiens, cum laude et assensu domini mei Coeneti domini Genulliacensis, et Perretæ uxoris meæ, et Anselmi domicelli hæredis mei et Nicolæ uxoris ejus, et filiarum mearum Guillermæ et Raymundæ, et etiam cum laude et assensu Joannis filii Aymonis de Vincenz et Perretæ uxoris Hugonis de Bosson, dedi et concessi eidem Domui, pro remedio animæ meæ et animarum omnium parentum meorum, in perpetuam eleemosynam tres cupas frumenti ad mensuram de Nions et unum sextarium vini ad eamdem mensuram, quæ solvet semper Anselmus hæres meus, etc. Si vero contingeret quod ego Domum Angionis intrare vel post introitum meum Ordinem tolerare, vel propter querelas meas non emendatas, seu propter aliam culpam meam tolerari ab Ordine non possem : volo et concedo, ut nihilominus supra memoratas eleemosynas universas et singulas eadem Domus in perpetuum cum omni integritate et dominio, libere et quiete habeat et possideat, et quidquid facere voluerit, omni tempore faciat, sive vendendo, sive donando, sive obligando, vel quomodolibet aliter commutando. Nullumque in eleemosynis istis aut jus, aut censum, aut pelucheriam, nec aliquam exactionem mihi vel alicui posterorum meorum retineo. Volo etiam et concedo ut venerabilis Pater et Dominus noster Aymo, Gebennensis episcopus, huic meæ donationis paginæ sigillum suæ autoritatis in robur et testimonium sempiternum apponat, eamque tam ipse quam alius quicumque fuerit in Ecclesia Gebennensi successor ejus episcopus, Domui Angionis semper manuteneat et defendat. Datum ann. Domini MCCXLIII. »

COENETUS DE GENULLIACO DONATION. EJUS CONFIRMAT.

VI. Juxta prædicti Militis voluntatem, Aymo episcopus Genevæ sigillum suum his litteris apposuit. Coenetus vero dominus Genulliaci, e fundatoribus hujus Domus progenitus, cuncta quæ idem Miles præfatis litteris dederat confirmavit, ut sequitur :

« Ego Coenetus, dominus Genulliaci, notum facio universis

præsentem paginam inspecturis, quod Petrus de Brusinais miles et homo meus, volens relinquere sæculum et Domum Angionis Ordinis Cartusiensis intrare ; ante susceptionem habitus Ordinis adhuc manens in domo sua, res quasdam in perpetuam eleemosynam cum assensu et laude mea et Perretæ uxoris suæ et Anselmi domicelli hæredis sui et aliorum multorum, quorum nomina in chartis inde confectis leguntur, Domui concessit eidem, videlicet totam terram allodii sui quam habebat inter fossatum *de la Marmoreia,* etc. Has autem dictas eleemosynas universas et singulas, tali modo supradictus Petrus dedit et concessit Domui supradictæ, ut etiamsi Ordinis habitum non susciperet, vel si susceptum deponeret, vel si post susceptionem propter culpam suam seu querelas non emendatas Ordo eum repelleret, vel ipse propter infirmitatem suam Ordinem sustinere non posset et, ut breviter exprimatur, quidquid ipse amodo faceret vel quidquid sibi accideret ; Domus Angionis nihilominus eas in omni libertate et pace haberet et perpetuo possideret. Testes rogati et vocati : Willermus capellanus de Brusinais, et Stephanus de Gillie diaconus, et Hugo Darnai miles, et Petrus Conversus Angionis, et alii quam plures. Actum anno Domini MCCXLIII in domo ejusdem Petri, in manu et præsentia Jordani Prioris Angionis, qui investituram omnium eleemosynarum supradictarum ab eodem Petro et ab Anselmo ejusdem Petri hærede suscepit. Unde ego Coenetus ante dictus ad mandatum et preces prædictorum Petri, Perretæ et Anselmi, præsentem paginam Domui Angionis sigilli mei munimine roboravi. »

ANNUS 1243

VII. Deinde jam factus Novitius, ab eodem Coeneto et Perreta uxore sua ac duabus filiabus suis, aliisque quorum intererat, voluit quidquid Nostris dederat simul approbari et confirmari, quod factum est sub tali sententia :

IDEM FACIUNT PERRETA EJUSDEM PETRI UXOR ET ALII QUORUM INTEREST.

« Ego Coenetus, dominus Genuliaci, notum esse volo universis præsentes litteras inspecturis, quod Petrus de Brusinais, miles et homo meus, dedit et concessit Deo et Fratribus Domus Angionis Cartusiensis Ordinis : primum quidem seipsum ad convivendum et ad commoriendum, et ad agendum inter

ANNUS 1243

eos pœnitentiam secundum ejusdem Ordinis instituta. Postmodum autem dedit et concessit eisdem Fratribus in perpetuam eleemosynam a Brusinais pratum unum quod dicitur *Enleia*. Item dedit, etc. Si vero contingeret, quod absit, quod prædictus Petrus vel propter fragilitatem suam tolerare Ordinem, vel propter querelas suas non emendatas seu propter aliam culpam tolerari ab Ordine non posset, et ideo de Domo prædicta exire eum necesse foret, voluit et concessit ut nihilominus supra nominatas eleemosynas eadem Domus in perpetuum cum omni integritate et dominio quiete et libere habeat et possideat; et quicquid de eis facere voluerit, omni tempore faciat, sive vendendo, sive donando, sive obligando, vel quomodolibet aliter commutando, pro remedio animæ suæ et parentum suorum. Nullum in eleemosynis istis, aut jus, aut censum aut pelucheriam, nullam exactionem vel sibi vel suis posteris retinendo. Sub ejusdem libertatis forma ego et ipse concessimus supra dictæ Domui ubique in nemoribus nostris usagia necessaria, ad calefaciendum habitantes in loco, et pro domibus et vineis ædificandis; ut in omnibus his utantur nemoribus nostris sicut cæteri homines nostri de Brusinais, libere tamen et sine omni censu, nullam inde solventes conventionem vel exactionem. Si autem Domus Angionis extra terram jam dictam vellet acquirere terram aliam et in ea vel domum vel vineam ædificare, eadem et eodem modo, ut diximus, in nemoribus nostris usagia eis concessimus. Has itaque prædicti Petri eleemosynas, tali modo ut dictum est, Domui Angionis factas, ad preces ipsius, ego Coenetus ante dictus, et Dominus Henricus de Monz, et Perreta uxor ejusdem Petri, et Anselmus domicellus qui hæres eorum remansit, et Nicola uxor ejusdem Anselmi, et Hugo de Bosson miles et Perreta uxor ejus, et duæ filiæ supra nominati Petri Guillelma et Raymunda, laudavimus et confirmavimus et de eisdem Jordanum Priorem Angionis investivimus, promittentes bona fide quod eas manutenebimus et defendemus per nos et per hæredes nostros prout melius intelligi potest, ad honorem Dei et utilitatem Domus dictæ.

Actum anno Domini MCCXLIII, mense Januario, et roboratum sigillo meo et sigillo domini mei Henrici de Monz : ego etiam Hiblo dominus de Monz, ad preces utriusque partis, sigillum meum huic cartæ apposui ad hujus rei ita gestæ testimonium sempiternum. »

ANNUS 1243

VIII. Ad quem porro statum inter Nos admissus fuerit non loquuntur supra scripta Instrumenta; sed aliud ab Anselmo ejus hærede datum, manifeste innuit eum in fratrem Conversum receptum fuisse, sic autem habet :

PROBATUR FUISSE CONVERSUS.

« Sciant omnes præsentem paginam inspecturi, quod ego Anselmus domicellus, hæres Petri de Brusinais militis, juravi super sancta Dei Evangelia me servaturum Domum Angionis indemnem de omnibus debitis et querelis dicti Petri de Brusinais militis, quem ad preces meas Jordanus Prior Domus ejusdem in fratrem Conversum recepit. Et quia sigillum proprium non habeo, dominus meus Coenetus de Genuli ad preces meas sigilli sui munimine præsentes litteras roboravit. Actum anno Domini MCCXLIII, mense Januario. »

Similes litteras dedit Aymo de Vinzens, in quibus pariter dicit Petrum nostrum ab eodem Priore Jordano in fratrem Conversum receptum fuisse.

IX. Eodem anno, cum paulo ante Joannes de Aquila, Prior Generalis Grandimontensis, tranquillioris vitæ cupidus onus deposuisset, recrudescentibus post Ademari electionem antiquis Ordinis controversiis, Innocentius Papa duos Ordinis Cisterciensis Abbates, sicut jam vidimus Gregorium illius antecessorem fecisse, cum Bernardo et Lioutando Cartusiarum Portarum et de Ligeto Prioribus constituit; qui a capite incipientes, ipsum Grandimontis monasterium temporalibus et spiritualibus oppressum visitarent et ad pristinæ observantiæ splendorem revocarent. Atque ut id munus faciliori via obirent, duo rescripta unum Regi Franciæ, alterum Marchiæ et Engolismæ Comiti direxit, quibus utrumque hortatur ad præfatos Visitatores tuendos juvandosque.

ORDO GRANDIMONT. REFORMATUR.

Jo. Levesque Epitom. Annal. Grandimont. ad an. 1243.

Sammarth. in Abb. Grandimont.

« Innocentius, etc. Dilecto filio, nobili viro Comiti Marchiæ et Engolismæ salutem et Apostolicam benedictionem. Ea te

Ex Bullario ms. Ord. Grandimont. parte 2.

ANNUS 1243

credimus circa ecclesias et viros ecclesiasticos sinceritatis affectione fervere, ut attente inter cæteros Nobiles honori eorum invigiles, et studiose eorum utilitatibus procurandis intendas, Nosque pro ipsis et maxime pro Religiosis personis eo fiducialius tibi, cum expedit, dirigimus preces nostras, quo illas a te speramus firmiter et audiri libentius et effectui propensius demandari. Cum itaque monasterium Grandimontense graviter hactenus in spiritualibus et temporalibus extiterit deformatum : Nos cupientes illud laudabiliter exurgere in utrisque, reformationem illius dilectis filiis Ursicampi et Belencuriæ abbatibus Cisterciensis, et Portarum et de Ligeto Prioribus Cartusiensis Ordinum, Noviomensis, Trecensis, Lugdunensis et Turonensis diœcesum, duximus committendum; quia vero interdum reformationis officium nequit libere ab eis quorum interest, perversorum impediente malitia, exerceri, et ad Ecclesiarum defensionem et reformationem turbantium pacem et quietem ipsarum nascitur Principibus cœlitus attributa potestas; Nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta, mandantes quatenus prædictis Abbatibus et Prioribus, cum fueris ab eis requisitus, ad ejusdem reformationis negotium salubriter promovendum, pro divina et Apostolicæ Sedis reverentia, tribuas auxilium et favorem ; ita quod non possit per aliquorum malitiam impediri, et nos devotionem tuam dignis in Domino exinde laudibus commendemus. Datum Anagniæ, XIII Calendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo. »

Simile rescriptum misit ad Franciæ Regem, 17 Septemb., Pontif. anno primo.

Juxta potestatem sibi factam, præfati Visitatores in Capitulo Grandimontensium generali, anno sequenti celebrato, multa statuerunt quibus Ordo Grandimontensis videbatur destitus et Cisterciensis fieri. Itaque nonnulli e dicto Ordine, Guillelmum Dongres suum Priorem generalem qui Aldemaro successerat secuti, Summum Pontificem adierunt atque super his postularunt sibi provideri. Quibus Innocentius concessit

Jo. Levesque ubi supra.

Joannem, tit. S. Nicolai in carcere Tull. Diaconum cardinalem, auditorem : ad cujus relationem quædam antedictorum reformatorum Statuta irritavit, quædam suo privilegio inseruit, ut post biennium videbimus. ANNUS 1243

X. Mense Novembri, Innocentius Papa ad Joannem Alatrinum episcopum et Guillelmum Trisultanæ cartusiæ Priorem scribit ut inquirant de vita et miraculis fratris Laurentii Sublacensis eremitæ, ut patet ex processu qui in bibliotheca emin. cardinalis Ottoboni asservatur, ex quo Pontificis mandatum ad præfatos Commissarios datum habuimus sub sequenti tenore :

GUILLELMUS PRIOR TRISULTI INQUIRIT DE VITA B. LAURENTII SUBLAC.

« Innocentius, etc., vener. fr. episcopo Alatrino, et dilecto filio Priori monasterii sancti Bartholomæi de Trisulto Alatrin. diœces., salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram fide dignorum relatio pervenit, quia propter merita quondam fratris Laurentii cujus corpus requiescit juxta monasterium Sublacense, Dominus Jesus Christus multa et magna miracula est operatus. Cum itaque viri tanti memoria non debeat apud homines deperire, Nos super hoc plenius certificari volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus ad dictum monasterium personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, de vita et miraculis Fratris ejusdem inquiratis diligentius veritatem; et quæ inveneritis fideliter in scriptis redigi, et scripta rescribi denuo per manum publicam facientes sub sigillis vestris; alterum scriptorum ipsorum apud dicti monasterii et reliquum penes Anagninæ ecclesiæ sacristias deponere procuretis, conservanda in illis usque ad nostræ beneplacitum voluntatis; rescripturi nobis quidquid super his duxeritis faciendum. Datum Laterani, IV Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo. »

Ex ms. codice Bibliot. Card. Ottoboni not. I. 1. 17.

His acceptis mandatis uterque Commissarius ad locum se transtulit, suæque inquisitionis tabulas perscribere cœpit in hanc formam : « Nos, Joannes humilis Alatrinus episcopus et f. G. Prior S. Bartholomæi de Trisulto literas Apostolicas recepimus in hunc modum : Innocentius.... ut supra. Hujus

ANNUS 1243

itaque autoritate mandati ad monasterium personaliter accessimus Sublacense, et testes super vita et miraculis fratris Laurentii Morrebottis recepimus infra scriptos et eosdem examinavimus diligenter, anno Domini MCCXLIV, Pontificatus Domini Innocentii quarti Papæ anno primo, Indictione II, mensis Februarii, die XX. » Hujus inquisitionis meminit Camillus Tutinus, Prioremque Trisulti vocat Gregorium. Sed ex Priorum hujus Domus accuratissimo Catalogo ad nos transmisso, constat Guillelmum præfuisse hoc et sequentibus annis.

Prosp. Hist. Ordin. Cartus. ad an. 1243.

JESU CHRISTI

ANNUS 1244.

Innocentii PP. IV. Ann. 2. | Ordin. Cartus. Ann. 161. | Hugonis II Pr. Cart. Ann. 3.

I. ADEST Salvatoris annus post millesimum ducentesimum quadragesimus quartus, Indictione secunda, quo Innocentii Pontificis maximi ad totum Ordinem Cartusiensem sequentes datæ sunt litteræ :

LICENTIÆ AB INNOCENTIO NOSTRIS CONCESSÆ.

« Innocentius, etc. Dilectis filiis Priori et Capitulo Ordinis Cartus. salutem et Apostolicam benedictionem. In agro Ecclesiæ a Domino deputati cultores, inter cætera ipsius agri plantaria specialiter Religionem sacram Apostolicæ gratiæ intendimus rore conspergere, ac favoris fulcimento necessarii confovere; ut laudabilibus continue proficiens incrementis, florem conferat copiosius honestatis et fructum salutis uberius Deo tribuente producat. Unde ne profectum ipsius necessariorum contingat impediri defectu, non solum nociva sibi correctionis falce amputare cupimus, verum etiam in his ei quæ opportuna ipsi cognoscimus, subventionis commodo providere. Hinc est quod nos attendentes, ut convenit, defectus multiplices quos, pro eo quod necessaria vobis non habetis animalia, sustinetis, et indigentiæ vestræ paterno in hac parte compatientes affectu ; precibus etiam dilecti filii nostri S. tituli sanctæ Mariæ trans Tiberim presbyteri cardinalis inducti, Ordini vestro ut quælibet Domus ipsius usque ad sexaginta vaccas, prout sibi expedire viderit, habere valeat, autoritate præsentium indulgemus. Datum Lateran.,

Extant inter privil. Ordin. n. 60.

ANNUS 1244

tertio Nonas Februarii, Pontificatus nostri anno primo. »

Nihilominus per chartam Capituli generalis anni 1249, præfatus numerus vaccarum ad quadraginta reductus fuit, ut videre est in ordinatione ejusdem Capituli quam habes lib. I horum Annalium et sic incipit : « Status vaccarum testatur, etc. » Cardinalis, ad cujus preces Innocentius hanc bullam dedit, vocabatur Stephanus ; ab Innocentio III primum Cardinalis diaconus S. Adriani creatus.

Pag. 104.

GUILLELMUS MON. CART. FIT CARDINALIS.

II. Idem Innocentius eodem anno plures creavit Cardinales, inter quos annumeratus fuit Guillelmus quondam episcopus Mutinensis, nostri Ordinis monachus ; qui paulo post Lugdunum in comitatu Summi Pontificis adveniens, ad Priorem Cartusiæ sequentem epistolam dedit, qua conceptum ex nova dignitate dolorem exprimens, insignes profundæ humilitatis notas exhibet. Hanc ex veteri scheda Cartusiæ inter antiquitates bibliothecæ domini Verderii, Vallisprivatæ domini, repertam Lugduni, noster Molinus Historiæ suæ sub tali tenore inseruit :

« Venerabili et in intimis charitatis visceribus dilectissimo Patri meo D. Hugoni Priori Cartusiæ, sanctisque Fratribus ejusdem conventus, frater Guillelmus Mutinensis episcopus, et cardinalis Sabinus nunc quamvis indignus permittente Deo creatus, debitam obedientiam et devotissimas filii orationes. Afflictus miserandum in modum, Pater Fratresque mei, sum ; nec me gravabat in tantum episcopalis sarcina quamquam immensa, quantum premit jam et incendit quod opprobrium ego hominum et abjectio plebis, de stercore miserabili elevatus, sedere jam jubeor inter Ecclesiæ mundique Principes, id est, inter vigilantissimos speculatores dormiens homo et cæcus ; inter gubernatores fortissimos timidus miles ; et canis, si non mutus, saltem non audax, nec satis clipeo orationis munitus et armatura justitiæ, quibus tectus venientia tela sine offensione excipiam. Vere humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster, nihil nisi Cartusiam meam expetebam : ad hanc solam vota vitaque mea suspirabant, et inspirabam quotidie Pontifici

sancto liceret mihi, jam in extremis posito, saltem in illa quiescere, et cum patientia inter innocentissimos Confratres meos, quidquid dierum reliquum erat, peragere. Parcat illi Deus, quid est quod facere voluit? sepultum hominem ad homines revocare, depositum in terribile curarum pelagus reponere, ut me honoris altitudo iterum resorbeat. Oro, Pater, filio tuo in Christo indulgeas, et illa sancta multitudo, cui Deo autore præes, uterinum Monachum, ne dicam cardinalem Guillelmum, suum esse recordetur. Confidimus in vestris precibus: dumque inter dubia anxiæ mentis meæ nullum occurrit aliud remedium nisi ad Deum ipsum recurram, obsecro supplicent ei Cartusiani mei, ut qui dedit honorem, ipse servet; et nos eam vitam donet ducere, quæ tantæ dignitati par sit. Condonet ut hæc tanti oneris speciosa, sicut corpus gravat ita non opprimat animam; eaque utiliter ad communem Ecclesiæ suæ salutem valeat collaborare, ne illi et Sanctæ Sedi ingrata videatur. Nonne et inimicis et persequentibus vos benefacitis? nonne et miseris misericordes adestis? recordamini confratris vestri, nec de numero vestrum aliquem a principe tenebrarum capi patiamini. Sentiam, quia jam tempus est, quod semper de vobis speravi; et cum claves regni cœlorum in manibus vestris sint, humili et devoto corde supplico, ut cæteris admissis, me fratrem vestrum nullo modo a regno vestro excludi sinatis. Rediissem ipse ad vos, et quod scribo, ore maluissem dicere, nisi cœptum iter in Norwegiam, ad quam de mandato Summi Patris nostri festino, impedivisset. Si Deo propitio inde sospes rediero, non præteribo donec videam quos diligit anima mea. Interim quod præsens non possum, absens facio; totumque Fratrum collegium intimo affectu et affectuosissima devotione saluto, deprecans ut pro me causaque itineris mei mentium suarum thuribula et orationum sanctarum velut fumum aromatum in cœlum emittant: quibus pro officio, quantum possum, ex parte omnipotentis Dei et purissimæ Virginis matris Dei Sanctorumque omnium corde et ore benedico. Lugduni, die 29 Nov., anno Incarnationis Dominicæ MCCXLIV. »

ANNUS
1244

ANNUS 1244

Etsi Guillelmus in hac epistola causam cur ad Cartusiam non accesserit, afferat Legationem quam festinate versus Norwegiam subire debebat, constat tamen eum adhuc per aliquot menses Lugduni hæsisse ac litteras suæ Legationis ibidem accepisse tantum mense Februario anni sequentis, sicut refert Raynaldus ad eumdem annum. Imo ex bullis anno sequenti datis, apparebit illum ibidem ad mensem usque Novembrem demoratum fuisse. Unde fit verisimile eum post scriptam epistolam, ad Cartusiam aliquando accessisse. Rursum igitur in septemtrionales regiones transmissus Guillelmus ad erigendam Religionis causam exortosque tumultus componendos, magna, ut prius, industriæ suæ ac virtutis facinora explicuit. Deinde Lugdunum reversus ibidem sancte mortuus est, ut alibi dicemus.

Raynald. ad an. 1245 n. 89.

V. an. 1251.

GAUFRIDI EPISCOPI CŒNOMAN. ERGA DOMUM PARCI BENEFICIA.

Bohic. Annal. ms. ad hunc annum.

III. Eodem tempore Præsul alter non minori sanctitate in Gallia nostra refulgebat, Gaufridus videlicet cognominatus de Loduno, episcopus Cœnomanensis; quem etiam hodie populi ut Sanctum invocantes, ad ejus tumulum in cartusia Parcensi erectum undequaque convolant. Unde monachi beneficia quibus beatus Præsul vivens primos ejusdem Domus Patres affecerat, quotidie sentiunt perennari. Hic sciens monachos quos pia fundatrix anno 1236 advocaverat, tanta premi rerum omnium penuria, ut alio divertere vel potius ad Domos unde fuerant assumpti redire cogitarent; eos blande consolatus promisit se eis non defuturum, dummodo locum non desererent. Impense enim lætabatur se viros hos sanctissimos, austeritate vitæ et pœnitentiæ exercitiis incomparabiles, in sua diœcesi habere, quorum eo tempore in his regionibus rara admodum erant monasteria.

Cernens igitur beneficus Præsul priora ædificia humiliora et minora quam conventui completo possent sufficere, majora meditari cœpit. Utque impensis par esse posset, baroniam Triviarum ad se jure hæreditario pertinentem distraxit, ac pecunia inde aggregata, claustrum, cellas, et alia necessaria ædificia cum clausuris, fontibus et stagnis, construi fecit. Ecclesiam quoque hoc præsenti anno suis sumptibus per-

Claustrum ædificat.

fectam, dedicavit Deo et B. Mariæ virgini, die festo SS. Dionysii et ejus sociorum. Et anno sequenti cœmeterium benedixit tertio Nonas Septembris, ac monachos e priori loco ad claustrum a se ædificatum transtulit. Deinde in qualemcumque monachorum sustentationem ab Abbate et Fratribus monasterii de Ebronio Ordinis S. Benedicti quædam bona obtinuit, ut ex sequenti apparebit instrumento :

ANNUS 1244

« Universis præsentes litteras inspecturis, Frater E. dictus abbas de Ebronio et ejusdem loci Conventus, salutem in Domino. Noveritis quod cum religiosi viri Fratres de Parco in Charnia, Cartusiensis Ordinis, reditus vel possessionem ad sufficientiam non haberent infra metas suas unde possent commode secundum sui Ordinis exigentiam sustentari, et ex hoc eorum recessus a dicto loco necessarius verissimiliter timeretur; Nos ad instantiam et requisitionem R. P. Gaufridi Dei gratia Cœnomanensis episcopi, tam nostri monasterii quam Domus ipsorum pensata utilitate, tradidimus et concessimus, et adhuc tradimus et concedimus eisdem in perpetuam emphyteosim domum nostram, etc., cum terris, etc. Datum apud Ebronium, de consensu et voluntate Conventus nostri et omnium Priorum congregatorum in nostro Capitulo generali, Dominica ante Nativitatem B. Virginis, in festo dedicationis ecclesiæ nostræ, anno Domini MCCLII. »

Quædam bona ab Ebroniensibus obtinet.

IV. Præterea idem Episcopus de facultatibus suis viginti libras annui reditus concessit, datis sequentibus litteris :

QUASDAM DECIMAS CONCEDIT.

« Universis præsentes litteras inspecturis, Gaufridus Dei gratia Cœnomanensis episcopus salutem in Domino. Quidquid habet Ecclesia temporale ad hoc specialiter deputatur ut exinde sustentetur spiritualitas, et cum locus affuerit amplietur. Quare nos considerantes tenuitatem nimiam reddituum Domus B. Mariæ de Parco, Cartusiensis Ordinis, quæ de novo fundata est in maxima paupertate ; advertentes etiam personarum sub tam stricto ordine ibidem commorantium sanctitatem, et timentes ne futuræ inopiæ magnitudo eos egestate intolerabili fatigatos cogeret ad recessum ; viginti libras Turonen. annui reditus super decimis quas in paro-

ANNUS 1244 chia.... de manu retraximus laicali, de consensu et voluntate B. decani et totius Capituli nostri quod ad hoc pium opus invenimus valde favorabile et benignum, prædicto tam * religioso loco liberaliter concedimus et in perpetuo assignamus. In cujus rei memoriam et munimen, nos et dictum Capitulum sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum anno Domini MCCLII, mense Septembri. »

* *Al.* jam.

IDEM EPISCOPUS MORITUR ANAGNIÆ IN ITALIA.

V. Hanc Gaufridi donationem post illius mortem Alexander Papa IV, bullatis codicillis, anno sequenti, septimo Idus Augusti confirmavit. Anagniæ tunc morabatur Alexander, quem noster Gaufridus eodem tempore convenerat, jura Ecclesiæ sponsæ suæ contra quemdam Principem tuiturus; sed morte præventus paucis post suum adventum diebus, negotium perficere non potuit. In libro Anniversariorum hujus Domus ad tertium Nonas Augusti hæc de eo leguntur : « Obitus R. Patris domini Gaufridi de Loduno, Cœnomanensis episcopi et domini ac baronis Treviarum, qui vendito patrimonio suo, ecclesiam cum claustro, cellis, clausuris, fontibus et stagnis, et alia quam plurima hujus Domus ædificia construi et erigi fecit, et viginti libras nobis dedit, et etiam pecunias pro vestimentis habendis. » Et in alio codice recentiori hæc habentur : « Voluit insuper in hujus cartusiæ claustro cellam habere sibi propriam, ut multitudinis impedimenta fugiens, in solitudinis commoditate sanctis vacaret exercitiis. Totius etiam Ordinis alumnos ut filios tenerrime diligebat, et eorum aliquos in suis finibus se habere gaudebat, ut essent sibi virtutis consortes, et Ordinis aspera vestigia eorum exemplo insequeretur. »

Ejus corpus ad Parcum transfertur.

Funus ejus primum honorifice curatum fuit Anagniæ in ecclesia Fratrum Minorum. Sed, procurantibus cartusiæ Parcensis monachis, ex Anagnia postea delatum, sepulchro quod sibi vivens a septemtrionali majoris altaris parte parasse dicitur, conditum fuit; ubi hujusmodi epitaphia leguntur inscripta.

Hic jacet humatus Cenomanus præsul amatus,
Gaufridus gratus Domino, vitæque probatus,

Moribus ornatus, humilis, castus, moderatus,
Cujus jure status bene creditur esse beatus.

Aliud.

Morte revelavi quos vita semper amavi;
Nam quo fundavi templum, lectum mihi stravi.
Qui feci plenos, habito nunc inter egenos,
Et cui centenos dederam, non dat mihi denos.

In Actis Cœnomanensium Episcoporum nuper editis dicitur « vir magnæ fidei et litteraturæ, innocens manibus, mundus corde et renibus ; » et capite 44 : « clarus sanguine, clarior morum nobilitate, etc. ; in ætate primæva litteris initiatus, postmodum anno ætatis suæ quarto decimo, relictis figmentis poeticis et aliis Ethnicorum libris, sacræ Paginæ fructus uberrimos legit et elegit, æterna transitoriis anteponens. Idem honestatem jungere continuans contra carnis male blandientis lenocinia, mundum manu, mundum carne in sua perpetuo se servavit ; nec oblitus illius verbi Davidici, qui emittit fontes in convallibus, sicut humilem se foris exhibuit, sic humilitatis thesaurum inæstimabilem intus perpetuo custodivit. » Et post pauca : « Ejus itaque crebrescente fama, felicis recordationis Mauritius, tunc Cœnomanensis episcopus, vocavit eum in Ecclesia Cœnomanensi ad cantoriam cum præbenda, ubi laudabiliter se habuit, et per incrementa temporum bono se semper exhibuit meliorem, etc. Denique dictus Cantor ad regimen Cœnomanensis Ecclesiæ assumptus, humili se factus est humilior, patientior patiente, etc. » Et post pauca : « A Papa Legatus per totum regnum Franciæ constitutus, cum quanta humilitate legationem suam exercuerit, quanta diligentia Ecclesiam suam rexerit, sufficienter sum insufficiens explicare : cum subditorum propriam sibi reputaverit passionem, congaudens in Domino congratulanti, et in visceribus charitatis compatiens patienti. Idem nunquam inventus est otiosus. Aut studebat in sacra Pagina (prædicationis enim gratia clarus erat) aut orationi contemplationique vacabat ; mitioribus socium, omnibus amabilem se præbuit et beni-

Tom. 3, Veterum Analect. Mabilon.

Quibus virtutibus claruerit.

ANNUS 1244

gnum. Monasterium Cartusiense fundavit a primo lapide, capellam ibi faciens testudineam, cellasque melioribus totius Ordinis non minores. » Hæc ibi.

SANCTUS A POPULO NOMINATUR.

VI. Post mortem cœpit Vir beatus tot coruscare miraculis ut successu temporis a populo velut Sanctus habitus sit, et ita vulgo nominatus. Imo hæc cartusia in his regionibus non alio quam sancti Gaufridi nomine designatur; et id quidem ab annis trecentis et amplius. Cum enim Ludovicus vicecomes Bellimontis, anno 1364 in bello contra Anglos lethaliter sauciatus, morti esset proximus, inter cætera dixit, ut postmodum testes sub juramento asseruerunt : « *Si ie meurs, i'élis ma sépulture en l'église S. Geoffroy de Chartrouse ou Maine devant le grand autel.* » Id est, « si me mori contingat, eligo sepeliri in ecclesia Sancti Gaufridi cartusiæ Cœnomanensis ante majus altare. » Verum cum in sanctorum albo ab Apostolica Sede non sit solemniter relatus, nostri Cartusienses nullum de eo faciunt Officium præter anniversarium defunctorum, singulis annis, in ejus depositionis die.

Bohic ubi supra.

Fit concursus ad ejus tumulum.

Nihilominus manet ad nostra usque tempora idem qui a tribus vel etiam amplius sæculis peregrinorum concursus, non tantum vicinorum oppidorum aut solius Cœnomanensis Provinciæ, sed et Andegavensis, Turonensis, Normanniæ, Britanniæ, Wellorum, Carnotensis et aliorum populorum ; qui omnes uno ore paribusque votis et acclamationibus, Deum in sancto suo Gaufrido mirabilem agnoscunt et prædicant, eadem manante ex ejus invocatione perenni curationum scaturigine. Confluunt ergo et affluunt usquequaque ad sepulchrum sancti hujus Præsulis non solum singulares, sed facto agmine generales oppidanorum supplicationes, vel ut vocant *processiones,* qui eumdem ut jam inter Sanctos vindicatum venerantur. Inde solent hymnos, antiphonas et orationes de communi unius Confessoris et Episcopi in ecclesia ipsius cartusiæ solemniter in ejus honorem cantare. Imo ipsi sacerdotes, ut sæpius animadversum est, de eodem Missam celebrant. Nec vel monentibus in contrarium hujus Domus Patribus, nimius eorum fervor sisti aut dirigi aliter potest. Ut proinde vere hic

esse digitus Dei credatur, qui plerumque etiam ex ore infantium et lactentium laudem solet perficere. ANNUS 1244

VII. Hactenus de secundo fundatore Domus Parci, cujus præcipui benefactores habentur : Quidam episcopus Cœnomanensis cujus obitus denuntiatur in Charta anni 1248 cum tricenario per totum Ordinem, sed sine nomine. Is vero videtur esse Gaufridus de Capella qui juxta Sammarthanos obierat circa eumdem annum. Nobilis vir P. Duyziers natione Anglus, qui vivebat circa an. 1366, quasdam dedit pecunias, ex quibus una capella cum aliis ædificiis constructa est. Guido dominus de Laval, cujus obitus in Calendario Domus reperitur ad diem primum Septembris. Joanna de Laval ejusdem familiæ, circa initia seculi quinti decimi unum Monachum fundavit. Domicilla Maria d'Andigné et d'Ingrande, anno 1489 sepulta in choro Fratrum. Beatrix de Cornillé ibidem sepulta est, sicut et Joannes Beloteau armiger et vicecomitatus Bellimontis rector. Guillelmus Tierriau sacerdos, benefactor dicitur in Chartis Cap. gen. Renata le Couturier, domina du Chevre, soror Petri Sutoris hujus Domus aliquando Prioris, unam cellam ædificavit et dotavit, obiit anno 1552. Bartholomæus Hallé canonicus et archidiaconus Rothomagensis, quondam hujus Domus Novitius, quasdam pecunias dedit moriens, anno 1637.

BENEFACTORES PRÆCIPUI DOMUS PARCI.

Ex ch. 1557.

JESU CHRISTI

ANNUS 1245.

Innocentii PP. IV Ann. 3.	Ordin. Cartus. Ann. 162.	Hugonis II Pr. Cart. Ann. 3.

INNOCENTIUS CONFIRMAT PRIVILEGIA CARTUSIÆ.

Extant inter privil. nu. 61.

I. SALVATORIS nostri annus adest millesimus ducentesimus quadragesimus quintus, Indictione tertia, quo sedente vel paulo antea, absoluto Concilio œcumenico apud Lugdunum, Innocentius Pontifex confirmat terminos Domus Cartusiæ, eamque cum omnibus bonis suis ponit sub protectione Apostolica, ac multa alia privilegia concedit quæ jam ab illius antecessoribus concessa vidimus, maxime ab Honorio III, Innocentio III, Cœlestino III et aliis. Ejus bulla data est Lugduni per manum magistri Marini, S. R. E. vice cancellarii, 3 Nonas Novembris, Indictione III ac Incarnationis Dominicæ anno MCCXLV, Pontificatus illius anno 3; continetque omnia pene verba quæ in bullis habentur prænominatorum Pontificum, ita ut non sit opus ea modo repetere. Inter Cardinales qui suum apposuere chyrographum legitur Willelmus episcopus Sabinensis, nostri Ordinis, de quo jam sæpius annis præteritis egimus.

NICOLAUS CONVERSUS CART. PIE OBIIT.

II. Circa hæc tempora sancte obiit Nicolaus Cartusiæ Conversus, cui ægrotanti cum medici longiorem vitam promitterent : Ut quid, ait, mihi promittitis, quod præstare non valetis. Ecce crastina die moriar et in cœlum, ut spero, felix abibo ; nam beati fundatoris nostri Brunonis, Martini, et Bernardi vicarii nuper defuncti precibus, ac divæ Dei Parentis Virginis meritis, scio quia Christus mihi morienti

variiis hujus nostri Ordinis sanctis Patribus stipatus apparebit, meque ad regna sua tali hora vocabit. Dixit et divinis sacramentis rite susceptis, die quam prædixerat, diluculo in cœlum evolavit. Hæc sunt ex Historia ms. nostri Molini desumpta.

ANNUS 1246.

Innocentii PP. IV	Ordin. Cartus.	Hugonis II Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 163.	Ann. 4.

INNOCENTIUS CONFIRMAT STATUTA CAP. GEN.

I. ANNO millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, Indictione quarta, Innocentius adhuc agens Lugduni, gratiis anno proxime elapso nobis abundanter concessis novas addit, quibus confirmat Statuta Capituli generalis facta et facienda « Cum sitis, inquit, religioni et honestati, faciente Domino, dediti et intenti operibus charitatis : hinc est quod nos Religionem vestram, quæ per Dei gratiam circumquaque redolet odore virtutum, volentes ad anteriora extendi et suscipere jugiter incrementum ; ea quæ generale Capitulum de instituendis et destituendis Prioribus, ac de illis qui Ordini sunt rebelles, et aliis quæ in Ordine salubriter statuerunt hactenus vel de cætero duxerint statuenda, autoritate Apostolica confirmantes, rata et firma decernimus in posterum permanere, etc. Datum Lugduni, II Nonas Octobris. »

Extant inter privil. n. 63.

CONCEDIT UT CONVERSI TESTES SINT IN NOSTRIS CAUSIS.

II. Paulo ante in gratiam Domus Luvigniaci alias concesserat his verbis conceptas :

« Innocentius episcopus, etc. Dilectis filiis et fratribus de Luviniaco Cartusiensis Ordinis, Lingon. diœces., salutem et Apost. bened. Vestris devotis precibus inclinati, autoritate vobis præsentium indulgemus ut licitum sit vobis in causis propriis Fratrum vestrorum testimonio uti, ne pro defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis

infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Lugduni, XIII Cal. Oct., Pontificatus nostri anno IV. »

ANNUS 1246

NOSTRORUM TUTELAM COMMENDAT CLERO REMENSI.

III. Eumdem Summi Pontificis favorem jam sub initio anni senserant Monachi Montis Dei et Vallis sancti Petri, obtentis ad Archiepiscopum Remensem et Episcopos ei obnoxios sequentibus litteris :

« Innocentius, etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Remensi et Suffraganeis ejus, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis et aliis Ecclesiarum Prælatis, salutem et Apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et catholicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri Religiosi et hi maxime qui per Sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui illis congrua protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii Priores et Fratres Domorum Cartusiensis Ordinis in Remensi Provincia constitutorum, tam de frequentibus injuriis quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris Apostolicis petierunt excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint præsidio respirare. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus : quatenus illos qui possessiones vel res seu Domos prædictorum Fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint; aut ea injuste detinuerint quæ prædictis Fratribus ex testamento decedentium relinquuntur; seu in ipsos Fratres seu in ipsorum aliquem contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare; vel decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium generale, ante quod susceperunt ejusdem Ordinis instituta, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu nutrimentis animalium ipsorum,

ANNUS 1246

spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere : monitione præmissa, si laici fuerint, publice candelis accensis, singuli vestrum in diœcesibus et ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis; si vero clerici vel canonici regulares vel monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam donec prædictis Fratribus plenarie satisfaciant; et tam laici quam clerici sæculares, qui pro violenta manuum injectione in ipsos Fratres vel ipsorum aliquem anathematis fuerint vinculo innodati, cum diœcesani Episcopi litteris ad Apostolicam Sedem venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Lugduni, III Nonas Martii, Pontificatus an. tertio. »

GUILLELMUS CARDINAL. NOSTRI ORDINIS IN SUECIA ET NORWEGIA LEGATUS.

IV. Flagitante per hæc tempora Yaquino Norwegiæ Rege, ut Innocentius legatum Apostolicum in ipsius regnum mitteret, Willelmum Sabinensem episcopum nostri Ordinis quondam monachum eo munere ornavit Pontifex; quem Regi ut virtutibus cumulatissimum, rescriptis omni officio refertis litteris commendavit, meritisque etiam laudibus egregium ipsius in Sedem Apostolicam studium extulit. Nec modo Willelmo gerendæ in Norwegia, sed etiam Suecia, legationis officium injunxit, ut patet ex eisdem litteris ad præfatum Regem datis, in quibus inter cætera nostrum Willelmum sic celebrat : « De consilio Fratrum nostrorum providimus quod venerabilem fratrem nostrum Sabinensem episcopum in Norwegiam et Sueciam, concesso sibi plenæ legationis officio, destinemus. Qui cum sit de dignioribus membris Ecclesiæ, ad hoc tota mente sollicitus ut Deo per innocentiam vitæ placeat, et gratus hominibus per piæ studium conversationis existat intentus; ad hoc habebitur quod tuæ decus excellentiæ ac regni utilitas per ejus ministerium Deo propitio procuretur, etc. » Et in litteris quas ipse Innocentius ad nostrum Willelmum scribit, mandat ei quatenus adscitis Norwegiæ et Sueciæ Prælatis, et convocatis harum Provinciarum Nobilibus quos viderit opportunos, præfato Regi coronæ regiæ honorem largiatur. Quod factum fuisse anno sequenti, IV Cal. Augusti, narrat Parisius in *Historia Angliæ*.

JESU CHRISTI

ANNUS 1247.

Innocentii PP. IV	Ord. Cartus.	Bernardi de Turre Pr. C.
Ann. 5.	Ann. 164.	Ann. 1.

I. ANNUS Christi adest quadragesimus septimus supra millesimum ducentesimum, Indictione quinta, quo Hugo Cartusiæ Prior regimen illius abdicavit, quod biennio post iterum recipere cogetur. Successorem habuit Bernardum de Turre tunc cartusiæ Portarum Priorem, quem Chronici autor (qui Hugonem non noverat) scribit Martino successisse circa annum 1248. Sed hæc colligimus ad præsentem annum esse referenda, quod juxta Portarum Domus instrumenta constat Joannem, Bernardi in ejusdem Domus prioratu successorem, tunc sedisse. Bernardum certissime prioratum tenuisse adhuc anno sequenti, ex manifestis autoritatibus probabimus.

HUGO PRIOR CARTUSIÆ ABDICAT.

Bernardus succedit.

II. Eodem anno Lugduni agens Innocentius, Ordinis Grandimontensis Regulam et privilegia confirmavit; et ad Guillelmi ejusdem Ordinis Ministri Generalis instantiam, Statuta quæ Abbates Cistercienses, et Bernardus ac Lioutandus cartusiarum Portarum et Ligeti Priores olim condiderant, quibusdam mutatis approbavit, ut ex sequenti apparet bulla :

STATUTA GRANDIMONT. A CISTERCIENSIBUS ET CARTUSIENSIBUS EDITA CONFIRMANTUR.

« Innocentius, etc. Dilectis filiis Priori et Fratribus Grandimont. salutem et Apost. benedict. Rei quam rectitudinis vigore muniri conspicimus, robur adjicimus Apostolicæ firmitatis, ut quo fortius duplici munimento sustentationis innititur, eo ne cujusdam contrarietatis obice status lædatur ipsius sed potentior habeatur. Cum igitur, sicut ex parte vestra

Ex codice Grandim.

ANNUS 1247

fuit propositum coram nobis, Ursicampi et Belencuriæ Abbates Cistercienses et Priores Portarum ac Ligeti Cartusienses, olim Visitatores Grandimontis Ordinis a Sede Apostolica deputati, deliberatione provida duxerint statuendum ut novem clerici Grandimontis Ordinis a Priore et tribus Visitatoribus specialibus Grandimontis eligantur, qui una cum prædictis Priore et tribus Visitatoribus super casibus emergentibus in eodem Ordine audiant, definiant, et judicent singulis annis in Capitulo generali. Ac postmodum filius noster dilectus Joannes, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, Statutum ipsum de speciali mandato nostro duxerit approbandum prout in literis ejusdem inde confectis plenius continetur, quarum de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus tenorem, qui talis est :

« Joannes, miseratione divina S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, Religiosis viris Priori et Fratribus Grandimont. salutem in Domino. Venientibus ad Sedem Apostolicam pluribus ex Fratribus vestri Ordinis, super quibusdam Statutis a Visitatoribus vobis a Sede Apostolica deputatis ac aliis ab eisdem statuenda timebant, quæ Regulæ vestræ adversa et Ordinis vestri obvia privilegio asserebant; nec non super aliquibus in Regula et privilegio contentis, quæ eorum animabus laqueos injicere videbantur et dissentionis materiam ministrare. Eorum instantiam exhibita petitio postulavit per Summum Pontificem provideri ; quibus idem benigne annuens, nos Auditorem concessit eisdem. Sollicite igitur et diligenti studio examinatis per nos capitulis super quibus provisio petebatur, providit Sedes Apostolica, quæ salutis procurare videbantur dispendia et contentionis fovere materiam, ex eisdem Regula et privilegio salubriter amputare. Aliis per quæ dudum expectatæ concordiæ gratus vobis exhibetur effectus, salutis, pacis et quietis optatæ janua salubriter aperitur; eisdem diligenter insertis, et autoritate Sedis ejusdem irrefragabiliter confirmatis digestisque ibi, a vobis inviolabiliter observandis et in suo robore ulterius permansuris. Eorumdem quoque Visitatorum Statuta de quibus quæstio

habebantur, quæ Dominus Papa confirmavit vel reformavit in melius, eidemque privilegio bulla sua munito mandavit inscribi, duobus dumtaxat exceptis, videlicet de novem Diffinitoribus a Priore et tribus Visitatoribus Grandimontis in Capitulo generali eligendis, et de sessione Correctoris in refectorio et aliis locis inter ipsorum Statuta contentis, quæ tanquam salubria Ordini et per ipsos Visitatores præcedentibus temporibus approbata, in suo volumus ad præsens robore permanere. Et quia tam a Clericis quam Conversis accepimus quod Prior et tres Visitatores una cum novem Diffinitoribus electis ab ipsis in Diffinitione procedunt, hoc ipsum pro utilitate Ordinis, quam ex hoc credimus profecturam, volumus observari; præsertim cum et talis dicatur fuisse statuentium intellectus. Ne autem alicujus dissentionis perniciosus obex occurrat, volumus ut si quandoque temporalia prædictis tredecim emerserint vel evenerint disponenda, ab ipsis ex Conversis aliqui advocentur qui magis idonei videbuntur, et super dispositione instanti consilium requirant. Prædicta vero duo capitula non duxit Dominus Papa privilegio vestri Ordinis inserenda, eo quod pro varietate temporis interdum negotiorum status expedit variari. Voluit tamen hæc ipsa vobis nostris expressa literis exhiberi, ne forsan revocata eadem ab ipso aliquibus viderentur. Datum, etc. Nos vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem Visitatoribus generalibus factum est et ab eodem Cardinali postea approbatum, autoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Datum Lugduni, VIII Idus Septembris, Pontificatus nostri anno V. »

ANNUS 1247

III. Hoc anno Alphonsus S. Ludovici regis frater, comes Pictaviensis, ad bellum se comparans quod adversus Saracenos anno sequenti ferre sanctus Rex decreverat, Deum sibi propitium reddere voluit multis beneficiis in varias suarum ditionum ecclesias collatis. Hanc ejus beneficentiam et liberalitatem experti sunt Nostri Domus Portus Beatæ Mariæ Cartusienses, ut ex sequenti diplomate videre est :

ALPHONSUS COMES PICTAVIENSIS BENEFACTOR PORTUS B. MARIÆ.

ANNUS 1247

Ex Archiv. ejusd. dom.

« Alphonsus regis Franciæ filius, comes Pictaviensis, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod nos pro salute et remedio animæ nostræ, concessimus viris Religiosis Priori et Conventui Domus B. Mariæ de Portu, Ordinis Cartusiensis, sitæ subtus Bellumforte, quod si eos infra prædictæ Domus terminos, qui sicut dicunt fere per leucam unam protenduntur, in feudis nostris aliqua seu per emptionem, seu per eleemosynam sibi factam acquirere contigerit, ea libere teneant et quiete. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigillum nostrum duximus apponendum. Actum Riomi, an. Domin. MCCXLVII, mense Novembri. »

Alphonsus e Syria reversus, comitatus Tolosani, qui sibi ex soceri morte obtigerat, possessionem initurus, novis Nostros affecit beneficiis, quadraginta eis solidos annuales concedens sustentationi unius Monachi, tunc temporis pares. Concessionis hujus literæ apud Tornoliam datæ sunt, ann. Domini 1251, die Veneris post festum B. Mariæ Magdalenæ.

MULTI NOBILES CERTATIM NOSTRIS BENEFACIUNT.

IV. Multi Nobiles cum ad idem sese bellum accingerent, pii Principis æmulantes liberalitatem, Nostros sibi variis concessionibus utique devinxerunt. Inter quos eminent Hugo de Turre, Claromontensis episcopus, qui quamdam decimam Domui Portus Beatæ Mariæ contulit per manus Guillelmi de Cebariaco decani, hoc anno die Martis post B. Mariæ Nativitatem. Obiit ille ultra mare anno 1249 in exercitu S. Ludovici. Willelmus cantor, dominus de Telhede et de Combronde, perpetuos quosdam reditus concessit ad victum totius Conventus per tres dies continuos in Natali Domini. Extant de his litteræ datæ hoc etiam anno, mense Martio. Petrus vicecomes de Rupe, mense Julio, dedit in perpetuam eleemosynam unum siliginis sextarium. Petrus Aymundi domicellus, eodem tempore alia largitus est. Multæ aliæ reperiuntur donationes a Principibus et Nobilibus Regem comitaturis, hoc anno et sequenti aliis Domibus factæ. Sed hæ sufficiant.

BARTHOLOMÆUS BELLILARICI PRIOR MORITUR.

V. Circa hæc tempora pie defunctus est Bartholomæus cartusiæ Bellilarici Prior, professus et olim Procurator Vallis

ANNUS 1247

S. Petri; vir præcipua in Deiparam, quam totis colebat animæ viribus, pietate illustris, qui cum Bellilarici regiminis onus summa omnium gratulatione tenuisset, Angelis etiam gratulantibus, tandem pietatis quam erga cœlorum Reginam vivens exhibuerat, mortuus centuplum recepit. De quo hæc habet vetus Bellilarici Chronicon : « Bartholomæus Vallis S. Petri Procurator, Prior extitit septem annis ; sub quo Missæ B. Virginis Mariæ sunt constitutæ (nempe in ipsa Domo Bellilarici singulis diebus privatim dicendæ), et reditus acquisiti, quibus cerei et lucernæ ardentes ad Missas hujus B. Mariæ Virginis quotidie celebrandas debeant devote et venerabiliter inflammari. Beatam vero Virginem tenere et specialiter diligebat. Cellarium et dormitorium Fratrum (videlicet Conversorum) sub eodem ædificatum est. » Deinde agens idem Chronicon de Bartholomæi successore, scribit quod eodem suæ electionis die ad Capitulum generale profectus, ibidem feria secunda *misericordiam* ab officio Prioratus obtinuit ; cum non amplius quam per duodecim dies Prioris nomen habuerit. Unde patet quod Bartholomæus obierit circa medium Aprilis (si tamen hoc anno obierit) ; nam præsenti anno Capitulum generale celebratum fuit quarto Calend. Maii. Alibi dicitur a Prioratu Bellilarici absolutus, in solitudine S. Petri superfuisse ad annum 1285 quo adhuc superstes fuisse creditur, sed sine ulla autoritate.

Missæ de B. Maria quotidie celebrantur apud Bellilaricum.

JESU CHRISTI

ANNUS 1248.

Innocentii PP. IV Ann. 6.	Ord. Cartus. Ann. 165.	Bern. de Turre Pr. Cart. Ann. 2.

BERNARDUS NOVAM EDIT DECRETORUM COLLECTIONEM.

I. SALVATORIS exurgit annus quadragesimus octavus post millesimum ducentesimum, Indictione sexta, quo Bernardus Cartusiæ Prior novas Constitutiones Capitulo generali obtulit examinandas ; ad quarum intelligentiam in memoriam revocandum est, post factam anno 1222 Statutorum collectionem, multa alia Decreta de quibus ante quindecim annos diximus, a Jancelino iterum fuisse coacta. Cum vero ex tot *Compilationibus,* ut vocabant, fieret hujusmodi Decretorum confusio, eadem, aut eorum notabiliora, Bernardus noster in unum corpus rursus collegit triginta compactum capitulis; totique operi hanc indidit inscriptionem : *De Reformatione Ordinis Cartusiensis.* Hac appellatione idcirco usus, quod multa in eis ex Jancelini Constitutionibus mutasset, addidisset vel rescidisset, ut ex trigesimo capitulo apparet, quod Bernardus sic incipit : « In novis Institutionibus, mutando, vel addendo, vel demendo, vel determinando sunt emendanda. Ubi dicitur in eis : In sabbato hanc Dominicam (nempe quæ inter Nativitatem et Circumcisionem accidit) præcedente, ad Vesperas totum Officium est de Nativitate et fit commemoratio de Dominica, addendum est : nisi in eodem sabbato sit festivitas S. Thomæ martyris. » Sicque multa alia addenda esse vel resecanda admonet, quæ per se satis indicant hujusmodi Reformationes, non tam abusus circa disciplinam regularem, quam quorum-

V. supra ad an. 1233.

dam usuum ac rituum interpretationes spectare. Quædam etiam sunt capitula ad statum vel regimen Ordinis pertinentia, quæ velut Cartusiensis lectoris curiositate digna, operæ pretium duxi subjicere. Quinto igitur capitulo, cujus titulus talis est : « Qualiter debeant fieri electiones », postquam de jejunio triduano et de vocandis electoribus egit, addit : « Cantata Missa, Priores vocati et Monachi Domus illius conveniant in Capitulo, et Priores proponant et autoritate Capituli generalis præcipiant, ut secundum Deum talem personam eligant qui dignus æstimetur et idoneus ad officium Prioratus. Hoc facto Monachi eant ad cellas, ubi Priores singulorum inquirant voluntates; et ubi majoris et sanioris partis vota in idoneam personam convenerint, autoritate Capituli generalis Priores ipsum confirment. Tamen Priores priores laborent, ut si forte aliqui discordaverint, eos ad concordiam revocent, ut a Domino probetur electio processisse. » Hanc clausulam qua suffragia in cellis colligenda dicuntur, videtur Bernardus adjecisse ex interpretatione non satis genuina verborum Concilii Lateranensis sub Innocentio III, decernentis ut « tres fide digni de collegio assumpti, secreto ac sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant. » Sed Rifferius Concilii mentem melius assecutus, clausulæ a Bernardo insertæ paulo post derogavit, decernens debere « fieri scrutinium non in cellis, sed in tali loco quod scrutatores ab omnibus videantur; sed ille qui nominat a solis scrutatoribus audiatur. » Quod certe prudentissime sancitum est ad vitandas, juxta ejusdem Synodi præceptum, clandestinas electiones. Et hæc forma perseveravit usque ad Concilium Tridentinum, quo districte præcipitur ut electiones per vota secreta fiant.

ANNUS 1248

C. quia propter.42. §. Statuimus Ext. de Elect.

Statut. Ant. p. 2. cap. 5. num. 16.

Conc. Trid. sess. 25. de Regular. can. 6.

Quid Priores ad electiones vocati observare deberent, sexto capitulo suarum Reformationum idem Bernardus sic præscripsit : « Monemus, inquit, Priores qui ad electiones vocabuntur, similiter eos qui ad privatum Capitulum super annum ad Domum Cartusiæ vocantur, eodem modo illos qui ad privatum Capitulum vocantur in Capitulo generali, ut Deum Judicem præ oculis habentes, juste et discrete pro-

ANNUS 1248

cedere studeant, ne a via Domini, amore aliquorum exorbitent vel favore. Sicut præcipitur Conventibus electionem facturis, ut Deum præ oculis habeant in eligendo : ita autoritate Capituli generalis dicitur Prioribus ad electionem vocandis, ut Deum habeant præ oculis, nec in personam non idoneam aliquando concordent. » Hæc omnia sacris concordant Canonibus. Quamobrem a Rifferio suis Statutis inseruntur, præter ea quæ mentionem faciunt « de Capitulo privato in Capitulo generali »; quod idem est ac Diffinitorium, his temporibus Capituli privati nomine designatum.

C. nihil 44. Ext. de Elect.

INSTITUUNTUR CUSTODES.

II. Hactenus Visitationes Domorum Ordinis annis tantum intercalaribus, sive bissextilibus, secundum Jancelini instituta fiebant. At sciens Bernardus ex hujusmodi lustrationibus studiose factis totam pendere Statutorum observationem, voluit, sive proposuit Capitulo generali, ut quidam Priores eligerentur qui singulis annis ad Domos visitatas pergerent, inquisituri an Visitatores suo strenue fungerentur officio. Novum hoc genus et munus Visitatorum, quibus *Custodum* nomen imposuit, cap. XIX suarum Reformationum sic describit : « Quia Visitationes tarde fiunt, instituentur Custodes qui singulis annis Domos Ordinis visitabunt, et autoritate Cap. gen. diligenter inquirant quid in eis fuerit emendandum. Et si Custodes invenerint Visitatores non bene processisse, renunciabunt Capitulo generali..... Item de Custodibus Statutum est quod ponantur, quorum officium sit diligenter inquirere utrum Visitationes ordinate et discrete sint factæ et diligenter observatæ : et si non; quis, vel qui sint in causa studiose inquirant et referant causam religiose, ordinate et charitative examinandam Capitulo generali; nec recipiant occultas confessiones sed apertas, vel quod quis se offeret probaturum. Nec de disciplina facienda se intromittant, sed ea omnino reservabitur Capitulo generali. Et omni anno in Cap. gen. dicetur quis, et ubi debeat esse Custos. Et sequentes cum supradictis etiam inquirent, si præcedentes Custodes diligenter suum officium sint executi : et si non; cum aliis referent et hoc eidem Cap. gen., qui et arbitrio Capituli pu-

nientur. Expensas de suis faciant in via, et quantæ fuerint referant Cap. gen. Et si inde se dixerint esse gravatos, Capituli arbitrio a Domibus quas custodiunt, degraventur; nec a Domibus quas custodiunt aliquid accipiant, nisi quod Visitatores. » Decani apud Cluniacenses, Custodes Ordinis vocati sunt. Hoc autem nomen Bernardus noster suis Visitatoribus extraordinariis videtur tribuisse, quod cæteros prudentia et disciplinæ studio præire deberent; quo sensu in Arnulfi Remensis archiepiscopi Historia, Arnulfus Aurelianensis episcopus « ordinis Custos ac omnium gerendorum interpres declaratus est, eo quod inter omnes Galliarum Episcopos sapientia et eloquentia clarior haberetur. » Non videtur hæc dignitas diu apud nos stetisse, si tamen unquam steterit; nam hujusmodi institutiones sive reformationes paulo post abrogatæ sunt, ut dicemus anno sequenti.

ANNUS 1248

Haeften. lib. 3. Disquisit. Mon. tract. 6. Disq. 4.

Apud Cang. verbo *Custos*.

Quoad Monialium Visitatores apud quas his temporibus nullus Monachus, nec etiam ullus Superior morabatur, admonuit Bernardus ut « caveant Visitatores earum, ne gravent eas in faciendo recipere personas; et faciant inviolabiliter teneri ab eis numerum personarum assignatum; et cum mutantur ibi Priorissæ, chartas professionis earum afferant vel afferri faciant ad Capitulum generale. » Per chartam professionis intelligit schedulam in qua Priorissæ obedientiam Cap. generali promittunt sicut Priores.

Monialium Visitatores.

Stat. Ant. p. 2. c. 5. n. 36.

Sunt et alia capitula quæ Bernardi studium circa disciplinæ observationem indicant, inter quæ sunt hæc : « Provideant Priores ut veteres et novæ Consuetudines a festo Omnium Sanctorum usque ad octavas Paschæ in Conventu legantur in claustro vel alibi, et cum occurrerit quod minus bene fuerit observatum, interloquendo tractent quomodo possit et debeat observari. » Veteres Consuetudines, de quibus hic agitur, sunt Guigonis Statuta; novæ vero sunt Jancelini Constitutiones anno 1222 editæ. « De rebus missis alicui vel donatis, teneatur Statutum Prioris Guigonis; et nunquam Monachus vel Conversus donum recipiat, sed Prior; et in absentia Prioris, Vicarius recipiat dona Monachorum, et

Capitula circa disciplinæ observationem

ANNUS 1248

Procurator dona Conversorum; et redeunti reddant Priori. Et quoniam munera excæcant oculos cordis, ut disciplina Ordinis liberum possit habere progressum, nullus Prior nostri Ordinis, et nullus Monachus Cartusiæ tempore Capituli gener., aliquid ab aliquo de nostro Ordine accipiat; sed celebrato Capitulo, qui ex charitate voluerit aliquid alicui dare, facere possit; tamen caveat ne prius ei dicat, ego vobis tale quid apportavi. Communes vero eleemosynæ quæ apportantur ad Capitulum, non prius inter Priores dividantur quam fuerint in Capitulo pronunciatæ, et communis expensa Capituli inde fuerit recepta. »

V. Stat. Ant. p. 2. c. 29. n. 6.

De generali et annuali totius anteactæ vitæ confessione extat singulare capitulum hujus tenoris : « Cum ex magna deliberatione statutum sit a Patribus nostris, ut unusquisque tam Monachus quam Conversus ob custodiam veræ paupertatis singulis annis omnia quæ habet ostendat et exponat Priori suo; non minus videtur honestati veræ Religionis consentaneum et ad puritatem conscientiæ observandum, ut unusquisque semel in anno se totum ostendat, id est confessionem universalem peccatorum suorum faciat. Et hoc maxime fieri volumus, consulimus et monemus, quandocumque Prior mutatur; et ut Prior similiter hoc faciat, cum Vicarium mutat. Priores diligenter et discrete inquirant a simplicibus Novitiis in confessione quæ inquirenda fuerint, et studiose eos instruant in confessione facienda. In vigiliis solemnitatum quibus Conversi communicare debent, instruantur ut petant de communicando cum excommunicatis absolutionem. »

Denique præfatas Reformationes in hujus anni comitiis receptas fuisse, ex quadam ordinationum ad calcem Constitutionum Jancelini sine ullo annorum aut materiarum ordine additarum congerie conjicio; inter quas hanc lego, quæ debet esse hujus anni : « Reformatio firmiter tenebitur, excepto hoc quod cellæ non mutabuntur, et pœna equitaturarum temperabitur. » Unde et aliam sumo conjecturam, nempe codicem nostrum, in quo hujusmodi Reformationum apographum continetur, scriptum tantum fuisse post illam ordina-

tionem; quandoquidem in eo nulla fit mentio de cellarum mutatione nec de equitaturarum poenis.

ANNUS 1248

Societas spiritualis cum Ordine S. Antonii.

Hoc anno Petrus Prior Marnanti Ordinis S. Antonii in Viennensi provincia, illiusque Conventus, quos Capitulum generale in societatem bonorum spiritualium asciverant, Bernardo nostro in gratiarum actionem sequentes scripserunt literas:

« Venerabilibus et Deo dignis in Christo Patribus, Domno B. Priori Cartusiæ, et ejusdem Cartusiensis Ordinis Prioribus universis, Frater P. humilis Prior Domus Marnanti et qui cum eo sunt Fratres. Si quid potest apud Deum oratio peccatorum, Spiritui Sancto, qui vos sibi gratificavit de sua gratia, non ingratos in gratioso filio Dei Domino Jesu Christo referimus gratiarum uberes actiones, qui nobis de vestris cordibus suæ voluntati concordibus tantam dilectionem exhibuit, tantæ gratiæ munus contulit, quantam nobis scripsistis, charissimi, ad dandum nobis vestræ sanctæ societatis solatium, ad auferendum nobis supplicium, et præmium afferendum. Sicut enim in litteris patentibus quas nobis anno præterito transmisistis sigillatas sigillo Cartusiæ (quod credimus esse sigillum communis Capituli) plenius continetur, Domum nostram et Fratres Ordinis nostri tam præsentes quam futuros, ad amorem pristinum et fraternam charitatem devoto affectu et grato animo revocantes, ut esset firmius et utrosque fortius stringeret vinculum charitatis, in omnibus spiritualibus beneficiis quæ fiunt vel fient de cætero in Ordine vestro tam in capite quam in membris, videlicet Matutinis, Missis, Agendis, psalmodiis, orationibus et aliis bonis quæ ad honorem Dei et pro adjutorio mortuorum et vivorum fiunt, nos et Fratres Ordinis nostri fecistis participes et consortes. Concedentes nihilominus ut a quolibet Monacho Ordinis vestri plena Agenda pro defunctis nostris annis singulis exolvatur, et una Missa in qualibet Domo sicuti fit pro uno Monacho vel Converso Ordinis vestri. Conversi etiam Ordinis vestri exolvent triginta vicibus cum veniis orationem Dominicam; et alia quidem quæ, sicut superius dictum est, in supra memoratis litteris plenius continentur. Hinc est,

ANNUS 1248

carissimi, quod nos cupientes pro viribus nostris sanctitati vestræ grata vicissitudine respondere, vos et Fratres Ordinis vestri tam præsentes quam futuros, clericos et laicos, in nostris paupertatibus et ærumnis, afflictionibus et vigiliis, orationibus et jejuniis, Matutinis, Missis, Agendis, et psalmodiis, omnibusque spiritualibus beneficiis quæ fiunt vel fient de cætero in Ordine nostro, participes facimus et consortes. Statuimus etiam et ordinamus ut quotiescumque decessum cujusque Fratrum Ordinis vestri nobis contigerit nuntiari, plena Agenda pro ipso exolvatur et una Missa propria dicatur pro ipso. Et Conversi etiam dicant pro ipso quilibet 30 vicibus orationem Dominicam cum veniis. Præterea singulis annis circa festum sancti Bartholomæi faciemus generalem memoriam totius Ordinis vestri cum Missa de Sancto Spiritu. Ut autem hæc omnia supradicta firma et illibata in perpetuum permaneant, sigilli nostri Conventualis impressione præsentem cartam duximus roborandam. Actum anno Domini MCCXLVIII. »

BERNARDUS PROBATUR HOC ANNO PRÆFUISSE.

III. In his literis nomen Prioris Cartusiæ tantum designatur per priorem literam quam esse H. vult noster Molinus, sed in autographo et in vetusto earumdem apographo apud Cartusiam repertis, distincte legimus B. id est Bernardo; quem præterea hoc ipso anno præfuisse iterum discimus ex literis quas ipsemet conventui Domus Repausatorii scripsit, significans Priorem Canonicorum S. Martini quasdam pecunias in perpetuos reditus convertendas eidem Domui contulisse. Sic autem habent :

« Nos B. Prior Domus Cartusiæ notificamus conventui Domus Reposatorii nostra præsente pagina, quod Eustachius Prior Domus beati Martini de Mysyriou dedit eidem conventui centum solidos pro acquisitione facienda, unde quilibet monachorum dictæ Domus possit habere unam libram agmindalarum annuatim. Qui centum solidi, sicut Prior jam dictæ Domus nobis confessus est, missi fuerunt in ædificatione vineæ *de la Sauza*. Et si Prior Reposatorii præfatas agmindalas supranominato Conventui subtraheret, nos volumus

quod statim Priori Cartusiæ intimetur, et ipse compellet eumdem ad eas singulis Monachis persolvendas. In cujus rei fidem et testimonium præsentes literas sigilli nostri munimine dedimus confirmatas. Actum anno Domini MCCXLVIII. » ANNUS 1248.

Paulo post Prioratu se abdicavit Bernardus, quem quadriennio post, anno videlicet 1253, rursum ad eumdem assumi videbimus post abdicationem Hugonis, qui etiam denuo matrem Cartusiam regere compulsus fuerat. *Deinde abdicat.*

IV. Eadem tempestate Petrus quondam monachus et Prior Cartusiæ Repausatorii, tunc vero Gratianopolitanus episcopus, dicto monasterio, gratitudinis ergo, dedit domum apud Gratianopolim cujus donationis literæ sunt hujusmodi: PETRUS EPISCOP. GRATIANOPOL.

« P. Dei miseratione Gratianopolitanæ Ecclesiæ dictus episcopus, universis præsentibus et futuris præsentes literas inpecturis, rei gestæ notitiam cum salute. Notum fieri volumus universis, quod nos per nos et successores nostros, de voluntate et consensu Gratianopol. Capituli, dedimus, donavimus, concessimus atque collocavimus religiosæ Domui de Repausatorio et ejusdem Fratribus in perpetuum, quamdam domum sitam apud Gratianopolim in loco ubi dicitur . . . . . etc; quam domum cum omnibus et singulis pertinentiis ejusdem ante et retro, superius et inferius, dicta Domus Repausatorii et Fratres ejus de cætero habeant, teneant et possideant pacifice et quiete, etc. Datum anno MCCXLVIII, 3 Novembris. »

Hic Episcopus, in quodam catalogo ms. Præsulum Gratianopol., dicitur hoc anno electus ex Priore dictæ cartusiæ; quem tamen citius ad hanc dignitatem evectum fuisse conjicimus ex catalogo Priorum Repausatorii, ubi ejus successor in prioratu, Stephanus nomine, jam præfuisse probatur anno 1243. Vir fuerat inter Nos celebris, qui anno 1203 missus in Cataloniam Domum Scalæ Dei rexit usque ad annum 1212, quo in Galliam revocatus alteri Domui nobis ignotæ præfuit, donec tandem anno 1225 ad regimen Domus suæ professionis translatus, post aliquot annos fieret Episcopus. De ejus obitu nihil habemus. Sed videbimus anno sequenti eum tunc adhuc sedisse.

ANNUS
1248

THOMAS COMES MAURIENNÆ COGITAT DE CONSTRUENDA DOMO ORDINIS CARTUSIÆ.

V. Hoc quoque anno Thomas a Sabaudia, comes Mauritaniæ, Flandriæ, Hannoniæ et Pedemontis, condito testamento, sanctorum Joannis et Pauli die, mense Junio, inter cætera præcipit ut post suum obitum una Domus Ordinis Cartusiensis construeretur. Sic enim loquitur in codicillis : « Item volo et præcipio quod in valle Soblonis supra Pynerolium, vel in loco magis competenti in terra mea, pro remedio animæ meæ et meorum, Domus de Cartusiensi Ordine construatur, et de bonis meis ad arbitrium executorum meorum dotetur. » Executores ejus ultimæ voluntatis præcipuos nominavit Hugonem de sancto Theuderio, cardinalem Sabinensem Ordinis Prædicatorum, et Radulphum Tarentasiæ electum, nostri Ordinis amantissimos. Sed cum postea per plures adhuc annos vixerit præfatus Comes, hoc fundandæ Cartusiæ consilium effectu caruit. Obiit ille anno 1259.

JOAN. COMES BURGUND. BENEFACTOR CARTUSIÆ.

VI. Joannes I, comes Burgundiæ et dominus Salinarum, multarum Domorum nostri Instituti benefactor, volens etiam Cartusiæ Majori qualemcumque impertiri gratiam, eidem contulit « franchisiam trium solidorum super duabus mutatis Muriæ in puteo Ledonis. » Hujus eleemosinæ diploma datum est hoc anno, mense Octobri.

Innocentii PP. IV	Ordin. Cartus.	Hugonis II Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 166.	Ann. 5.

I. ANNUS sequitur quadragesimus nonus supra millesimum ducentesimum a Christo nato, Indictione septima, quo reperimus Hugonem iterum præfuisse Domui Cartusiæ et Guigonis delphini autoritatem poposcisse ad compescendos quosdam rusticos in pascua Cartusiæ invadentes : ut ex tabulis inde conscriptis apparet, quæ sunt sequentis formulæ : HUGO II ITERUM PRÆEST CARTUSIÆ.

« Noverint præsentem paginam inspecturi, quod cum controversia esset inter Hu. Priorem Cartusiæ nomine Domus suæ ex una parte, et parochianos de *Proveseu* et de *Quethex* altera, super nemoribus. . . ; vindicante dicto Priore eadem nemora, et dicente neminem in ipsis aliquod jus habere præter Domum Cartusiæ. . . . ; e contra proponentibus dictis parochianis se semper habuisse usum et percursum in dictis nemoribus, quod Prior negabat. Tandem Willermus de Questh, castellanus Cornelionis, de speciali mandato Domini Guigonis delphini, comitis Viennæ et Albonis, partibus in sua præsentia constitutis, auditis quæ utrimque fuerunt proposita et responsa, visis etiam instrumentis productis, per sententiam diffinitivam adjudicavit prædicta nemora prædicto Priori nomine suæ Domus, adjiciens dictos parochianos nullum intra dictos terminos habere usagium vel percursum. Unde etiam dictus castellanus interdixit dictis parochianis, autoritate dicti Domini Guigonis comitis, ne infra cruces olim ibidem *Guigonis delphini tutelam implorat et obtinet.*

ANNUS 1249

factas vel terminos, aliquid sibi vindicarent vel facerent de cætero, nisi cum beneplacito Domus Cartusiæ et ejusdem Domus speciali licentia vel mandato. Actum anno Domini MCCXLVIII, mense Augusto, in præsentia testium subscriptorum, Girodi Procuratoris, Joannis Fabri, Joannis de Mens, Nicholai, Girodi Arbria Conversorum Cartusiæ; Petri Malens, Willelmi de Molar et aliorum. »

GUIGO ALAMANS BENEF. CARTUSIÆ.

II. Eodem anno nobilis vir Hugo Alamans, dominus de Chans et de Raiteir, suo testamento Cartusiæ legavit quinquaginta solidos Viennenses in perpetuum annuatim persolvendos, præcipiens hæredibus suis ut alicui Prioratui vel ecclesiæ assignarent terras et quascumque possessiones, quæ sub obligatione bonorum ejusdem Prioratus vel ecclesiæ solutioni annuæ prædictorum 50 solidorum remanerent obnoxiæ. Eo igitur mortuo, Odo filius ejus et hæres quasdam vineas cum sex sesteriatis et duabus eyminatis terræ cuidam ecclesiæ addixit, cujus capellanus se suosque successores ad solvendam quotannis prædictam summam obligavit, de voluntate et expresso consensu Domini P. Gratianop. episcopi, et Capituli majoris Ecclesiæ Gratianop. et specialiter Eustachii decani ejusdem, ad cujus obedientiam dictus fundus specialiter pertinebat, etc. Actum anno MCCXLIX, cum celebri ac debita stipulatione.

Petrus Episcop. Gratianop. consentit.

Hujusmodi reditus, licet extra terminos siti, nunquam Nostris prohibiti sunt, ut alibi probavimus. Porro Petrus episcopus in his literis nominatus circa idem tempus decessit; cujus obitus reperitur in Calendario Majoris Cartusiæ, sexto Nonas Octobris.

DOMUS CARTUSIÆ PAUPERTATEM PATITUR

III. Capitulum generale, hoc anno die 2 Maii et sequentibus celebratum, de paupertate Matris Cartusiæ certius factum, licentiam ei impertiit alia legata retinendi, scriptis sequentibus litteris :

« Nos J. et P. et G. Portarum, Excubiarum et Durbonis Priores, notum facimus omnibus præsentem Chartam inspecturis, quod commune Capitulum concessit Priori et Fratribus Cartusiæ pro relevanda paupertate sua, ut possint

acquisitiones factas de dispensatione prædicti Capituli, licite in perpetuum habere; et de his quæ habent nunc extra terminos dispensavit prædictum Capitulum, quod licite haberent. Actum apud Cartusiam in pleno Capitulo, anno Domini MCCXLIX, III Nonas Maii. » Ex his patet Capitulum generale hujusmodi licentias non dedisse, nisi cognita prius legitima causa et necessitate Domus cui tales conferebat gratias.

ANNUS 1249

IV. Charta hujus Capit. generalis hujus anni asservatur in Domo Scalæ Dei ex qua eam accepimus, nec ullæ ante præfatum annum potuere reperiri per totum Ordinem, nisi quarumdam fragmenta. Sic autem incipit : « Anno Domini MCCXLVIIII, Septuagesima erit decimo Calendas Februarii. » Unde notandum quod annus 1249 ibi designatur antiquo more, quo anni inchoabantur a die 25 Martii vel a Paschate; Nostri vero in actis Capituli generalis hunc morem secuti sunt usque ad annum 1301 quo cœperunt annum auspicari a mense Januario, ut ibidem dicemus. Cum igitur in Charta præsentis anni, Septuagesima notetur futura decimo Calendas Februarii anno 1249, intelligendus est juxta calculum hodiernum annus 1250, quo revera Septuagesima occurrit die præscripto.

FORMA ANTIQUARUM CHARTARUM CAPIT. GENERALIS.

Deinde sic sequitur in eadem Charta : « Breves habemus septuaginta duos »; in quibus verbis duo sunt observanda. Primum, his antiquis temporibus tot Breves denuntiari solitos fuisse, quot Ordinis personæ per anni cursum obierant; secundum, nullius nomen appositum fuisse nisi eorum qui tricenarium aut monachatum vel aliquod aliud speciale beneficium præter Brevem habebant. Post designatos Breves, indiscriminatim describebantur in Charta decreta sive generalia sive specialia prout res a Prioribus proponebantur; nec de Domibus disponebatur, prout nunc fit, per ordinem Provinciarum et antiquitatis sed permixte, ita ut aliquando de negotiis unius ejusdemque Domus ter et quater diversis in locis agebatur.

V. Inter decreta quæ per eamdem Chartam promulgata fuerunt, hæc sunt notabiliora :

DECRETA CAPIT. GEN. ANNI 1249.

ANNUS 1249

Festum Inventionis S. Crucis præcipitur sub 12 lect.

« Festum Inventionis sanctæ Crucis recipitur cum duodecim lectionibus, et festum Exaltationis fiat hoc anno sicut solebat; » nam antea illud festum, Inventionis videlicet, celebrabatur tantum sub ritu trium lectionum, prout patet ex primo Majoris Cartusiæ Calendario. Anno vero 1454 « conceditur Domui S. Crucis in Jaresio ut possit celebrare Inventionem S. Crucis *cum candelis*; » unde liquet eam nondum fuisse ubique inter Nos solemnem. Imo vel præfata ordinatio hoc præsenti anno edita caruit tunc effectu, aut certe non diu post, idem festum revocatum fuit ad usum trium lectionum, sub quo per tria et amplius secula perseveravit cum Missa propria (ut colligimus ex multis Breviariis tum ms., tum impressis) usque ad annum circiter 1578, quo primum ejus solemnitas per totum Ordinem instituta reperitur in Graduali sumptibus Cartusiæ Borboniensis eodem anno typis mandato.

Festa SS. Dominici et Francisci sub 3 lect.

2. « Festa sanctorum Dominici et Francisci recipiuntur cum tribus lectionibus. » Sicque perseveraverunt usque ad medium seculi decimi sexti, quo cœperunt cum ritu duodecim lectionum fieri, et sub finem ejusdem sæculi cum Capitulo; sed sexennio post ad ritum duodecim lectionum cum multis aliis Sanctorum festis per Chartam revocata sunt, ut dicemus suis locis.

Ordinatio circa octavas Nativit. B.M.

3. « Octavæ Nativitatis B. Mariæ fiant sicut octavæ Assumptionis ejusdem. Lectiones infra octavas, *de Historia*. In octavis homilia lectionis Evangelicæ beati Hilarii. Si autem octavæ istæ contingant in Dominica, quia tunc necessarium est inchoari Historiam, Matutinæ cantentur de Dominica et Missa sola de festo, sicut contingit aliquando fieri in festo Exaltationis sanctæ Crucis, etc. » Sed postea jussum fuit ut dato simili casu, præfatæ octavæ occurrentes die Dominica anticiparentur die sabbato.

Reformationes emendantur.

4. « Prior Cartusiæ vocabit duos Priores super annum pro emendandis Reformationibus », de quibus diximus anno superiori. Chartam Capitularem anni sequentis habemus, sed in ea nihil de hujusmodi emendatione occurrit; posteriorum annorum Chartæ nobis desunt, sed in illa decretorum sine

ordine digestorum congeries, de qua diximus anno superiori, haec pauca verba de isto negotio legimus: Praeceptum de Reformatione observanda retractatur. Unde colligimus eas quandoque reprobatas fuisse; et quidem verisimile est propter novos quosdam ritus et usus in eas inductos, ut fuerunt Custodum nova institutio, et alia quaedam antiquis usibus parum consentanea. Nihilominus multa ibidem sapienter ordinata Risserius in sua transtulit Statuta tantum decennio post edita.

hoc praesenti anno edita caruit tunc effectu, aut certe post, idem festum revocatum fuit ad usum trium lectionum, sub quo per tria et amplius secula perseveravit cum Missa propria (ut collegimus ex multis Breviariis tum mss., tum impressis) usque ad annum circiter 1578, quo primum ejus solemnitas per totum Ordinem instituta reperitur in Graduali sumptibus Cartusiae Norbonensis eodem anno typis mandato.

Festum Inventionis S. Crucis praecipitur sub 12 lect.

2. Festa sanctorum Dominici et Francisci recipiuntur cum tribus lectionibus, ... perseveraverunt usque ad ...

JESU CHRISTI

ANNUS 1250.

Innocentii PP. IV Ann. 8.	Ordin. Cartus. Ann. 167.	Hugonis II Pr. Cart. Ann. 6.

MONACHI S. VEDASTI ASSOCIANTUR OFFICIO CLUNIACENSIUM.

I. ANNO Verbi incarnati millesimo ducentesimo quinquagesimo, Indictione octava, Hugo abbas celeberrimi monasterii sancto Vedasto dicati in urbe Atrebato recens electus, et Conventus ejusdem Abbatiæ, fraternitatem perpetuis precum pactis firmatam a nostro Hugone et Capitulo generali obtinuit, agente potissimum Martino de Lauduno Priore Vallis sancti Petri, viro docto et pio, qui præsens in ipsis Comitiis litteras Abbatis et Monachorum exhibuit, quorum postulatis per Chartam Capituli generalis his paucis sed sufficientibus verbis Nostri annuerunt: « Abbatia sancti Vedasti associatur Officio Cluniacensium. » Nec dubium quin noster Hugo ad eos scripserit de concessa postulatione, petens et ipse nomine totius Ordinis similem precum participationem, ut conjicere licet ex epistola quam ipse Abbas ad eum paulo post dedit sub sequenti tenore:

« Venerabilibus in Christo Patribus, dominis et amicis carissimis, fratri H. Priori Cartusiæ, cæterisque Prioribus et Fratribus in generali Capitulo constitutis, Frater H. sancti Vedasti Atrebatensis humilis abbas totusque ejusdem loci Conventus, salutem in omnium salutari. Pro benigna precum nostrarum susceptione super vestris orationibus pro nobis obtinendis, quas per virum religiosum fratrem vestrum Priorem Vallis sancti Petri nobis dari petivimus a vobis hu-

militer et devote, vobis universis et singulis gratias, qualescumque possumus, referimus copiosas. Nec mirum si tantorum hominum gaudemus suffragiis adjuvari, quorum meritis splendet Ecclesia, quorum exemplis viget et proficit religio Christiana. Quid enim vobis a Dei pietate negabitur, merentibus illam semper habere propitiam odore bonorum operum et candore virtutum? Verumtamen et nos de parvitate nostra vobis munus exiguum offerimus, videlicet quod Fratrum nostrorum habito consilio, in nostro statuimus Capitulo ut annis singulis de cætero, die tertia post festum sancti Lucæ, fiat tam pro vivis quam pro mortuis totius Ordinis vestri, in monasterio nostro et per Prioratus nostros universaliter Officium generale. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, sabbato proximo post festum Decollationis sancti Joannis Baptistæ. »

ANNUS 1250

De eadem societate fit mentio in Statutis Antiquis et in Ordinario Novæ Collectionis, et cum Cluniacensibus et Atrebatensibus adsciscuntur Fratres et Sorores Simpliciani. Qui vero sint isti Simpliciani Fratres nondum reperi.

In Charta ejusdem Capituli, quam habuimus e cartusia Allionis, inter decreta hæc habentur:

DECRETA CAP. GENERALIS.

II. 1. « De duobus altaribus suscipiendis requiratur consensus Conventuum. » Et sub finem Chartæ declaratur quod « Priores Domorum conventualium poterunt in nostris altaribus celebrare. » In Bellilarici Chronico, autor ejus agens de decimo Priore qui ibidem præfuit ab anno circiter 1248 ad annum 1251, de præfata circa duo altaria constitutione meminisse videtur, cum dicit eumdem Priorem « Capitulum cum capella desuper ad sui dispositionem construxisse, quamvis a prædecessoribus ejus sub alia ædificationis forma ejusdem Capituli fundamenta jactata primitus extitissent. Dicebat enim non longe post futurum, quod profecto duo altaria in Ordine haberentur, et idcirco superius ad secundi altaris opus tabulam lapideam, sacrarium etiam ex una parte et armarium ex altera præparavit. » Hanc altarium multiplicationem apud Nos credimus originem sumpsisse ex

Supra ad an. 1218 num. 19.

ANNUS 1250

propagatione Religionum in Ecclesia, ut colligere possumus ex his quæ annotavimus anno 1218.

2. « Quando in Litania dicitur *Sancta Trinitas unus Deus,* sumamus veniam, nec surgamus donec dictum sit *Sancta Maria ora pro nobis.* » Id ita præcipitur quia in Constitutionibus sub Jancelino editis, præscriptum fuerat ut venia tantum sumeretur ad hæc verba, *Sancta Maria, etc.*

PRIOR MAJORÆVI GRATIAM SIBI A CAPIT. GEN. DENEGATAM, A PAPA OBTINET.

III. In præfatis hujus anni Comitiis, cum Guillelmus de Fraxino, Prior Majorævi, petiisset confirmari emptionem salis ab antecessore suo Stephano Corderii extra terminos factam, nec potuisset obtinere, imo eum usum prædicti salis penitus sibi a Patribus prohibitum cerneret; rem ægre ferens, ad Summum Pontificem tunc temporis Lugduni degentem refugit, impetrata ab eo facultate salis reditum nonobstantibus Statuto et prohibitione prædicta retinendi. Extant super hoc duæ Innocentii bullæ, una ad Priorem et Conventum Majorævi qua eos a lege Statuti in hac parte absolutos declarat; altera vero qua Capitulo generali præcipit ne Majorævenses super hoc molestent. Sunt vero sequentis tenoris :

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Capitulo generali Cartusiens. Ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, dilecti filii Prior et Conventus monasterii Majorævi Ordinis vestri, Lugdunensis diœces., quemdam reditum annuum salis in salina Leodonensis, Bisuntini diœc., emerit extra ipsius monasterii sui terminos contra Cartusiensis Ordinis instituta; Nos necessitati eorum in hoc de speciali gratia providere volentes, eis autoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum ut, Statuto ejusdem Ordinis et inhibitione vestra nequaquam obstantibus, præfatum possint redditum habere, et ipsum eos retinere libere permittatis, super hoc ipsos contra concessionis nostræ tenorem nullatenus molestantes. Datum Lugduni, X Calend. Septemb., Pontificatus nostri anno octavo. »

Altera vero ad conventum Majorævi bulla sic se habet :

« Innocentius episcopus, etc., dilectis filiis Priori et conventui monasterii Majorævi Cartusiensis Ordinis, Lugdunens.

dioeces., salutem et Apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, quemdam annuum redditum salis in salina Leodonensis, Bisuntini dioecesis, emeritis extra monasterii vestri terminos contra Cartusiensis Ordinis Statuta ; Nos necessitati vestræ in hoc de speciali gratia providere volentes, autoritate vobis præsentium indulgemus, ut Statuto ejusdem Ordinis et inhibitione Capituli generalis Cartusiensis nequaquam obstantibus, præfatum possitis redditum licite retinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejusdem se noverit incursurum. Datum Lugduni, XV Cal. Octobris, Pontificatus nostri anno octavo. »

ANNUS 1250

Summi Pontificis præcepto, ut par erat, obtemperarunt tunc Patres Ordinis ; sed anno MCCLII iterum re examinata, quidam autumantes hanc immunitatem a Majorevensibus fuisse forsan clanculum extortam, rursum autoritate Capituli generalis jubetur Prior ab hujusmodi emptione abire. Quid vero inde evenerit, narrabimus eodem anno.

HUGO PRIOR CARTUSIÆ AD BONIFACIUM CANTUARIENS. ARCHIEP. SCRIBIT.

IV. Ad eadem Comitia, juxta morem hujus temporis, Bonifacius a Sabaudia quondam Cartusiæ Novitius, tunc vero archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, munera sive eleemosynas miserat Prioribus distribuendas. Cujus liberalitatis non ingratus Prior Cartusiæ Hugo, sequentem ad eum epistolam, suavitate ac pietate refertam, in gratiarum actionem scripsit :

« Venerabili et intimis charitatis visceribus amplectendo domino Bonifacio Cantuariensi archiepiscopo, frater Hugo dictus Cartusiæ Prior humilis, quidquid potest peccatoris oratio.

Gratias agit de missis muneribus.

« Quantum charitati vestræ debeamus, in Christo meminimus, venerande Domine, quem rogamus intimis votis vobis propitium, ut assolet esse, et digna pro nobis retribuere, quorum humilitati talis non datur facultas, qualis ab antiquo etiam cum apud nos eratis ; sed supra nos major data est voluntas, et frequenter quidem Cartusia vestra a vobis dona

ANNUS 1250

plurima et beneficia habuit. Sed cum hæc ultima munera superioribus comparantur, licet illa magna sint et pretiosa, vilescunt tamen tantoque inferiora putantur quanto sapientia cunctis opibus antecellit. Cibus quippe est animæ et spiritalis refectio ipsius divina intelligentia Scripturæ, auro et topasio longe carior, speculum animæ quo decor ejus vel deformitas cognoscitur et emendatur; quod non ex me sapientiæ vestræ scribo, sed ex eodem Gregorii Moralium libro quem vos recedentes cum lacrymis e Cartusia vestra, in qua tam altum posueratis fundamentum virtutis, mihi tunc ejus humili Procuratori dono dedistis : ut ex eo insipiens discerem per patientiam et consolationem Scripturarum spem habere, loquique mihimetipsi in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus. Quantas igitur valeo, pietati vestræ gratias ago pro tanto munere Bibliothecæ sanctæ, quæ singulare præsidium nostræ infirmitati, et vestræ erga nos charitatis est insigne testimonium. Inspiret, obsecro, pro his Spiritus, qui ubi vult spirat, cordi vestro benignissimo ut sanctum Edmundum, quem ante oculos mentis vestræ tot miracula et pia facta ipsaque Sedes quam nunc tenetis Cantuariæ ponunt, imitemini, et sanctum Lincolniensem episcopum Hugonem. Hi a nobis, ut scitis, venerunt, sed mundi superbiam in humilitatem, luxum in frugalitatem, divitias in paupertatem, in ipso episcopali culmine commutantes, Cartusiensem professionem suam constanter retinuerunt, cujus et vos meminisse ea memoria precor quæ apud nos perpetua est vestri. Datum Cartusiæ, an. MCCL, VIII Novemb. »

Bonifacius olim Cartusiensis.

S. Edmundus et S. Hugo Lincolniensis olim Cartusienses.

JESU CHRISTI

ANNUS 1251.

Innocentii PP. IV	Ordin. Cartus.	Hugonis II Pr. Cart.
Ann. 9.	Ann. 168.	Ann. 7.

I. ADEST Christi annus millesimus ducentesimus quinquagesimus primus, Indictione nona, quo mota inter monachos Bonævallenses Ordinis Cistersiensis et monachos Cartusiæ satis gravi discordia, Hugo Prior Cartusiæ, Joannis archiepiscopi Viennensis interpositu, totius quæstionis decisionem amicorum permisit arbitratui, facto utrinque sequenti compromisso : DISSIDIUM INTER CARTUSIEN. ET BONÆVALL.

« Noverint universi, etc., quod cum controversia verteretur inter venerabiles et religiosos viros Guigonem abbatem et conventum Bonarum Vallium Ordinis Cisterciensis ex una parte, et Hugonem Priorem et conventum Cartusiæ ex altera, super pascuis, nemoribus, montanis, alpibus, etc.; et specialiter super compositione facta per venerabilem et beatum Patrem sanctum Hugonem quondam abbatem Bonarum Vallium et Burnonem Priorem ejusdem loci, et super omnibus aliis querelis, petitionibus, rancuris et quæstionibus, quas inter se ad invicem faciebant seu facere poterant de omnibus rebus, bonis et juribus supradictis : tandem in Burnonem decanum Ecclesiæ Gratianop. èt in Jacobum capellanum de Seyssen Viennensis diœcesis compromiserunt, promittentes sub pœna LX librarum Viennensium, quas altera pars, si sententiam, compositionem vel ordinationem dictorum Burnonis et Jacobi non servaret, restitueret alteri parti, etc. Requisito tamen consilio et consensu venerab. Patris

ANNUS 1251

J. archiepiscopi Viennensis, si de prædictis dictis Burno et Jacobus in aliquo discordarent, etc. Et hæc omnia supradicta promiserunt bona fide sub pœna prædicta dictus Dominus Abbas Bonarum Vallium pro se et Conventu ejusdem loci, et Dominus Hugo Prior Cartusiæ pro se et Capitulo Cartusiæ, attendere et servare. Actum est hoc infra terminos Cartusiæ, anno MCCLI, die Martis, ante festum Beati Laurentii. Præsentibus testibus : de abbatia Bonarum Vallium, Martino de Breissen, Richardo Antelmi, Gauterono cellerario, etc. de Domo Cartusiæ, Giroudo Procuratore ejusdem loci, fratre Raymundo Alemanni, Johanne Fabro, Petro Garcin, Hugone Caprario, Johanne Chauneys et aliis, etc. » Quid vero ab arbitris decisum fuit non habetur, constat solummodo quod anno 1267 compositio, de qua fit mentio in præfato compromisso, a sancto Hugone abbate et nostro Jancelino anno 1185 facta, iterum ab utraque parte renovata fuerit et confirmata.

GUILLELMUS CARDINAL. NOSTRI ORD. MORITUR.

Raynald. ad hunc an. n. 13.

II. Hoc anno, pridie Calendas Aprilis, Lugduni piissime e vita discessit Guillelmus, episcopus Sabinensis et quondam Mutinensis ac nostri Ordinis professus ; qui cum objecto cœlesti mortem divinitus ante præsagiisset, ad eam se constanter christiano more comparavit. Hæc de ipso narrat Parisius : « Anni sub ejusdem tempore, episcopus Sabinensis Willelmus, vir quidem sanctus Romanæque Ecclesiæ cardinalis, qui in Suecia et Norwegia paucis ante elapsis annis existens Legatus, regem Haconem Norwegiæ, ut prædictum, coronaverat; cum quadam nocte sanus et incolumis in strato suo dormiret, vidit in visione nocturna quod Otho cardinalis qui paulo ante obierat, sedit in quodam Concilio populoso nimis ; et cum supervenisset prædictus Willelmus, nec aliquis ei assurrexisset nec daret locum sessioni, solus Otho assurgens ei, palam dixit ipsi : Amice ascende superius, locum tibi sessuro reservavi. Erant nempe ipsi duo revera dum viverent amicissimi. Willelmus autem cum evigilaret commotus est vehementer, et datum est ei desuper scire quoniam infra tertium diem ab hoc sæculo foret migraturus. Illico

igitur adiit Papam et accepta licentia et benedictione dixit : Vale, Domine mi, vocat enim Dominus ab hoc sæculo; et eodem die valedicens omnibus fratribus et amicis suis, rediit devotus ad hospitium suum. Mirabantur autem omnes super his, et fuerunt qui deriderent eum, dicentes quoniam senuit et deliravit; quia sanum eum videbant et nullam in corpore habentem læsionem. Ipse autem Willelmus, dispositis in domo sua cum deliberatione disponendis, et multis patefacta prædicta visione, laudabili fine in crastino ab hujus mundi transiit incolatu. »

ANNUS 1251

De Guillelmo multa superioribus annis præclara retulimus. Lugduni apud Prædicatores, quibus addictissimus fuerat, jacet sepultus cum præsenti elogio :

Hic jacet zelantissimus prædicator,
Et laudator nominis Jesu Christi,
Assertor fidei et totius veritatis;
Vir permagnæ sanctitatis,
Et ornamentis pietatis
Pater venerabilis, dominus Guillelmus,
Sabinus episcopus, cardinalis.

JESU CHRISTI

ANNUS 1252.

Innocentii PP. IV Ann. 10.	Ordin. Cartus. Ann. 169.	Hugonis II Pr. Cart. Ann. 8.

INNOCENTIUS PERMITTIT TERMINOS CARTUSIÆ DILATARI.

I. SEQUITUR Christi annus quinquagesimus secundus post millesimum ducentesimum, Indictione decima, quo Hugo Prior Cartusiæ videns reditus hactenus possessos non sufficere ad sustentationem sui Conventus, bullam ab Innocentio quasi invitus impetravit ad Capitulum generale futurum datam, qua possit dare licentiam Domui Cartusiæ habendi possessiones extra terminos. Sic autem habet bulla :

Extant inter privil. n. 62.

« Innocentius, etc. Dilectis filiis, Capitulo generali Cartusiensis Ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Ut Domus Cartusiæ, quæ per Dei gratiam florere dignoscitur, valeat dilatari ; ut eidem Domui habendi extra suos terminos possessiones in certa quantitate vel alia quæ necessaria sibi expedire videritis, possitis communi deliberatione concedere, Statuto contrario ipsius Ordinis non obstante, autoritate vobis præsentium indulgemus. Datum Perusii, VII Idus Januarii, Pontificatus nostri anno nono. »

Ex facto Majorevensium monachorum de quo infra, fiet manifestum cuilibet rem quieto animo consideranti, hujusmodi licentias a Patribus petitas aut acceptas non fuisse, nisi casu necessitatis multum diuque prius perpenso.

QUAMDAM GRATIAM CONFIRMAT DOMUI TRISULTANÆ.

II. Aliquot post mensibus aliam bullam in gratiam Domus Trisultanæ scripsit ad Rectorem Campaniæ in hæc verba :

« Innocentius episcopus, etc. Dilecto filio Campaniæ Mari-

timæque Rectori salutem et Apostolicam benedictionem. Oblata nobis ex parte dilectorum filiorum Prioris et Fratrum monasterii Sancti Bartholomæi de Trisulto Cartusiensis Ordinis, Alatrinensis diœcesis, petitio continebat quod dilectus filius noster R. sancti Angeli Diac. Cardinal. tunc Campani Maritimæque Rector, mandavit omnibus per Campaniam constitutis, ut animalia eorum quæ in tenutis eorum faciunt custodiri, eorumque custodes, secure ac libere morari permitterent, nullam eis molestiam inferentes. Et si quis contrarium faceret, communitatem centum, Baronem quinquaginta, Militem decem, et peditem quatuor librarum provenient; banno Ecclesiæ.... dictus Rector voluit subjacere de damnis illatis eis ab ipsis super his, ipso monasterio nihilominus integre satisfacto, prout in litteris Cardinalis ejusdem confectis exinde plenius continetur. Ipsorum itaque precibus inclinati, quod ab eodem Cardinali super hoc factum est, ratum habentes et gratum, illud autoritate litterarum nostrarum duximus confirmandum. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus non permittas dictos Priorem et Fratres contra confirmationis nostræ tenorem super his ab aliquibus indebite molestari. Molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Perusii, XVII Calend. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo. »

ANNUS 1252

MIRA PATRUM TENACITAS IN TUENDA OBSERVANTIA.

III. In Conventu generali hujus anni iterum agitatur negotium Majorævensium Monachorum, qui ante biennium ad Summum Pontificem contra prohibitionem Patrum recurrerant. Cumque quidam fraudem suspicarentur in bullarum impetratione, sancitum est, forsan præcipitantius, ut Conventus vel immunitati Pontificiæ renunciet aut Ordinis consortio privetur, donec Innocentii litteras quas credebant subreptitias, in manus resignaverit Prioris Cartusiæ. At Prior Majorævi tertio Summum Pontificem velut communem omnium Patrem et arbitrum conveniens, possessionem empti salis suæ Domui nova bulla asseri petiit et obtinuit, ut sequitur :

« Innocentius episcopus, etc. Dilectis filiis Priori et Con-

ANNUS 1252

ventui Domus Majorævi Cartus. Ordinis, Lugdun. diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Olim vobis ad piorum quorumdam instantiam concessisse dicimur, ut quamdam possessionem salis quam quondam vestræ Domus Prior emerat in puteo Leodonis, Bisunt. diœces., nonobstante Statuto contrario vel inhibitione aliqua, Domus vestra licite retineret; dantes nihilominus Capitulo generali Cartus. Ordinis nostris litteris in mandatis, ut eamdem Domum sub dicta possessione nullatenus molestaret. Sed dictum Capitulum, sicut accepimus, nostris in hac parte mandatis acquiescere sicut convenit non curantes, Domum vestram a consortio ejusdem Ordinis privasse dicuntur, si concessione hujusmodi vellet uti, vos ad resignandum eis ipsius concessionis litteras inducendo. Nos igitur gratiam vestræ Domui super hoc factam impediri hac occasione nolentes, vobis autoritate præsentium iterato concedimus ut dictam salis possessionem Domus vestra, nonobstante Statuto contrario ipsius Ordinis vel qualibet inhibitione seu quocumque mandato contra hoc generaliter vel specialiter facto, licite valeat retinere. Nulli ergo, etc. Datum Perusii, VI Cal. Decemb. Pontif. nostri anno decimo. »

Præter hanc bullam concessit et aliam eodem die datam ad episcopum Bellicensem, qua præcepit quatenus Capitulum generale per censuram ecclesiasticam compesceret, et Monachis Majorævi possessionem quietam ac tutam præstare satageret.

AMEDEUS COMES SABAUD. MULTARUM CARTUSIARUM BENEFACTOR.

IV. Hoc anno, die nona decima Septembris, Amedeus IV comes Sabaudiæ, quem annis superioribus vidimus pluribus Ordinis nostri Monasteriis multa bona contulisse, testamentum suum condidit, Nostrorumque recordatus Domui Cartusiæ et aliis nostri Instituti in ejus ditionibus sitis, pecunias multas legavit, ut ex ejusdem testamenti codicillo constat, qui sic habet : « Item dono et lego pro remedio animæ meæ et parentum meorum Domui Vallis S. Hugonis mille solidos Viennenses, Domui Cartusiæ mille solidos, Domui Montis Benedicti mille solidos, Domui Allionis mille solidos, Domui

Historiæ Sabaud. probat. pag. 69.

Arveriæ mille solidos. » Hasque donationes ratas habuit anno sequenti paulo ante mortem quam subiit die 24 Junii.

ANNUS 1252

MATER EJUS CARTUSIAM PROTEGIT.

V. Tunc temporis adhuc vivebat mater præfati Amedei, quam Guicheno vocat Margaritam, ex litera M. qua nomen ejus in chartulario Majoris Cartusiæ designari dicit, licet non in eodem chartulario tantum, sed in ipsorum instrumentorum autographis, non M. sed N. distincte scriptam legerimus ; ut etiam fidem faciunt literæ quas præsenti anno in gratiam Cartusiæ dedit in hunc modum : « N., Dei gratia dicta Sabaudiæ comitissa et marchionissa in Italia, universis præsentem paginam inspecturis salutem in Domino Jesu Christo. Noverit universitas vestra, quod cum nobis legitime constitisset Domum Cartusiæ habuisse ab antiquo pascua gregibus et armentis suis per totum mandamentum de Scalis, ex concessione vel donatione eorum quorum intererat eadem pascua concedere vel donare, ipsamque Domum dicta pascua possedisse longissimo tempore inconcusse, etc. Quoniam ipsa pascua de dominio et feudo nostro sunt ratione castri de Scalis, Nos ad humilem supplicationem prælibatæ Domus prædicta pascua cum libertate memorata integraliter confirmamus, et etiam de novo damus, sicut melius et plenius possumus, Deo et dictæ Domui, etc. Datum apud Petram Castel, anno MCCLII. »

Error Guichenonis circa illius nomen corrigitur.

Literam N. pro quocumque nomine præpositam fuisse credens Guicheno, hanc donationem tribuit Ceciliæ præfati Amedei conjugi, quod nesciret matrem ejusdem Amedei ad hæc usque tempora vixisse. Verum ex aliis literis a Philippo altero ejus filio anno 1283 datis, quas nos « Vidimus » appellamus, quæque ejusdem concessionis tabulas continent, discimus ejus autorem fuisse matrem ejus : sic enim ille loquitur :

« Nos Philippus, Sabaudiæ comes, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Domum Cartusiæ ac Fratres Domus ejusdem speciali gratia recommendatos habere volumus. Cum igitur nobis constet ad plenum quod Domus Cartusiæ habet ab antiquo pascua gregibus suis et armentis per totum man-

ANNUS 1252 damentum de Scalis, ex concessione et donatione inclitæ recordationis N. comitissæ et marchionissæ in Italia quondam matris nostræ, prout vidimus in literis super hoc confectis plenius contineri, quarum tenorem jussimus præsentibus inserendum qui talis est : Nos Dei gratia dicta Sabaudiæ Comitissa, etc. » Ut supra.

JESU CHRISTI

ANNUS 1253.

Innocentii PP. IV An. 11	Ordin. Cartus. Ann. 170.	Bernardi I Pr. Cart. Ann. 3.

I. ANNO a partu Virginis millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Indictione undecima, Innocentius Pontifex maximus pergens erga nos sese beneficum exhibere, totum Ordinem eximit a præstatione *Vigesimæ* pro Terræ Sanctæ subsidio. Hanc gratiam ad omnium supplicationem Priorum concessit, ut ex ejus subjecta bulla patet. INNOCENTIUS NOS EXIMIT A PRÆSTATIONE VIGESIMÆ.

« Innocentius, etc. Dilectis filiis Prioribus et Conventibus universis Cartusiensis Ordinis, salutem et Apostol. benedictionem. Religionis vestræ meretur honestas, ut vos sincera diligentes in Domino charitate, votis vestris favorabiliter annuamus. Hinc est quod vestris devotis supplicationibus inclinati, quod ad præstationem Vigesimæ Terræ Sanctæ subsidio deputatæ minime teneamini, autoritate præsentium indulgemus. Datum Perusii, sexto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno decimo. » Extant inter privil. n. 59.

Eodem vero die alias ad episcopum Gratianopolitanum litteras dedit, quibus mandat ut non permittat nos a quoquam molestari pro solutione hujusmodi vectigalis; molestatores vero per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescat. Extant ubi supra n. 58.

Ad intelligentiam hujus privilegii sciendum est, ante novem annos in Concilio Lugdunensi statutum fuisse ut omnes omnino Clerici, tam subditi quam Prælati, Vigesimam ecclesia-

ANNUS 1253

Concil. Lugdun. cap. 17. super cruciata

rum proventuum usque ad triennium conferrent in subsidium Terræ Sanctæ, quibusdam duntaxat Religiosis exceptis ab hac præstatione merito eximendis, ut in Actis ejusdem Concilii legitur. Verum cum postea hujusmodi impositio prorogata fuisset, collectoribus ejus ad eam solvendam Nostros cogentibus, opus fuit ad Summum recurrere Pontificem a quo præfatam immunitatem obtinuimus, sicut jam olim obtinueramus a Clemente III de decimis in eumdem finem toti clero imperatis.

HUGO II PRIOR CARTUSIÆ ITERUM ABDICAT.

II. Hoc anno, in ipsis Comitiis generalibus vel paulo ante, Hugo uni necessario vacare ardenter appetens, abdicavit se Cartusiæ prioratu. In eadem Domo factus solitarius nec sibi nec aliis inutilis fuit; multum enim laboravit pro pace inter Priores Ordinis et Conventuales Cartusiæ concilianda, quam hoc anno turbatam mox videbimus. De Hugonis obitu post quinque annos dicemus. In ejus locum a Conventu Cartusiæ sublegitur Bernardus de Turre quem vidimus Cartusiam jam duobus annis gubernasse. Hunc quidam fuisse credunt ex illustrissima de Turre Pini familia, sed plerique eum faciunt Burgundum natione, ortum ex ingenua et nobili gente de Turre apud Vesuntinos, a qua etiam prodiit Guillelmus qui anno 1245 Vesuntionensem iniit archiepiscopatum. Cœpit Bernardus ab infantia non solum divinis et humanis litteris studere, sed etiam adeo cœlestia appetere et terrena contemnere, ut ad cartusiam Portarum venerit, quo tranquillius liberiusque Deo inserviret. Verum cum malignus hostis pia hominum desideria semper conetur evertere, contigit ut hic novus eremita, qui sæcularem adhuc gestabat habitum, a suis plurimum provocaretur ad ambiendum episcopatum Bellicensem tunc vacantem, non per abdicationem Bonifacii a Sabaudia (ut vult Molinus), anno scilicet 1240 quo jam præerat Domui Portarum, sed potius circa annos 1210 vel 1223 post abrogationem Benedicti de Langis vel Berardi de Thoria. Addit Molinus eodem tempore Vesuntionensem archiepiscopatum Bernardo fuisse oblatum, quod fieri nullatenus potuisse colligitur ex collatione facta succedentium Præsulum utriusque

V. infra ad an. 1250.

Bernardus de Turre rursum ei succedit.

Olim petitus in episcopum Bellicensem.

Ecclesiæ, nisi concedamus hæc acta fuisse cum jam Portarum cartusiam administraret. Ut ut sit, cum noster Bernardus parentum importunitate turbaretur, relicta Portarum solitudine ad Repausatorii cartusiam aufugit, in qua S. Brunonis habitum sumpsit, ibique mansit donec factus est Prior dictæ Domus Portarum, succedens Martino aliquot post annis ad Generalatum assumpto. Bernardus super candelabrum positus, cœpit lucere non solum iis qui in domo, sed et qui extra domum erant. Cum enim ejus virtutes Summo Pontifici Gregorio nono innotuissent, ab eo electus est ut cum aliis viris sanctis et sapientibus collapsam in Ordine Grandimontensi observantiam resarciret, ut fusius alibi retulimus. Pacis amator fuit, sopit enim lites cum diversis extra omnem judicii strepitum, anno præsertim 1239 cum Ynimontensi Priore Ordinis Cluniacensis; anno 1243 licentiam ab Hugone Priore Cartusiæ obtinuit retinendi extra terminos quamdam possessionem. Deinde circa annum 1247 ad regimen Majoris Cartusiæ primum translatus, biennio post abdicans, iterum hoc præsenti anno, ut diximus, Hugoni subrogatur.

ANNUS 1253

III. In Charta Capituli generalis præsentis anni declaratur quod « Prior Cartusiæ poterit absolvere omnes Priores ab omni excommunicatione et irregularitate. Et singuli Priores subditos suos hac vice tantum. » Sed Alexander IV hanc potestatem nulla temporis definitione circumscribit, data bulla anno 1255, quarto Nonas Aprilis, qua vult ut omnes Priores Ordinis possint cum subditis de irregularitate dispensare, eosque absolvere ab omnibus sententiis quas incurrerint sive ante sive post Ordinis ingressum, nisi esset casus soli Papæ reservatus.

ORDINATIONES CAP. GENER.

Extat ad calcem Ant. Statut. n. 29.

Præterea per eamdem Chartam significant Patres quod (sicut Capitulum generale alias ordinavit) Priores possint ad mensam loqui cum Abbatibus et Episcopis, multa tamen sobrietate servata; cum aliis vero nunquam nisi urgente necessitate.

Et inter preces pro benefactoribus et amicis indictas, « Domino electo Tarentasiensi conceditur, ut a quolibet sa-

Electus Tarentas. commendatur.

ANNUS 1253

cerdote dicatur una Missa de Spiritu Sancto. » Qui regebat hoc anno Ecclesiam Tarentasiensem vocabatur Rodulphus seu Arnulphus Cursi, qui jam eidem Ecclesiæ præerat anno 1248, ut ibidem vidimus.

Item Rex Angliæ.

Item « Regi Angliæ conceditur per totum Ordinem monachatus », scilicet post mortem persolvendus. Obiit ille Rex Henricus videlicet anno 1272.

DISSIDIUM INTER PRIORES ORDINIS ET MONACHOS CART. SUPER CELEBR. CAP. GEN.

IV. Multa alia in eadem Charta decernuntur, tum circa correctionem quarumdam personarum Ordinis, tum maxime circa dispositionem quorumdam rituum divini Officii, quos nunc etiam retinemus. Dum vero Nostri tanta cum accuratione tantaque animorum concordia pro tuendis etiam minoribus observantiis collaborant, suborta interim quadam difficultate circa formam celebrandi Capitulum generale, fit tandem inter eos, sicut olim inter sanctos Paulum et Barnabam, satis grave dissidium, cujus origo ex altiori fonte deducenda est. Statutum fuerat in illis celeberrimis Comitiis generalibus sub regimine Basilii congregatis, ut ex octo Diffinitoribus ad quos omnis potestas Capituli generalis devolveretur, quatuor essent Monachi Cartusiæ, et quatuor alii assumerentur ex Prioribus præsentibus. Id certe tunc sapientissime cautum fuerat, cum eo tempore major non esset Priorum Ordinis quam Monachorum Cartusiæ numerus : vix enim quindecim numerabantur Domus in Ordine, quando primum Capitulum fuit celebratum. Verum intercedentibus annis, cum in dies Domus multiplicarentur, jamque plusquam quadraginta extarent, perquam sane arbitrati sunt Priores æquum non esse Monachos, rerum magnarum plerumque imperitos, æquali gaudere potestate ac paria habere suffragia in totius Ordinis negotiorum decisionibus. Cartusiæ Monachi omnis antiquitatis tenacissimi, fretique tum longa sui juris possessione, tum primi Capituli generalis decreto quod paucis ante annis, id est circa annum 1250, renovatum fuerat his verbis : « In principio Capituli, Prior Cartusiæ ponet duos Priores et duos Monachos Cartusiæ qui eligant quatuor Priores et quatuor Monachos de numero Monachorum Car-

tusiæ; et isti octo simul cum Priore Cartusiæ diffiniant omnes quæstiones Capituli. » His, inquam, rationibus ducti Monachi Cartusiæ, nullatenus adduci potuere ut vel minimæ mutationi assentirentur. Flagrante igitur utrimque zelo, cum plane inter se de tollendo dissidio convenire non possent, concordi nihilominus consensu Summum Pontificem Innocentium velut communem omnium Patrem arbitrum statuerunt. Quid vero inde actum est, jamjam proximo anno sumus dicturi.

ANNUS 1253

JESU CHRISTI

ANNUS 1254.

Innocentii PP. IV Ann. 12.	Ordin. Cartus. Ann. 171.	Bernardi I Pr. Cart. Ann. 4.

INNOCENTIUS PRONUNCIAT SOLOS PRIORES DIFFINITORIO PRÆFICIENDOS.

I. CHRISTI annus exurgit quinquagesimus quartus supra millesimum ducentesimum, Indictione duodecima, quo Innocentius Papa, audita quam mox vidimus ortam inter Priores Ordinis et Cartusiæ Monachos controversia, totius dijudicationem negotii Joanni Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali demandavit. Hic, auditis partibus ac rationibus earum ponderatis, juris tamen ordine non servato, « sententialiter (ut ipse loquitur in litteris anno futuro excribendis) Monachos claustrales non debere cum Prioribus Ordinis ad diffiniendum, sedente generali Capitulo, nec ad aliquid cum eisdem statuendum admitti pronuntiavit; cum præsertim tales Priores obligent universos, nec fas sit neque congruat Religionis simplicitati ut inferior in superiorem habeat dominium. » Hanc Cardinalis sententiam confirmavit Innocentius, misitque ad hujus anni Comitia, ut ibidem juxta illius tenorem procederetur. Summi Pontificis mandato obtemperarunt Cartusienses Monachi, solique Priores Diffinitorio tunc præsederunt. Sed post Capituli celebrationem Guigo del Groyn Cartusiæ professus, a suis ad Curiam Romanam est destinatus, qui Sancto Patri, ea qua par esset reverentia, exponeret se multum esse Cardinalis sententia gravatos. Priores vero Henricum et Rifferium, qui Portarum et Vallis Sanctæ Mariæ Domibus præerant, suos quoque nominarunt procuratores qui Capituli generalis

Ad eum Priores Ordinis et Monachi Cartusiæ suos procuratores mittunt.

partes super annum tuerentur. Sed Innocentio multis Ecclesiæ negotiis tunc occupato, et hoc præsenti anno defuncto, nihil potuerunt usque ad annum subsequentem proficere.

ANNUS 1254

II. Res certe omnium admiratione ac laude digna est, quod partium animi non fuerint tanto dissidio ab invicem alienati aut offensi; imo in charitate magis ac magis radicati et fundati, omnes sancta conspiratione enitebantur ut antiquæ a Patribus institutæ consuetudines per omnes Ordinis Domos illæsæ et inconcussæ servarentur. Tantum enim abest ut post centum et septuaginta annos a nostri Ordinis institutione, detrimenti aliquid passa sit ex præfata membrorum suorum contentione observantia, ut etiam validior, strictiorque quam prius extiterit. Patres namque qui Capituli generalis celebrationi hoc anno interfuerunt, Bernardi Prioris Cartusiæ ejusque filiorum cohortationibus et exemplis maxime excitati, tum ad ejusdem observantiæ conservationem, tum ad meriti augmentum, esui carnium tam pro se quam pro suis subditis et successoribus præclaro prorsus facinore in perpetuum abrenuntiarunt. Quam quidem abrenuntiationem, ut firmior esset atque solemnior possetque tutius ad posteros transmitti, publice atque cum quodam apparatu coram Reverendissimis Præsulibus Rodulpho Tarentasiensi archiepiscopo et Fulcone principe et episcopo Gratianopolitano pronunciarunt, eamque curaverunt suis eorumdemque Prælatorum sigillis roborari, ut ex solemnibus codicillis inde confectis apparet :

INTERIM AB UTRAQUE PARTE ILLIBATA SERVATUR OBSERVANTIA.

Fitque celebris illa esus carnium abrenunciatio.

« Noverint universi præsentem paginam inspecturi, quod Bernardus tunc temporis Prior Cartusiæ, et cæteri Priores universi ejusdem Ordinis ad generale Capitulum in Cartusia simul congregati et in ipso Capitulo existentes, præsentibus venerabilibus Patribus Rod. Dei gratia Tarentasien. archiepiscopo, et F. eadem gratia episcopo Gratianopolitano : spontanei et voluntarii, non coacti, tam pro se quam pro suis Conventibus, unanimiter et concorditer, in pleno et generali Capitulo esui carnium perpetuo abrenunciaverunt ; adjicientes quod si quis illorum sive Prior sive Monachus contra hujusmodi Sta-

ANNUS 1254

tutum præsumptione temeraria (quod absit) venire præsumpserit, a societate et communione totius Ordinis, et ab ipso Ordine amotum noverit se penitus et exclusum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, die lunæ post festum Ascensionis Domini. In cujus rei testimonium, prædicti domini Rod. Tarentasien. archiepiscopus, et dominus F. episcopus Gratianopolitan. præsentem paginam, ad instantiam et petitionem dicti Prioris et Capituli generalis, sigillorum suorum munimine roboraverunt. »

AN VOTUM CENSENDA SIT VEL CONSUETUDO.

Sa, in Aphorism., verb : Religio, n. 58.

De vita Cartusiana lib. I. tract. 3. cap. 8.

III. Ex hac tam celebri renunciatione quidam, etiam Doctores, arbitrati sunt imo et asseveraverunt Cartusienses de carnibus vel in extrema infirmitate nunquam edendis votum facere solere; sed Emmanuel Sa materiam hanc pertractans, prudentius ait Cartusienses non ex voto sed ex consuetudine a carnibus abstinere. Hanc vero consuetudinem Nostri diu devote tenuerant, nullo expresso pœnali contra transgressores Statuto. Siquidem, ut observat noster Sutor, nec ante Guigonem primum Cartusiensium Consuetudinum autorem, nec tempore illius, nec multos post annos, Statutum aliquod de re hujusmodi in Capitulis generalibus ordinatum reperitur. In Constitutionibus anno 1222 sub Jancelino promulgatis, carnes etiam leprosis interdictas fuisse solummodo legimus ; sic enim habetur capitulo 54, quod *De diversis Capituli institutis* inscribitur : « Leprosis nostri Ordinis carnes comedere nullatenus est permissum. » Hæc ibi ; quæ, ut diximus, consuetudinem tantum indicant nullo firmatam Statuto, licet strictissime semper observatam. Verum ubi hoc præsenti anno Propositi Cartusiensis sectatores omnes, in persona Priorum qui communi Capitulo aderant, sponte concorditerque esum carnium perpetuo abjecerunt, hujusmodi consuetudo cœpit vim Statuti habere. Quam ideo postea Rifferius diversis Statutorum suorum locis adjecit, præsertim agens de cura Priorum erga infirmos. « Esus carnium, inquit, cui Ordo renunciavit, nulli Nostrum conceditur, etiamsi sit leprosus. » Itemque alibi bis repetit. Hujus vero Statuti violatores ab Ordine ejiciebantur, sed postquam Nostris non licuit nisi

Stat. Ant. p. I. c. 44. n. 4.

Cap. 23. p. 2. et c. 29. p. 3.

inemendabiles hujusmodi pœna coercere, ne tam laudabilis consuetudinis transgressio inulta dimitteretur, novam Patres indixerunt mulctam, qua tantæ culpæ reus, « si sit Prior vel Vicarius sive Procurator, ipso facto tanquam suæ professionis calumniator et transgressor, obedientiam perdit et vocibus ac locis debitis et cæteris obedientiis Ordinis caret in æternum. Si vero simplex Monachus aut alia quævis persona Ordinis extiterit, voce, loco ac obedientiis carens perpetuo, ad Capituli generalis voluntatem carceri mancipetur. » Quæ quidem omnia non solum confirmantur in Nova Collectione Statutorum nuper a S. S. Apostolica approbata, sed etiam ampliantur. Ibi enim præter simplicem esum carnium « omnis sumptio omnium quæcumque ex carnibus quomodolibet constant, sive per modum cibi sive per modum potionis aut sorbitionis sumantur, » omnino prohibetur.

ANNUS 1254

Stat. Nov. p. 2. cap. 4. n. 32.

Nov. Collect. part. 2. cap. 10. num. 24.

Quid autem nostros veteres Patres impulerit ad hujusmodi Statutum cum adjectione pœnæ faciendum non satis compertum habetur. Putat Sutor ad id fuisse alienis periculis concitatos : « Videbant enim, inquit, cum annis labentibus mores probos pessum iri; videbant etiam monachos alios jam nimis licenter carnibus uti, et quasi monastici rigoris pertæsos modicam sui status rationem habere. Quod igitur alios perperam agere cernebant, putaverunt quoque suos leviter efficere posse nisi debita censura cohiberentur. « Hæc Sutor. Verior tamen causa exhibetur tomo primo horum Annalium, ubi Patres dicuntur solemnem hanc fecisse renunciationem, ut contra sanctæ hujus consuetudinis censores nullis se rationibus ab ejus observatione deduci posse profiterentur. Et revera plures videbimus, per intervalla temporum, stomachum in nos erumpentes, quod tam stricte austeritatem hanc teneamus. Hujus Patrum renunciationis meminerunt Bzovius ad hunc annum, et Alphonsus Fernandes in *Concertatione Prædicatoria*.

To. 1. Annal. pag. 125.

Fernand. in Concert. Præd. contra Hæret. num. 21.

IV. Hoc anno, 7 Idus Dec., Innocentius Papa Neapoli moritur et sepelitur; in cujus locum Cardinales elegerunt Rainaldum ex Comitibus Figniæ, Ostiensem tunc atque Veliternum episcopum cardinalem, cui nomen Alexandri IV indiderunt.

INNOCENT. IV MORITUR.

JESU CHRISTI

ANNUS 1255.

Alexandri PP. IX	Ordin. Cartus.	Bernardi I Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 172.	Ann. 5.

MONACHI CART. ET PRIORES ORD. COMPROMITTUNT DE SUIS CONTROVERSIIS.

I. ANNO Christi ineunte millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia decima, Bernardus Cartusiæ, Henricus Portarum et Rifferius Vallis Sanctæ Mariæ Priores, omnem viam bona fide excogitantes qua quæstio jam a duobus annis mota circa celebrationem Capituli generalis citius dirimeretur ; quamvis scirent Joannem Sancti Laurentii de Lucina cardinalem ab Alexandro IV novo Papa iterum judicem totius controversiæ nominatum, nihilominus satius judicarunt amicorum arbitrio rei decisionem permittere. Electis igitur ab utraque parte arbitris, Archiepiscopis videlicet Viennensi et Lugdunensi ac Humberto de Romanis Ordinis Prædicatorum Magistro cum aliis ejusdem Ordinis duobus, Lugdunum se contulerunt, ubi in monasterio Patrum Prædicatorum simul cum præfatis arbitris congregati, tale compromissum scripsere :

« Nos frater Bernardus Prior Domus Cartusiæ, et frater Guigo del Groyn monachus ejusdem Domus, et frater Henricus Prior Portarum, et Frater Rifferius Prior Vallis Sanctæ Mariæ, Ordinis Cartusiensis, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod nos super discordia mota de modo celebrandi Capitulum nostrum generale, et de modo diffiniendi in Capitulo, et super omnibus querelis motis, propositis usque ad hodiernum diem et etiam proponendis infra

tres dies: inter nos, videlicet prædictos fratrem B. Priorem et fratrem G. et Domum Cartusiæ et adhærentes nobis ex una parte; et nos alios prædictos Priores, videlicet fratrem Henricum et fratrem Rifferium procuratores universitatis Priorum Ordinis Cartusiensis qui fuerunt congregati in Capitulo generali, celebrato anno Domini MCCLIV die Veneris ante Ascensionem Domini, et adhærentes nobis ex altera parte: promittimus bona fide et stipulatione legitima interposita, et sacrosanctis tactis corporaliter Evangeliis, pro nobis et Domibus et Conventibus nostris, et Monachis et Prioribus adhærentibus nobis, et pro successoribus nostris et eorum, quantum possumus præstare super promissis, et super omnibus pertinentibus ad præmissa, de plano, sine strepitu advocatorum seu judiciorum alte et basse, arbitrio, ordinationi seu dicto venerabilium Patrum et dominorum Joannis Dei gratia archiepiscopi Viennensi et Philippi ejusdem miseratione primæ Lugdun. Ecclesiæ electi, et virorum religiosorum fratrum Humberti Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum et fratris Radulphi de Vareii et fratris Petri Rocelins de Ordine Fratrum Prædicatorum, concorditer ab eis prolatis, etiam juris ordine non servato. Prædicta etiam facta sunt et concessa de consilio et consensu Prioris Majorævi et Prioris Allionis Ordinis Cartusien., quos nos prædicti Frater Henricus et frater Rifferius specialiter vocavimus ad præmissa. Et ego etiam prædictus frater Henricus præmissa universa et singula, pro me et pro Priore Sylvæ Ordinis Cartusien. qui mihi commisit vices suas, promitto bona fide et stipulatione legitima interposita et per juramentum corporaliter præstitum, servare firmiter et fideliter adimplere; quod si forte super præmissis a prædictis arbitris seu arbitratoribus non fieret vel non perficeretur infra quindecim dies ordinatio, tunc deberent litteræ et rationes et jura utriusque partis, et etiam aliud compromissum quod præcessit, in suo robore permanere. Prædicta igitur omnia et singula promittimus et juramus servare et tenere pro nobis et nobis adhærentibus, et inducere adhærentes nobis et socios nostros bona fide et pro posse nostro ad consentiendum ordina-

ANNUS 1255

Nomina Arbitrorum.

ANNUS 1255

tioni quæ fiet super præmissis concorditer per prædictos, et procurare et laborare bona fide in Capitulo nostro generali proximo celebrando, ut ordinatio quæ super præmissis, per prædictos, modo prædicto facta fuerit, approbetur et ratificetur. Et tandem etiam quod a Domino Papa confirmetur, et ut si quid forte secundum jura ibi deficeret, per ipsum suppleatur de plenitudine potestatis. Est etiam actum et concessum inter partes, ut prædicta cum expensis taxandis a prædictis arbitris procurentur et compleantur. Renunciamus autem nos omnes prædicti, spontanee et ex certa scientia et sub vinculo præstiti juramenti, beneficio restitutionis in integrum et exceptionibus doli et in factum, et omni exceptioni et privilegio seu indulgentiæ cujuscumque impetratis vel etiam impetrandis, et juri dicenti generalem renunciationem non valere, et omni auxilio juris canonici vel civilis vel etiam consuetudinis quod contra prædicta nobis aliquo modo competere vel prodesse posset. In cujus rei testimonium, ego prædictus frater Guigo del Groyn, cum sigillum proprium non haberem, præsenti chartæ sigillum Prioris Domus Cartusiæ apponi feci. Et nos etiam alii prædicti Priores sigilla nostra apposuimus. Nos etiam prædicti Prior Majorævi et Prior Allionis ad preces prædictorum præsenti chartæ sigilla nostra apposuimus in testimonium veritatis. Actum anno Domini MCCLV, XIIII Calend. Martii. »

SENTENTIA EORUM.

II. Juxta hanc potestatem sibi factam convenerunt arbitri, vocatisque et auditis partibus, spatio trium aut quatuor dierum totam quæstionem definierunt, data cum omnium gaudio et probatione sequenti sententia :

« Joannes Dei gratia sanctæ Viennensis Ecclesiæ vocatus archiepiscopus, et Philippus permissione divina primæ Lugdun. Ecclesiæ electus, et frater Humbertus Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum, et frater Petrus Rochelins de Tarentasia et frater Radulphus de Varey ejusdem Ordinis, universis præsentes litteras inspecturis, salutem cum notitia rei gestæ. Universitati vestræ tenore præsentium innotescat : quod cum inter Bernardum Priorem Cartusiæ et Guigonem

del Groyn monachum ejusdem Domus, et Conventum ejusdem Domus et adhærentes eis ex una parte; et Henricum Priorem Portarum et Rifferium Priorem Vallis Sanctæ Mariæ Ordinis Cartusiensis, procuratores universitatis Priorum qui fuerunt congregati Cartusiæ in Capitulo generali, celebrato anno Domini MCCLIIII die Veneris ante Ascensionem Domini, et adhærentes eis ex altera parte, super modo celebrandi Capitulum generale, et super modo diffiniendi ibidem et super quibusdam aliis, orta esset materia quæstionis; tandem utraque pars super præmissis et super pertinentibus ad præmissa compromiserunt in nos sponte et unanimiter, prout in instrumento sigillis eorumdem roborato plenius continetur sub hac forma : Nos frater Bernardus Prior Cartusiæ Domus.... et cætera quæ supra habentur in compromissi instrumento. » ANNUS 1255

Deinde addunt arbitri :

« Nos igitur prædicti Joannes Dei gratia sanctæ Viennen. Ecclesiæ vocatus archiepisc., et Philippus divina permissione primæ Lugdunen. Ecclesiæ electus, et frater Humbertus Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum et frater Petrus Rocelins et frater Radulphus de Varey ejusdem Ordinis, prædictum compromissum de assensu et ad preces dictarum partium pro bono pacis in nos recipientes; auditis et ventilatis diligenter his quæ dictæ partes coram nobis proponere voluerunt, et diligenti et frequenti tractatu super his habito, Deum habentes præ oculis; tandem anno Domini MCCLV, mense Februarii, die sabbati ante festum Cathedræ S. Petri dictis partibus assignata legitime et peremptorie ad audiendam sententiam seu ordinationem nostram, eadem die præsentibus coram nobis omnibus qui in nos compromiserant, super præmissa quæstione et aliis querelis coram nobis propositis in scriptis ferendo sententiam, omnes simul unanimiter et concorditer, uno pro omnibus sive vice omnium pronunciante, arbitrati sumus, ordinavimus seu diximus in hunc modum : Arbitramur, ordinamus, seu dicimus super præmissis, unanimiter et concorditer :

III. « Imprimis, ut Capitulum generale totius Ordinis Car- CAP. GENER. CELEBRANDUM APUD CARTUSIAM.

ANNUS 1255

tusiensis in Domo Cartusiæ semper annis singulis celebretur, nisi forte ad certum tempus ex aliqua certa causa; et tunc de consensu Prioris Domus Cartusiæ et omnium Diffinitorum oporteret illud alibi celebrari. Singulis vero annis collecto generali Capitulo apud Domum Cartusiæ, Prior Domus Cartusiæ unum discretum et idoneum nominet electorem Diffinitorum, videlicet quem voluerit seu de Monachis Domus Cartusiæ, seu de Prioribus in eodem Capitulo congregatis. Deinde quinque Priores primarum Domorum ipsius Ordinis post Domum Cartusiæ, singulariter singuli alios singulos Diffinitorum nominent electores, sive de Monachis Domus Cartusiæ sive de Prioribus in eodem Capitulo constitutis; hoc pensato tamen de æquali et debita portione, ut quinque prædicti Priores qui Diffinitorum electores nominant, annis mutentur singulis successive, Domorum Ordinis Cartusiensis ordine conservato: descendendo videlicet per singulos Priores in Capitulo præsentes usque ad ultimum inclusive, et postmodum a capite inchoando, Priore Cartusiæ non mutato. Sex igitur Electores statim postquam ut supra dictum est fuerint nominati, secedent in locum ad hoc specialiter deputatum; et brevi tractatu inter se habito, absque personarum, partium, nationum, vel conditionum acceptione, eligant octo Diffinitores pro suæ arbitrio voluntatis, sive de seipsis sive de Prioribus sive de Monachis Domus Cartusiæ in eodem Capitulo constitutis, quos teste fideli conscientia magis idoneos judicabunt. Quibus electis, unus eligentium Diffinitores ipsos per hunc modum electos, vice sua et collegarum suorum, in communi mox audientia publicabit.

Modus eligendi Diffinitores.

« Qui Diffinitores electi et nominati habebunt plenitudinem potestatis una cum Priore Domus Cartusiæ ordinare, statuere et diffinire quæ secundum Deum et Propositi Cartusiensis Ordinis observationem, melius et utilius in ipso Capitulo viderint ordinanda. Ita duntaxat quod quidquid ab omnibus eis vel saltem a majori parte ipsorum omnium, hoc est a quinque, diffinitum fuerit vel statutum, plenam habebit in toto Ordine firmitatem. Hoc excepto quod generalem et evi

Qualis eorum autoritas.

ANNUS 1255

dentem relaxationem Ordinis vel Propositi Cartusiensis per constitutionem aliquam vel Statutum facere non valebunt, nisi vel omnes Diffinitores cum Priore Cartusiæ vel saltem quatuor cum eodem consenserint in idipsum. Si vero dissentiente Priore Cartusiæ, septem vel octo Diffinitores aliquid in hoc casu ordinaverint vel statuerint : tunc duo arbitri eligantur, unus ex parte Prioris Cartusiæ, et alius ex parte Diffinitorum, et tertius sit communis de toto electus Monachorum Cartusiensium et Priorum collegio, ita tamen quod nullus sit de Diffinitoribus supradictis. Et quicquid ipsi tres, vel duo saltem ex eis super ordinatione illorum septem vel octo Diffinitorum tenendum vel respuendum esse dixerint, prævalebit.

NOVA CONSTITUTIO PER DUO CAPITULA CONFIRMANDA.

IV. « Ad hæc etiam ordinamus quod dispensatio ad relaxationem rigoris Ordinis pertinens, cum aliqua vel aliquibus Domibus, specialiter per Capitulum generale facta, non valeat usquequo per duo Capitula generalia continua fuerit approbata. Nulla etiam constitutio vel Statutum per Capitulum generale fieri poterunt cum effectu, nisi per duo generalia Capitula continua approbentur; nonobstante aliquo quod superius sit expressum. Sed nec singulares libertates, prærogativæ seu immunitates Domus Cartusiæ quas hactenus habere singulariter consuevit, per aliquam diffinitionem unius sive plurium Capitulorum, sive privatorum sive generalium, auferentur eidem. Insuper etiam potestas Prioris Cartusiæ et autoritas quam habet in Capitulis generalibus, et quam hactenus habuerit super annum, autoritate Capituli generalis, eidem semper remaneat, et eadem super annum, autoritate Capituli generalis utatur : nec alteri possit committi, nisi ex aliqua causa, in certo articulo et ad tempus determinatum, de consensu ejusdem Prioris et omnium Diffinitorum aliter contingeret ordinari. Per hoc tamen nullum præjudicium volumus his fieri quæ sunt superius ordinata.

Prærogativæ domus Cartus. servandæ.

Item autoritas R. Patris.

MODUS CELEBRANDI CAPIT. PRIVATUM.

V. « Ad celebrandum vero privatum Capitulum super annum, vocare tenebitur Prior Cartusiæ Priores alios quatuor de magis discretis et idoneis nec multum remotis, illos dun-

ANNUS 1255

taxat qui per diffinitionem Capituli generalis ad hoc fuerint nominati. Ordinamus etiam ut utraque pars ad hujusmodi ordinationis nostræ confirmationem a Sede Apostolica obtinendam laborare, sine mora, bona fide teneatur : ita ut si fieri poterit habeatur ante generale Capitulum proximo celebrandum; et secundum ipsam regatur Capitulum, si fuerit confirmata. Si vero ante proximum Capitulum confirmatio hujusmodi ordinationis obtenta non fuerit; Capitulo congregato, inducantur ab utraque parte, bona fide et pro posse suo, omnes in Capitulo congregati, ut consentiant et ratam habeant et confirmari sine mora procurent a Sede Apostolica ordinationem promissam. A nominationibus vero Electorum, et ab electione Diffinitorum, et ab his quæcumque per Diffinitores vel a Diffinitoribus fieri solent in illo Capitulo, supersedeant omnino.

« Utraque vero pars confirmationem Ordinationis nostræ hujusmodi in forma sua integra et tenore, sine additione vel diminutione vel mutatione aliqua, procurare sine mora, bona fide, pro posse suo, efficaciter, expensis suis, teneantur. Refundantur autem eis expensæ secundum taxationem in primo generali Capitulo postea celebrando, Martini Prioris Vallis Sancti Petri et Henrici Prioris Portarum Cartusiensis Ordinis et Hugonis * Monachi Domus Cartusiæ, vel duorum ex ipsis si discordarent, arbitrio faciendam. Quorum si forte aliquem vel aliquos abesse contigerit, loco illius vel illorum per Capitulum idonei taxatores alii statuantur. Omnes autem teneantur in hoc casu solutionis, videlicet expensarum quas taxaverint, prædictis taxationibus obedire. De expensis vero in procurando confirmationis negotio ab utraque parte factis, eorum qui nuncios vel procuratores ad hoc mittent, juramento sine aliqua probatione credatur. Hanc autem Ordinationem de commissione taxationis expensarum, facimus de consensu partium speciali. Hæc autem prædicta, universa et singula quæ pro bono pacis ordinamus, salva in omnibus autoritate et voluntate Sedis Apostolicæ, intelligimus et intelligi volumus esse facta. In cujus rei testimonium nos præ-

* *Olim Prior Càrtusiæ.*

fati, Joannes Dei gratia sanctæ Viennensis Ecclesiæ vocatus archiepiscopus, et Philippus permissione divina primæ Lugdunensis Ecclesiæ electus, et frater Humbertus Magister Ordinis Fratrum Prædicatorum, et frater Petrus de Rochelins de Tarentasia et frater Radulphus de Varey ejusdem Ordinis, præsenti chartæ sigilla nostra apponimus. Ad majorem etiam firmitatem, nos prædicti Priores, videlicet Bernardus Prior Cartusiæ, Henricus Prior Portarum, Rifferius Prior Vallis Sanctæ Mariæ, præmissa approbando, præsenti chartæ sigilla nostra apponimus. Ego etiam prædictus Guigo del Groyn, cum sigillum proprium non habeam, præmissa approbando, præsenti chartæ sigillum Prioris Domus Cartusiæ appono. Et nos præfatus B. Prior Domus Cartusiæ sigillum nostrum prædicto Guigoni del Groyn ad preces ejus accommodamus. Actum Lugduni in Domo Fratrum Prædicatorum, anno Domini MCCLV, mense Februarii, die Sabbati ante festum Cathedræ sancti Petri. » ANNUS 1255

ARBITRORUM SENTENTIA CONFIRMATUR.

VI. Hanc sententiam anno sequenti suis codicillis Summus Pontifex, ut eodem anno dicemus, confirmavit. Ubi vero lata fuit, ejus præcipua capita Nostri per duos monachos, scilicet Hugonem Arnaldi conventus Cartusiæ et Benedictum Priorum procuratores, statim Neapolim (ubi tunc degebat cum Curia sua Alexander) miserunt præfato Joanni cardinali exhibenda; ne ulterius ipse progrederetur in judicio ferendo contra Summi Pontificis mandatum. Porro ille Nostris gratulans de concordia tam placide inita, eadem sibi oblata pacis capita approbavit suis litteris totius discordiæ et negotii seriem et causam continentibus sub tali tenore :

Literæ Joannis Cardinalis.

Cartusienses laudat.

« In nomine Domini, amen. Quanto dilecti filii Fratres Cartusiensis Ordinis per meritorum suffragia, sanctæ conversationis exempla, et per incrementa sapientiæ salutaris in ædificationem Ecclesiæ Christi ferventer assurgunt : tanto attentius convenit eorum prospici commodis et provideri quieti, ut tamquam pacis intimæ zelatores tranquille dispositi et ordinati per pacem pectoris interius acquisitam, ad pacis æternæ pulchritudinem cum obtinendi fiducia fæliciter valeant inhia-

ANNUS 1255

re. Sed frequenter humani generis inimicus, draco ille in malitia veteranus qui de firmamento cœli tertiam partem stellarum secum traxisse legitur, illos adhuc ignitis discordiæ telis et limatis deffensionum aculeis versipelliter aggredi veretur, qui in caliginoso miseriæ præsentis ergastulo quasi stellæ lucentes, resplendent aliis per exempli famam laudabilem et sibi nihilominus per nitentis conscientiæ puritatem; inter quos prædicti Fratres merito numerantur, præfulgentes multiplici radiorum jubare, qui suæ conversationis fulgoribus illustrant efficaciter orbem terræ. Verum quia dicti draconis nequitia operante, inter præfatos Fratres suborta fuit materia quæstionis, præcipue super processibus et ordinatione sui generalis Capituli; felicis recordationis Dominus Innocentius Papa IV, motu proprio vel instinctu alieno, nobis fratri Joanni miseratione divina tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, tamquam ex proprio commisit officio, sine strepitu judicii, partibus non vocatis, ea quæ ad utilitatem Ordinis ipsius et super statu Capituli generalis corrigenda erant vel etiam reformanda. Dedit insuper potestatem et mandatum ut ad ea statuenda et ordinanda quæ decus Ordinis et decorem prospicerent, nostra sollicitudo prudenter intenderet et intensio vigilaret.

Qualem ab Innocentio IV potestatem acceperit.

Qualem dixerit sententiam.

« Nos vero sicut simplicitati religionis congruere videbatur, juris ordine non servato, sententialiter ordinavimus Monachos claustrales non debere admitti cum Prioribus Ordinis ad diffiniendum sedente generali Capitulo; nec ad aliquid cum eisdem statuendum, cum tales Priores obligent universos; nec fas sit juxta legitimas sanctiones, ut dominium habeat par in parem, et multo minus minimus in majorem; et hujusmodi constitutiones editæ vel edendæ, non a minoribus ad majores, sed a majoribus derivari debeant ad minores. Ordinatione tandem hoc modo publicata, per dictum Dominum Innocentium scienter confirmata, sic acceptata fuit in proximo sequenti Capitulo quod per ipsam et secundum ipsam, illa vice, Diffinitores et ipse Prior Cartusiæ in diffiniendo et statuendo totaliter et sententialiter processerunt.

ANNUS 1255

« Sed celebrato per hunc modum generali Capitulo, Fratres Domus Cartusiæ per nostram ordinationem se gravatos asserentes, procuratorem suum ad Curiam destinarunt. Qui cum indefessa clamoris instantia et importunitate diuturna, super hoc petiit a Summo Pontifice, sine culpa sua, gravatis misericorditer provideri ; pro sua parte non imprudenter adjiciens, quod cum ipsi fuerint in possessione, vel quasi, ponendi et habendi quatuor monachos cum quatuor Prioribus qui diffiniunt, illa possessione per nostram ordinationem extiterunt indebite spoliati.

ITERUM AB ALEXANDRO IV JUDEX NOMINATUR.

VII. « Summus vero Pontifex, videlicet Dominus Alexander IV, totum commisit negotium nostræ providentiæ, pace vel judicio terminandum. Nos vero vocatis partibus quæ fuerunt evocandæ, et auditis de plano quæ fuerunt hinc inde coram nobis proposita, festinanter et utiliter intendebamus totam controversiam secundum allegata et proposita terminare. Sed utræque partes, comperto per conjecturas nostræ voluntatis proposito, verentes præstolari sententiæ calculum antequam aggrederemur pronunciantis officium, in subscriptam pacis formulam unanimiter et æquanimiter concordarunt : videlicet quod singulis annis, collecto Capitulo generali apud Cartusiam, primus Prior Cartusiæ unum discretum et idoneum Diffinitorem nominet electorem, etc. » Deinde enarratis singulis concordiæ articulis prout in literis præfatorum arbitrorum inserti fuerant, sic prosequitur : « Nos vero prædictus Cardinalis supradictam concordiam factam de communi partium voluntate potissimum acceptantes, ipsam volumus et mandamus, autoritate Domini Papæ et de consensu seu consilio Cardinalium, illibatam atque firmam in sui roboris consistentia perpetuo permanere ; contradictores et rebelles sub interminatione anathematis compescendo : nonobstantibus ordinatione nostra de qua mentionem fecimus, vel aliquo actu contrario vel confirmatione Domini Papæ, vel quibuscumque litteris super his impetratis vel etiam impetrandis, vel quibuscumque confessionibus vel responsionibus coram nobis in judicio vel extra judicium promulgatis ; per quas

Ante ejus judicium Nostri pacifice inter se conveniunt.

ANNUS 1255

nolumus imposterum extra vel ultra præsentem ordinationem alicui partium jus acquiri vel præjudicium generari. Supplentes autoritate Domini Papæ et de ipsius plenitudine omnem defectum, si quis fuerit, in procuratoribus partium vel in procuratoriis eorumdem. Actum est hoc Neapoli in hospitio nostro, anno Domini 1255, Indictione 13, mensis Aprilis die 14, Pontificatus Domini Alexandri Papæ IV anno primo; præsentibus fratre Richardo monacho Fossænovæ, capellano nostro, fratre Mauro monacho Sancti Sebastiani Neapolitan. et Guillelmo de Cabilone clerico nostro. Ad majorem autem fidem huic ordinationi in posterum adhibendam, ipsam cum nostri sigilli appensione per Leonardum infrascriptum tabellionem redigi fecimus in publica documenta. Ego Leonardus imperiali autoritate notarius prædictæ ordinationi interfui, et ipsam de mandato et autoritate prædicti domini J. cardinalis scripsi et publicavi. »

ALEXANDER IV CONVENTIONEM CONFIRMAT.

VIII. Quindecim post dies, Alexander IV præfatas cardinalis Joannis litteras sua bulla corroboravit subsequenti forma:

« Alexander, etc. Dilectis filiis Cartusiæ et Cartusiensis Ordinis, universis Prioribus ac Fratribus, salutem et Apostolicam benedictionem. Ortam dudum inter vos, filii Prior et Fratres Cartusiæ ex parte una; et vos filii Priores Cartusiensis Ordinis ex altera super processibus et ordinatione vestri generalis Capituli, materiam quæstionis: fælicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster, dilecto filio nostro Joanni tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali commisit, ut sine judicii strepitu corrigeret super hoc ea quæ ad utilitatem ipsius Ordinis et super statu ipsius Capituli corrigenda erant vel etiam reformanda; qui super his quamdam ordinationem fecit, quam idem Prædecessor autoritate Apostolica confirmavit. Et licet hujusmodi ordinatio in Capitulo tunc proximo celebrato fuerit observata, vos tamen Fratres Cartusiæ asserentes vos ex prædicta ordinatione gravatos, ad nostram super hoc providentiam recurristis. Cum itaque hujusmodi negotium eidem Cardinali commiserimus judicio vel concordia terminandum, idem Cardinalis negotium ip-

sum per quamdam ordinationem de consensu partium terminavit, prout in instrumento publice confecto exinde sigillato sigillo ipsius Cardinalis plenius continetur. Nos itaque quod super hoc ab eodem Cardinali factum est, ratum et gratum habentes, id autoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est : In nomine Domini, Amen. Quanto dilecti filii Fratres Cartusiensis Ordinis.... » Et cætera, ut supra. Deinde sequitur formula consueta : « Nulli ergo hominum, etc. Datum Neapoli, IV Calendas Maii, Pontificatus nostri anno primo. »

ANNUS 1255

IX. Deinde undecima Maii ad petitionem Prioris et Monachorum Cartusiæ, Viennensi et Gratianopolitano Præsulibus mandavit ut præfati Cardinalis ordinationem observari curarent. Extat ejus bulla, quæ sic habet :

EJUS EXECUTIONEM COMMENDAT ARCHIEPISC. VIENNEN. ET EPISC. GRATIANOP.

« Alexander, etc. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Viennensi, Episcopo Gratianopolitano salutem, etc... » Deinde postquam totius rei seriem descripsit eisdem prorsus verbis ac in præfata ac Patres nostros epistola, statim subjungit : « Nos itaque dictorum Prioris et Fratrum Cartusiæ precibus inclinati, quod super hoc ab eodem Cardinali factum est ratum et firmum habentes, id per litteras nostras duximus confirmandum. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi ordinationem super præmissis ab eodem Cardinali ultimo factam et a nobis etiam confirmatam, faciatis autoritate nostra inviolabiliter observari; nonobstante priori ordinatione Cardinalis ejusdem, de qua mentio superius facta est, vel aliqua confirmatione Sedis Apostolicæ super ea postmodum subsecuta, aut quibuscumque litteris super his ab eadem Sede obtentis, vel si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint per litteras Apostolicas, nisi de Indulto hujusmodi plena et expressa seu de verbo ad verbum in eis mentio habeatur, contradictores per censuram eclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod

ANNUS 1255

si non ambo his exequendis potueritis inesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Neapoli, quinto Idus Maii, Pontificatus nostri anno primo. »

NOSTROS HORTATUR AD PACEM CONSERVANDAM.

X. Die vero tertia decima ejusdem mensis, proprio suo motu, sive etiam (ut verisimile est) ejusdem Prioris Cartusiæ efflagitatu, ad omnes Ordinis personas Capitulum generale componentes aliam scripsit bullam, qua paterne ipsos objurgat de motis altercationibus, hortaturque verbis amore et urbanitate prorsus refertis, ad pacem conservandam tam feliciter restitutam. Estque talis bulla :

« Alexander, etc. Dilectis filiis Priori Cartusiæ, et universis Prioribus ac Fratribus Cartusiensis Ordinis in generali Capitulo constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Amictus lumine sicut vestimento, Dei filius Dominus Jesus Christus suam sacrosanctam Ecclesiam quasi tot videtur illustrasse luminibus, quot in ea constituit gradus et ordines virtutum insigniis et cultus divini studio refulgentes. Inter personas siquidem alias quas in laudem sui nominis virtus Altissimi ab antiquis temporibus usque nunc assumpsisse dignoscitur, illi videntur quasi esse præcipui qui vestri sanctitatem Ordinis sunt professi. Vigiles enim et solliciti ad hoc ipsi studuerunt assidue inveniri, quod et Sponsus cœlestis in eorum conscientiis haberet lectum floridum, et christiana Religio de ipsorum conversatione angelica sumeret sanctitatis exemplum, Sede Apostolica de hoc multitudinem spiritualis lætitiæ sæpe sæpius consequente; ita quod ipsa in eis tamquam in odore agri pleni cui benedixit Dominus, sine intermissione delectans, eos inter alios Ecclesiæ filios, præcipue dilectionis amplexibus et gratiosi favoris affluentia confovebat. Multis nihilominus de universitate fidelium ad hoc vacantibus, quod circa Religionem tam famosam et celebrem sincerrimæ dilectionis effunderent largitatem. Ecce, carissimi nobis in Domino, manifeste per ista conjicitur, quod Ordo vester Deo et hominibus olim carissimus habeatur.

Antiquos Patres laudat.

Ordinem commendat.

Queritur de turbis a Dæmone excitatis.

« Digne itaque de corde nostro profunda emitti suspiria, et ab oculis vestris debent irrigua profluere lacrymarum, quod

apostata ille Angelus qui concitavit in cœlo turbinem et suam atque suorum sequacium pro superbiæ vitio perdidit claritatem, vos quondam electa vasa Domini et lucis filios molitus est reddere tenebrosos, suscitando inter vos altercationis et rixæ materiam, ut transiret in nubilum quidquid vobis et per merita mansuetudinis seu pacis et concordiæ acquisitum. Absit, absit a vobis, viri honorabiles, viri virtutum aromata redolentes, quod tale Ordini vestro gaudeat intulisse naufragium Spiritus infernalium procellarum. Absit quod vos cœlestis Agni ministros, mites et humiles, Satan suos fecisse per discordiam æstimet servitores. Absit ut vos, quos olim pro quibusdam columbis Ecclesia Dei habuit, mundus in corvos per interventum fraudis diabolicæ reputet transivisse. Festinanter igitur humilitas vestra contrito corde confugiat ad Patris æterni clementiam, ut dato fine ortis de novo in Ordine vestro dissidiis, vos absque dilatione resumat in statum pristinæ unitatis. Maxime cum vos olim ad hoc fueritis ferventes et seduli quod haberetis pacem omnium, et quod hostes etiam decus et formam resumerent amicorum. Studuit præterea vestra circumspecta sinceritas declinare penitus jurgiorum stimulos et causarum strepitus, ut Spiritus ille Paracletus, qui cum simplicibus sermocinatur et permanet, in vestris cordibus per gratiam habitaret. Ut autem quod pie et salubriter in hac parte intendimus intelligere, clarius et efficacius perficere valeatis, ad vestram proferimus præsentium tenore notitiam, quod inimica Deo et amarissima nobis illa discordia quæ novissime diebus istis vestram obumbrasse cernitur charitatem, per dilectum filium nostrum Joannem tituli sancti Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, quem super hoc auditorem dedimus, divina cooperante gratia laudabiliter est sopita.

Pia et benevola adhortatio.

Universitatem vestram itaque per Dei misericordiam obsecramus, in remissionem vobis peccaminum injungentes ac per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus pensato prudenter quod sicut Dei vocantur filii qui pacem faciunt, ita procul dubio Satanæ sunt filii

ANNUS 1255

qui eam confundunt, omni virtute qua poteritis a vobis infamiam schismatis seu scandali repellatis : loquentes vobismetipsis juxta morem in psalmorum et hymnorum frequentatione dulcissima, ut per laudis sacrificium mereri possitis præmia Beatorum, sitque de vobis fama celebris quod innocentis vitæ studio cum omni diligentia desudatis; Sede Apostolica ex hoc habitura materiam, quod vos in Domo Domini olivam esse fructiferam arbitretur, illumque vobis cultum internæ benignitatis adhibeat per quem vestra Religio honoris et honestatis fructuum ubertate concrescat. Nosque nihilominus, qui ubique vigere pacem et pia seu religiosa loca in diebus nostris esse conspicua sanctitate cupimus, vos semper reputemus amabiles et habeamus in filios speciales, nullaque de cætero nostris et fratrum nostrorum auribus causa intonet, qua prætextu divisionis aut schismatis, vos nobis (quod absit) reddere possit odibiles, tamquam oves in devio positas et a Pastoris æterni pascuis alienas. Datum Neapoli, III Idus Maii, Pontificatus nostri anno primo. »

TOTUM ORDINEM EXIMIT A PRÆSTATIONE SUBSIDIORUM.

XI. Hactenus Alexandri Papæ codicilli pro causis Ordinis nostri, et maxime pro ordinatione Capituli generalis. Cui quidem negotio sic prospere absoluto, extremam sequenti anno manum, ut tunc videbimus, apponet. Porro idem Pontifex benevolentiæ suæ initium in Ordinem nostrum stillans, eodem tempore cartusias omnes exemerat a præstatione quorumcumque subsidiorum, ut ex sequenti ejus bulla apparet :

« Alexander, etc. Dilectis filiis Cartusiæ ac universis Prioribus et Fratribus Cartusiensis Ordinis salutem et Apostolicam benedictionem. Religionis vestræ meretur honestas, ut vos speciali diligentes in Domino charitate, prosequamur gratia Sedis Apostolicæ ac favore. Sane tenuitatem vestrorum redituum et proventuum sollicite attendentes, ac per hoc volentes alicujus relevationis solatio vos gaudere, autoritate vobis præsentium indulgemus ut ad præstationem aliquarum collectarum, subsidiorum et aliarum exactionum imponendorum vobis et Domibus vestris a Sede Apostolica seu Legatis ejusdem aut ipsorum autoritate et mandato non teneamini, per

litteras ipsius Sedis seu Legatorum ejus qui plenam et expressam de indulgentia hujusmodi et Ordine vestro non fecerint mentionem; etiamsi contineatur in eisdem litteris quod id quod mandatur per eas fiat aliqua indulgentia nonobstante. Datum Neapoli, XV Calendas Maii, Pontificatus nostri anno primo. »

ANNUS 1255

Sunt et duæ aliæ bullæ eodem ferme tempore concessæ circa sacramentalem absolutionem et dispensationes, de quibus mentio fit in secunda parte Novæ Collectionis Statutorum nostrorum ad quam lector recurrat. Has etiam bullas habes inter Summorum Pontificum privilegia, quæ ad Statutorum Antiquorum calcem extant.

FUNDATUR DOMUS VALLIS JOCOSÆ IN FREIDNIZ.

XII. Hoc anno vel circiter fundatur Domus Vallis Jocosæ in provincia Carniolæ, a metropoli hujus ditionis, Labaco videlicet urbe episcopali quatuor distans milliaribus; inter oppidula Oberlaubach sive Superius-Labacum, et Igg, quod Æmoniam vocat Ferrarius; ab utroque duobus circiter milliaribus æqualiter dissita; in loco *Freidniz*, qui et *Wronicz*, *Wraniz* ac *Franicz* dicitur. Ejus fundatorem omnes agnoscunt Ulricum hujus nominis tertium, Carinthiæ ducem ac dominum Carniolæ, ex linea Ortemburgensi. Hic revera anno 1257 novellam hanc plantationem Apostolica protectione firmari curavit, quam tribus post annis reditibus etiam annuis instruxit. Verum primi fundatoris gloriam patri suo merito deberi ipsemet fatetur suis in dotalibus litteris anno 1260 sub hoc tenore conscriptis :

Ulricus Dux Carinthiæ fundator.

« Ulricus Dei gratia et miseratione divina dux Carinthiæ ac dominus Carniolæ, Prioribus Vallis jucundæ in Wroniz et Conventui institutis et instituendis in perpetuum, salutem in vero Salutari. Quæ ad honorem Dei inspiratione divina et devotione fidelium concipiuntur, ut ipso opitulante exitum habeant salutarem et ne fragili memoria hominum per continuam revolutionem temporum valeant inducere oblivionem, et mentes successorum super his quæ gesta sunt enervando, scripturæ, quæ arca est memoriæ, sunt dilucide mancipanda. Verum quia status præsentis vitæ in omnibus quæ amatores

ANNUS 1255

mundi delectant, florem quemdam prætendit in apparentia, marcessibilem tamen, secundum illud : Mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat ; elegimus mundum fallentem . . . ut sicut a Conditore nostro præstantius sumus divitiis nostris, honoribus et dignitate sublimati, sic mammona nobis et primogenitoribus nostris volumus facere amicos, sed et defensores, sed et advocatos, sed et receptores : videlicet gloriosam et intemeratam Virginem Dei Genitricem Mariam ac præcursorem Domini Joannem Baptistam qui, clausus in utero matris, ipsum Christum cum gaudii tripudio prophetavit.

Psal. 89. 6.

« Hinc est quod annotatione præsentis paginæ, tam modernorum quam posterorum notitiæ declaramus, quod nos longe ante conceptum desiderium domini et patris nostri et voluntatem complentes ac propriæ salutis intuitu, novellam plantationem Ordinis Cartusiensis fundamus, accedente consensu uxoris nostræ Agnetis, in loco qui Wroniz dicitur, juxta originem fontis et aquæ quæ *Veustricz* vulgariter appellatur. Nullum nobis jus advocatiæ in ea fundatione nec nostris successoribus reservantes : quod plerumque, sicut experimento didicimus, consuevit succedentibus pro medicina salutis toxicum ministrare; sed solum propter Domini defensionem sine omni emolumento, si nos vel hæredes nostros ad hoc elegerint omni consilio et voluntate : alias liberum sit eis, uno injuriante, alium Deum timentem eligere protectorem. Volumus etiam quod nullus judex noster vel successorum nostrorum aliquis habeat potestatem judicandi colonos eorum vel familiam, nec aliquas quacumque occasione facere exactiones; statuimus insuper ut in omni districtu nostro et dominio, nec de proventibus transferendis, armentis vel pecoribus, nec de emptis vel vendendis vel alio quocumque modo ad se pertinentibus, nomine mutæ vel taliæ vel alterius violentiæ, sustineant vexationem. Sane ne hujus plantationis utpote novellæ teneritudinem pruina excoquat egestatis, damus eis novem mansos cum montibus et planis, vallibus et nemoribus extirpatis et extirpandis, irriguis et aridis, introi-

Conceptum a patre desiderium implet.

Reditus assignat.

tibus et exitibus, pascuis et piscationibus, venationibus et omnibus attinentiis ac omni usu et libertatis jure, quo ea majores nostri in nos jure hæreditario transtulerunt. Limitamus eis siquidem terminos immunitatis secundum consuetudinem Ordinis eorum... Volumus etiam inviolabiliter observari ut nullus qui ad prædictos immunitatis terminos causa securitatis confugerit, ab aliquo hominum lædatur. Si quis hujus statuti transgressor fuerit : si plebeius est, solvat viginti solidos; si solvendo non est, plagis vapulabit coram judice secundum mensuram culpæ; si militaris, judex eum in quinque marcis mulctare jubebit. ANNUS 1255

« Addimus itaque prælibatis omnibus undecim mansos, etc. Insuper dotamus ipsum cœnobium cum mansis qui quondam domini Wirandi vicedomini de Stain fuerunt, omnibus hæredibus suis annuentibus una pariter voluntate. Hæredes vero qui dictos mansos præfato cœnobio resignarunt, hi sunt : Gebhardus de Lilienberg, Berchtoldus de Rapensberg, Walterus Ungarus de Stain et frater suus Witigo. Item Geroldus de Stain et fratres sui Waltherus et Ortalphus. Item Henricus de Osterberch... Ne quis igitur huic salubri ordinationi nostræ, sinistra machinatione, ausu temerario valeat contraire, præsens scriptum sigilli nostri jussimus munimine roborari, ipsum testium dilucidorum adminiculo fulcientes. Quorum nomina hæc sunt : Dietrius venerabilis Gurcensis episcopus, Burchardus Prior Vallis sancti Joannis, G. Prior de Girione, Frater Heinricus et Frater Witego Prædicatores, Heinricus domini Ducis capellanus, Ulricus comes de Hevenberch, Heinricus de Scherfenberg et Luipoldus frater ejus, Fridericus de Falchenberg, Ortolphus de Meingezburch, Willelmus de Munkendorff, Marquardus de Stain, Henricus de Helffenberg, Henricus de Rosenberg et plures alii. Acta sunt hæc anno Domini MCCLX, Kalendis Novembris tertiæ Indictionis. » *Dotem auget.*

Hactenus litteræ Ulrici qui ut monuimus declarat se tantummodo complevisse longe ante conceptum domini et patris sui desiderium, sed ejus non designat nomen quod fuisse Bernardum discimus ex Henninge et Rittershusio, qui præ-

ANNUS 1255

terea eum dicunt a fratre Ulrico II, lepræ contagione affecto, ducatum obtinuisse et obiisse anno 1256. Porro Ulricus filius ejus, præter facultates in ejus litteris superius expressas, multa alia beneficia contulit, nostrisque Seizensibus monachis suam liberalitatem satis profuse erogavit. Mortuus dicitur sine liberis circa annum 1269, die 26 Octobris.

BENEFACTORES.
Ex ms. Domus.

XIII. Præcipui benefactores sunt hi : Albertus comes Goritiæ et Tyrolis anno 1186. Meinhardus dux Carinthiæ, qui videtur Ulrico fundatori successisse, hanc Domum ab omni telonio liberavit anno 1288; hujus Meinhardi filius et hæres, dictus Henricus, fundavit cartusiam Snalzensem. Ulricus a Greiffenberg circa annum 1290. Garnerus de Zigliaco circa annum 1306. Conradus ex monacho Ordinis Cisterciensis episcopus Sodorensis, vicarius Antonii Aquileiensis patriarchæ, anno 1402. Martinus episcopus Petinensis, anno 1452. Sigismundus episcopus Labacensis, anno 1483.

Ex ch. Cap. gen.

Quidam alii præterea benefactores hujus Domus reperiuntur in nostris Chartis, quorum hæc sunt nomina : Alesius Olomacensis, canonicus Ecclesiarum Colocensis et Wratislaviensis; qui etiam dicitur benefactor cartusiæ Brunensis in Charta anni 1498, ubi et alter denuntiatur, dictus Martinus Coprinetz qui habuit anniversarium perpetuum per totum Ordinem sub die obitus sui qui fuit 3 Martii. Wenceslaus plebanus et vicarius in Labaco habuit simile beneficium sub die 12 Decemb. per Chartam anni 1501. Nobilis dominus de Eclz, magnus benefactor dicitur in Charta anni 1507; et in Charta 1674 legitur illustrissimus et excellentissimus Wolfgangus Engelbertus ab Aversperg, Sacri Romani Imperii comes, intimus consiliarius Cesareæ Majestatis ac supremus Gubernator provinciæ Carniolæ, singularis ejusdem cartusiæ benefactor.

Anno 1382 hæc Domus tota flammis absumpta fuit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1256.

Alexandri PP. IV Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 173.	Bernardi I Pr. Cart. Ann. 6.

I. ANNUS sequitur a salute mundi ducentesimus quinquagesimus sextus supra millesimum, Indictione decima quarta, quo Petrus Prior Marnanti quem vidimus ante annos octo societatem spiritualem cum Nostris iniisse, Majorem Cartusiam adiit ibique ad conciliandam pacem inter utrumque Ordinem ab aliquot annis turbatam, novas litteras, quibus eadem renovabatur societas, obtulit in hunc modum : « Nos P. humilis Prior Marnanti et totus Conventus ejusdem loci, universis præsentibus certam inspecturis rei gestæ notitiam cum salute. Ad notitiam tam præsentium quam futurorum volumus devenire, quod cum Ordo Cartusiensis et Ordo noster de Marnanto, ex antiquo et quasi ex prima utriusque Ordinis fundatione, mutua se invicem charitate dilexerint, et consiliis et beneficiis tam spiritualibus quam corporalibus benigne et devote se se alterutrum adjuverint : sed nunc aliquantulum, quibusdam causis intervenientibus, prænominata dilectio subobscurum colorem contraxerit et detrimentum pati aliquantulum visa fuerit. Nos P. Prior Marnanti et quidam Fratres Domus nostræ ad generale Capitulum Cartusiæ accedentes, supplicavimus toti generali Capitulo, ut tam Domum nostram de Marnanto quam totum Ordinem nostrum, ad pristinum amorem et fraternam charitatem reintegrarent, et sicut antecessores nostri et sui mutuo se invicem dilexerant, ita ipsi nos et nos SOCIETAS CUM ORDINE MARNANTIUM RENOVATUR.

ANNUS 1256

ipsos, et successores eorum successores nostros, vera et perpetua charitate diligerent et confoverent. Insuper ut firmius maneret vinculum dilectionis et utrosque firmius constringeret, supplicavimus ut aliquod beneficium spirituale tam pro vivis quam pro mortuis nostris, singulis annis, facerent; quod et nosipsi pro suis facere promisimus.

Quid nos pro fratribus de Marnanti persolvere debeamus.

« Petitioni nostræ igitur dictum Capitulum generale et Fratres Cartusiæ grato animo unanimiter annuentes, ad pristinum amorem et fraternam caritatem tam nos quam successores nostros in perpetuum receperunt; et de beneficio spirituali quod petebamus singulis annis in perpetuum faciendo, pro se et successoribus suis sic ordinaverunt, in omnibus spiritualibus beneficiis quæ fiunt vel fient de cætero in Domo Cartusiæ vel in aliis Domibus ejusdem Ordinis : videlicet Matutinis, Missis, Agendis, psalmodiis, orationibus, et aliis bonis quæ ad honorem Dei et pro adjutorio mortuorum et vivorum fiunt, nos fecerunt participes et consortes. Insuper concesserunt nobis ut a quolibet Monacho totius Ordinis Cartusien. plena Agenda pro mortuis nostris singulis annis exolvatur, et una Missa in qualibet Domo sicuti fit pro uno Monacho vel Converso Ordinis sui. Conversi etiam exolvant triginta vicibus cum *veniis* Dominicam orationem. Dederunt etiam nobis associationem in Officio quod fit per totum Ordinem Cartus. pro vivis et mortuis post celebrationem Capituli generalis. De quo videlicet Officio singuli sacerdotes cantant unam Missam, et illi qui non celebrant, unum psalterium, et singuli Conversi 330 *Pater noster*.

Quid vero illi pro nobis.

« Ad hæc nos dicti Prior et Conventus Marnanti, de communi consilio et voluntate totius nostri Capituli generalis, pro nobis et successoribus nostris in perpetuum, in omnibus spiritualibus beneficiis quæ fiunt vel fient de cætero in Ordine de Marnanto tam in capite quam in membris, et aliis bonis quæ ad honorem Dei et pro adjutorio vivorum et mortuorum fiunt, ipsos et successores eorum, benefactores etiam et coadjutores ac familiares Ordinis eorum, fecimus participes et consortes. Concessimus etiam quod apud nos singulis annis,

die lunæ post Dominicam qua cantatur Officium *Cantate Domino,* quando scilicet generale Capitulum Cartusiæ incipit celebrari, Missa de Sancto Spiritu celebretur in Conventu, quatenus sensus eorum et voluntates Deus omnipotens in his quæ sibi beneplacita sunt corroboret et confirmet. Adjicientes etiam quod pro singulis Brevibus totius Ordinis defunctorum, singulæ Missæ cum singulis Agendis et 30 orationibus Dominicis apud nos postquam dictos Breves receperimus exolvantur. Quæ Missæ cum dictis Agendis dividentur per Canonicos celebrandæ; sed et orationes supradictæ per Fratres laicos exolvendæ communiter dividentur. Præterea in qualibet Domo Ordinis de Marnanto singulis annis, semel in anno, videlicet 3 Kalend. Septembris, fiat solemne Officium tam in Agenda quam in Missa in Conventu pro defunctis eorum, et pro vivis et mortuis dicetur in eadem Missa oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum.* Ut autem hæc prædicta firma et illibata in perpetuum permaneant, sigillo Conventus nostri, quod est sigillum communis Capituli, præsentem chartam fecimus roborari. Actum anno Domini 1256. »

ANNUS 1256

II. Eodem sedente Capitulo generali, Guillelmus Prior cartusiæ Parci exponens Patribus quanta sua Domus beneficia tum spiritualia tum temporalia a monachis abbatiæ Ebroniensis Ordinis S. Benedicti, diœcesis Cœnomanensis, accepisset, litteras obtinuit, quibus in qualemcumque acceptorum beneficiorum gratiam, communicatio omnium bonorum spiritualium Ordinis Abbati totique Conventui conceditur in hæc verba:

PARTICIPATIO SPIRITUALIUM BONORUM CONCEDITUR ABBATIÆ EBRONIENSI.

« Venerabili in Christo Patri Abbati de Ebronio, Bernardus dictus Prior Cartusiæ cæterique Priores et Fratres in generali Capitulo congregati, salutem in Christo. Quoniam relatione carissimi fratris nostri Prioris de Parco didicimus quod vos cum magna devotione orationes nostras requiritis, nos ipsam devotionem plurimum acceptantes, participationem omnium bonorum spiritualium quæ fiunt vel fient de cætero in Ordine nostro vobis concedimus, Deum humiliter exorantes ut per hæc et alia quæ feceritis ad vitam æternam pervenire valeatis. Datum anno MCCLVI. »

ANNUS
1256

Vide ann. 1242 et 1244.

SUMMUS PONTIFEX CONFIRMAT SENTENTIAM ARBITRORUM SUPER FORMAM CAP. GEN. LATAM.

Hic Abbas Ebronii etsi non nominetur videtur esse Hernaudus, sive Ernaudus, de cujus beneficiis diximus alibi.

III. In eisdem Comitiis, lecta sententia ab arbitris anno præterito circa Diffinitorum electiones et totius Capituli celebrationem lata, cuncta ordinata sunt juxta ejus decisiones. Deinde datur in mandatis Priori Cartusiæ ut eam quantocyus a Summo Pontifice confirmari satageret, quod et fecit acceptis ab eo sequentibus litteris :

« Alexander, etc. Dilectis filiis Fratri Bernardo Priori et Conventui Cartusiæ salutem et Apostolicam benedictionem. Ea quæ judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere; et ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, convenit Apostolico præsidio communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum inter vos et Guigonem del Groyn monachum vestrum et adhærentes vobis ex parte una ; et dilectum filium Henricum Portarum et Rifferium Vallis Sanctæ Mariæ Domorum Cartusien. Ordinis Priores et procuratores universitatis Priorum ejusdem Ordinis qui apud Cartusiam in generali Capitulo celebrato inibi congregati fuerant et eis adhærentes ex altera : super modo celebrandi generale Capitulum, nec non et modo diffiniendi ibidem quæ diffinienda noscuntur, ac etiam super diversis quibusdam aliis articulis, orta fuisset materia quæstionis. Tandem mediantibus venerabili fratre nostro Joanne Viennensi archiepiscopo, ac dilecto filio Philippo Lugduni electo, et Fratribus Humberto Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac Petro Rochelins de Tarentasia et Radulpho de Varey prædicti Ordinis Prædicatorum fratribus in quos fuit hinc inde concorditer compromissum, amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius continetur; quam compositionem Apostolico petivistis munimine roborari. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, compositionem ipsam, sicut sine pravitate facta est provide et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, autoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Anagniæ,

sexto Idus Octobris, Pontificatus nostri anno secundo. »

ANNUS 1256

IV. Hoc anno sanctus Ludovicus rex Franciæ cartusiam Montis Dei in suæ præsidium tutelæ accepit dato sequenti diplomate, in quo suam quoque erga totum Ordinem benevolentiam sic exponit :

S. LUDOVICUS REX MONTEM DEI TUETUR.

« Ludovicus Dei gratia Francorum rex, Ballivo Viromandensi salutem. Cum ad Ordinem Cartusien., sanctitate religionis et fervore charitatis præcipue comprobatum, sinceræ dilectionis ac specialis devotionis habeamus affectum; volentes ut tam ipsi quam eorum bona quæcumque in nostra consistentia potestate salva maneant et secura, sicque liberius valeant Domino famulari : mandamus vobis quatenus ipsos et Domum ipsorum quæ Mons Dei dicitur ac bona ipsorum quæcumque in ballivia vestra consistant, servare et manutenere curetis; nullam eis in personis aut bonis permittentes a quibuscumque molestiam vel gravamen inferri indebite vel injuste. Actum Parisiis anno Domini 1256, mense Octobr. »

AMBLARUS EPISC. DINIEN. FIT CARTUSIEN.

V. Eodem anno Amblarus episcopus Diniensis in Provincia, abdicata dignitate pontificia, summa cum humilitate Cartusiense Institutum amplectitur in Excubiarum Domo, uti Petrus Gassendus in *Diniensium Episcoporum Catalogo* refert; qui præterea eidem cartusiæ Excubiensi ac nonnullis aliis, utpote Durbonensi et parthenoni Pratibajonensi, plurimum eum benefecisse commemorat. In præfata igitur eremo sanctus Antistes, jejuniis, rerum cœlestium contemplationi ac cæteris quæ virum sanctum decent exercitiis intentus, residuum vitæ admodum religiose transegit. Spiritu etiam prophetiæ afflatus futura prænuntiavit, nominatim vero Bernardi Cartusiæ Prioris prædixit obitum. Obiit et ipse 13 Calendas Octobris ut legitur in Calendario Diniensi, sed incerto anno. Ejus vitam elucubraverat Laicardus Ordinis nostri professus, et Vallis Sanctæ Mariæ Prior; sed ejus codex injuria temporum periit.

Sammarth. in Ep. Dinien.

LUDOVICUS DUX BAVARIÆ UXOREM IRA PRÆCIPITI OCCIDIT.

VI. Sub initium ejusdem anni, detestandum prorsus nefas in uxorem suam perpetravit dux Bavariæ Ludovicus : cujus occasione ostendit Alexander Papa, quantum sibi cordi esset

ANNUS 1256

familiæ Cartusiensis propagatio. Res sic accidit. Maria Brabantina, præfati Ducis uxor, binas litteras uno quidem annulo, diversa tamen cera, atra et rubra, obsignatas : illas marito tunc cum exercitu apud Rhenum occupato, alteras Ruchoni decurioni equestri, secreta quæpiam continentes mittit. Tabellarius errore seductus, rubra cera complicatas Ludovico tradit. His lectis litteris, amatoria agi suspicatus, confestim paucis comitatus, dissimulata re, relicto apud Rhenum exercitu, nemine salutato, quam maximis potest itineribus in Suewiam ad uxorem Werdeæ in arce tunc demorantem diu noctuque contendit; subito ac insperate adest. Mox iracundia percitus, nec sororis suæ Elisabeth Siciliæ reginæ, quæ tunc aderat, prece nec lacrymis motus, absque cunctatione conjugem indicta causa adulterii condemnat, securi percuti jubet. Postea veluti conscias, Helicam virginem Prennebergensem cultello confodit, fœminam etiam admodum nobilem, cujus nomen non traditur, de turri præcipitari imperat; proditorem qui isthæc ad se detulit, primum ferro necavit. Rucho ubi hæc accepit, finibus excessit, ubique suam et Mariæ cæsæ innocentiam, lacrymis, verbis et tabulis contestatus, ita causam omnibus probavit, ut ipse Dux posteaquam ira mente decesserat, magnitudinem facinoris sera æstimatione perspiceret, sanguineque uxoris cruentus vehementer erubesceret.

Aventinus apud Bavariam sanctam Matthæi Raderi.

In facinoris piaculum jubetur Cartusiam ædificare.

Ergo funere ad S. Crucis Werdeæ condito, Dux Romam, ut ægro animo medicinam quæreret profectus, facinus apud Summum Pontificem edidit; delicti veniam exoravit. Ad parricidium expiandum jussus est monasterium Cartusiense construere; sed quia Nostri in his regionibus nulli erant noti, Cisterciensibus amplum et nobile cœnobium condidit. Id paucis narrat Hundius in sua *Metropoli* agens de Abbatia Ordinis Cisterciensis, dicta Furstenfeld. « Hoc monasterium, inquit, fundavit Ludovicus, Bavariæ dux, pater Ludovici Imperatoris, et hoc propter cædem primæ suæ conjugis Mariæ Brabantinæ, quam ob falsam adulterii suspicionem Werdeæ ad Danubium, præcoci ira percitus, anno 1256 decollari fecerat, ubi etiam sepulta est in monasterio S. Crucis. Impositum illi

fuit per Alexandrum Pontificem, ut pro pœnitentia in sua provincia et de propriis suis reditibus monasterium pro duodecim Cartusianis institueret. Cum autem nullum tale monasterium in Bavaria esset, promisit simile pro Fratribus Ordinis S. Bernardi seu Cisterciensibus, in loco qui *Furstenveld* dicitur ædificare. Quod illi a Clemente Pontifice permissum est. » Hæc Hundius. ANNUS 1256

JESU CHRISTI

ANNUS 1257.

Alexandri PP. IV	Ordin. Cartus.	Rifferii Pr. Cartus.
Ann. 3.	Ann. 174.	Ann. 1.

SUMMUS PONTIFEX QUATUOR BULLAS CONCEDIT ORDINI.

I. REDEMPTORIS adest annus millesimus ducentesimus quinquagesimus septimus, Indictione decima quinta, quo Alexander Papa Ordinem nostrum pro ineuntis hujus anni xeniis, quatuor bullarum concessione voluit honestare. Prima Laterani data est, sexta decima Januarii, qua concedit ut Priores per nos electi juxta formam Ordinis, postquam electioni consenserint, plenam animarum curam in suos subditos possint exercere. Altera Laterani quoque scripta, 8 Februarii, prohibet ne Domus Ordinis visitari possint aut corrigi, nisi per Priores ad id ab Ordine deputandos. Hujus immunitatis hanc Pontifex ipse rationem affert, quod videlicet Ordo noster omnem maculam deformitatis excludens, nunquam officio alienæ Visitationis vel correctionis indiguerit. Sed præstat bullam integram subjicere.

« Alexander, etc. Dilectis filiis Cartusiæ et cæteris Prioribus et Fratribus Cartusien. Ordin. salutem et Apostolicam benedictionem. Thesauro virtutum sic præclara vestra Religio suum semper astrinxit affectum, quod habetur et in conspectu Regis æterni placita, et in oculis hominum gratiosa. Ipsa quidem ut columba mitis et humilis et electa Domini specialis, pulchra per totum aspicitur, omnem a se rugam deformitatis excludens : vigilantibus illis qui paternæ sollicitudinis in ea gerunt officium, quod ibidem nullæ possint

vitiorum spinæ succrescere, sed ipsa florum honoris et fructuum honestatis immarcessibili polleat ubertate. ANNUS 1257

« Propter hunc etenim sanctæ operationis effectum, nunquam Ordo vester officio alienæ Visitationis vel correctionis indiguit, sed de ipso aliquibus aliis reformationis beneficium ex providentia Sedis Apostolicæ jam provenit. Cum itaque nos qui ex hujusmodi virtuosis actibus spiritu in Domino exultamus, claris agnoscamus indiciis dictum Ordinem esse aliis rectæ vitæ speculum et salutiferæ conversationis exemplum; quod ipse sicut olim, sic et in posterum ab illis duntaxat Prioribus et Fratribus idoneis quos vos, filii Priores, ad hoc duxeritis deputandos, et a nullo alio visitari possit aut corrigi, autoritate præsentium duximus statuendum. Eadem autoritate nihilominus decernentes, ut si aliquid contra statutum hujusmodi a quoquam propria extiterit temeritate præsumptum, sit irritum et inane. Et si forte aliquæ sententiæ in vos occasione hujusmodi prolatæ fuerint, nullum robur obtineant firmitatis, mandato Sedis Apostolicæ semper salvo. Datum Lateran., sexto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno tertio. »

Ordo nunquam indiguit aliena visitatione.

Non debet visitari nisi per Priores Ordinis.

Tertiam bullam iisdem die et anno dari jussit Alexander, qua antecessorum erga nos imitatus liberalitatem, declarat quod omnes Domus Ordinis ad solutionem non teneantur quarumcumque collectarum, subsidiorum aut aliarum exactionum Sedi Apostolicæ debitarum :

II. Quartam denique tribus aliis adjecit bullam, qua nobis largitur mercenariorum nostrorum confessiones audiendi, pœnitentias eisdem injungendi, ac ecclesiastica ministrandi sacramenta potestatem. Estque sequentis tenoris :

MERCENARIORUM CONFESSIONES NOBIS LICET AUDIRE.

« Alexander episcopus, etc. Dilectis filiis Priori Cartusiæ et cæteris Prioribus Cartusien. Ordinis salutem et Apostolicam benedictionem. Animarum salutem plenis desideriis affectantes, vobis autoritate præsentium indulgemus ut vos et Fratres Ordinis vestri presbyteri, quibus id duxeritis committendum, mercenariorum vestrorum qui vobis domestice famulantur, possitis confessiones audire, pœnitentiam illis

ANNUS 1257

salutarem injungere, ac exhibere etiam ecclesiastica sacramenta sine juris præjudicio alieni. Datum Laterani, sexto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno III. »

Exteros audire prohibetur.

Juxta praxim antiquorum monachorum et sacrorum Canonum præcepta, nobis semper a Patribus Ordinis prohibitum fuit ne confessiones exterorum audiamus. « Confessiones eorum, inquit Rifferius, qui nobis commissi non sunt, quantum possumus, vitare debemus. » Imo admonet esse in nostra optione recipere vel non recipere eos, qui etiam de mandato Episcoporum vel sacerdotum suorum, ad nos venerint petendæ pœnitentiæ gratia. Vultque « ut demus confitentibus consilium secundum quantitatem et qualitatem culparum, persuadendo eis ut nihilominus eant ad sacerdotem suum vel etiam ad Episcopum si videbitur expedire. » Ita certe a S. Bernardo, in conscientiarum directione quantumvis perspicaci, aliquando observatum est : hominem namque, qui pœnitentiam subiturus jussu sui Episcopi ad eum venerat, ad Episcopum remisit curandum, dicens morbidæ ovi a proprio pastore providendum. Et revera si cum beato Abbate nostræ parvitatis et officii mensuram attendimus, nos ultra nos non extendemus, nec dare pœnitentiam maxime in criminalibus ulli hominum præsumemus. Quamobrem rursum per quamdam Chartam Capituli generalis « notificatur omnibus Prioribus et Monachis Ordinis, quod confessiones audire non possunt sine licentia Superiorum ipsorum confitentium, consulentes quod servent antiquum statutum *de Confessione* in fine. » Illud videlicet superius a nobis laudatum.

Stat. Ant. p. 2. c. 11. nu. 14 et 15.

S. Ber. ep. 61.

Ex ch. 1422.

Quod vero mercenarios spectat, nec etiam eorum confessiones ante concessam ab Alexandro præscriptam bullam excipere poteramus. Id enim sub Jancelini regimine circa an. 1225 per Capitulum generale cautum fuerat, nempe « ut mercenarii ad parochias suas eant et pro confessione et pro communione. » Sed neque Alexandri privilegio Patres nostri statim usi sunt (siquidem Rifferius qui post illius concessionem, Statuta sua condidit, allatum Capituli generalis decretum in eis de verbo ad verbum transcri-

Ex codice major. Cart.

Stat. Ant. p. 2. c. 19. n. 18.

psit); et per Chartam capitularem admonent Patres « ut familiæ communicandæ mittantur ad parochias suas, nisi de quorum conscientiis Priores bene præsumerent. » Nihilominus cum idem privilegium Nostri penitus discussissent diu post, « declaramus, inquiunt, quod secundum Privilegia nostra, et secundum Decretalem positam titulo de *Privilegiis,* in septimo Libro, in fine Decretalis, possumus ministrare ecclesiastica sacramenta famulis nostris domesticis; » et revera, in scripta bulla Alexander distincte loquitur de mercenariis qui nobis domestice famulantur. Porro locus Decretalis in Charta citatus sic restitui posse videtur : « Libro quinto, titulo septimo *de Privilegiis,* in sexto, cap. II *si Papa in aliquo.* » Hanc vero potestatem postea extendit Urbanus quintus ut suo loco videbimus. De mulierum confessionibus alibi disseremus.

Ex ch. 1282.

Ex ch. 1321.

V. an. 1363.

III. Circa hoc tempus Bernardus Prior Cartusiæ, annis fractum se sentiens, prioratus sarcinam deposuit. Molinus et alii scribunt eum in regimine obiisse; sed variis ex Calendariis constat, quod in solitudine mortuus sit 17 Calendas Aprilis incerti anni. Quidam volunt ipsum a prioratu recessisse anno 1255, sed ex his quæ diximus anno præcedenti liquet eum adhuc in Octobri sedisse. Alii denique ejus regimen producunt ad finem anni 1258, sed ex inferius dicendis patebit ejus successorem hoc præsenti anno, mense Augusto, jam præfuisse. Porro Molinus scribit magnam claustri Cartusiæ partem quadrato lapide a Bernardo ædificatam fuisse, ac Provinciarum Cameras quarum ejus antecessor fundamenta jam posuerat, ad tectum usque perductas. Hic piissimus pater multorum Sanctorum Reliquias in inferioris Domus, in qua morantur fratres Conversi, ecclesia posuit. In Chronico multis dicitur virtutibus scientiaque tam divinarum quam humanarum rerum non modica præmunitus, sanctamque vitam suam in exemplum posteris dimisisse. Addit denique Molinus mortem eum gloriosissimam obiisse, ac demortui faciem ingenti claruisse lumine, secutis etiam aliquot miraculis. Cæco enim lumen restituisse perhibetur; vivensque

BERNARDUS CARTUSIÆ PRIOR ABDICAT.

Molin. in Histor. ms.

Ejus laudes.

ANNUS 1257

Domino de Mirabello indurati pectoris contritionem impetravit et lacrymas.

RIFFERIUS POST EUM ELIGITUR.

IV. Bernardo in prioratu Cartusiæ successit, inquit Chronicon, recolendæ et sanctæ memoriæ Dominus Rifferius, Monachus ejusdem Domus Cartusiæ professus, tunc vero Prior Domus Vallis Sanctæ Mariæ, quem vidimus annis superioribus a Capitulo generali delegatum ad pacem Ordinis cum Cartusiæ monachis procurandam. In tabulario Vallis Sanctæ Mariæ ibidem invenitur adhuc anno 1256 præfuisse. Unde iterum corriguntur, qui ejus in Priorem Cartusiæ electionem ad annum referunt 1255.

AD S. LUDOVICUM REGEM MONACHOS MITTIT PRO DOMO PARISIIS FUNDANDA.

V. Nostrum Rifferium Ludovicus, rex Franciæ sanctissimus, hoc præsenti anno suis litteris per certum nuntium missis, rogat ad se mitti Patres Ordinis quorum consilio et prudentia monasterium ejusdem Instituti juxta regiam urbem construere possit. Die quarta Augusti, congregato apud Cartusiam hujusce rei gratia privato pro more horum temporum Capitulo, Regis Christianissimi voluntatem Patribus ibidem coadunatis Rifferius proposuit; statimque omnes tanti Principis votis annuentes, Josseranum sive Joceranum Vallis S. Mariæ tunc Priorem, virum sane puritate vitæ inter Nos perillustrem, Parisios delegant cum quatuor Monachis, facta ei plena potestate locum suscipiendi quem piissimus Princeps fundandæ novæ cartusiæ aptiorem offerret. Molinus noster vult hæc ad Bernardum esse referenda; sed cum ex Parisiensis cartusiæ Historia, ante trecentos annos gallice exarata, constet Jocerandum ex Vallis S. Mariæ prioratu ad novam plantationem erigendam missum hoc anno dieque 14 Augusti fuisse; hinc sole clarius apparet Rifferium jam tenuisse Cartusiæ regimen, cum Jocerandus Valli Sanctæ Mariæ tantum post Rifferii electionem præfectus fuerit.

Nostrorum adventu mirum in modum exhilaratus Rex, pios (ut habet eadem ms. Historia) cum eis habuit de Deo sermones; exploratisque Cartusiensis Ordinis austeritatibus, exercitiis, omnique vivendi ratione, sedem suæ cartusiæ eis constituit apud Gentiliacum, juxta Lutetiam Parisiorum, in

ædibus quas cum vineis, terris, et pratis a Joanne Ogerio, Petri Cocci hærede, comparaverat. Ibi cum paucis Monachis demoratus est Josseranus viginti septem mensium spatio, donec alium obtineret a Rege locum, Vallis viridis dictum, ad quem se anno 1259 transtulit, ut ibidem fusius narrabimus. ANNUS 1257

JESU CHRISTI

ANNUS 1258.

Alexandri PP. IV Ann. 4.	Ordin. Cartus. Ann. 175.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 2.

PROHIBET PAPA NE INOBEDIENTES EXPELLAMUS.

I. MILLESIMUS ducentesimus quinquagesimus octavus agitur annus, Indictione prima, quo Summo Pontifici visum est hanc nimiam (ut videbatur) Ordinis nostri severitatem, sive ut autores hujus temporis vocabant *rigorositatem* mitigare, qua nostri Veteres monachos inobedientes e sinu suo ejicientes, ab Ordine expellebant. Bulla Pontificis non extat amplius; sed id colligimus ex Capituli generalis præsentis anni Charta, in qua Patres præcipiunt « ut expulsi et fugitivi qui recipiendi fuerint, quandocumque redierint, a Prioribus suis *secundum mandatum Apostolicum* ter reconcilientur Ordini et Domui suæ si locus vacat; sin autem, scribent Priori Cartusiæ qui faciet eos alicubi sustentari, donec in Domo sua locus vacet. Quibus videlicet fugitivis et expulsis non servatur locus in Domo sua post egressum suum ultra quindecim dies. Si vero redire noluerint, Priores facient eos per censuram ecclesiasticam compelli. Si aliqui petierint litteras eundi ad alium Ordinem, nec unquam ad Monachos nigros, dentur eis quando necesse fuerit; non tamen absolutorie, sed sub hac forma, scilicet quod non repetemus eos. » Nihilominus posthac iterum decretum est, consentiente ut verisimile est Sede Apostolica, ut inobedientes, discordes, et alii hujusmodi expellerentur, nisi post tertiam admonitionem sibi factam emendatos se redderent, ut videre est in Rifferii Statutis.

Statut. Ant. 2. part. cap. 31. n. 3.

ANNUS 1258

DOMUS PARISIENSIS INCREMENTA.

II. In præfata hujus anni Charta hoc unum præterea reperitur notatu dignum, quod Priori Parisiensis Domus quæ apud Gentiliacum ædificabatur, « conceditur ut possit accipere tres Monachos in Domibus ex quibus aliquas personas non accepit. » Vidimus anno superiori Jocerandum novæ plantationi præfectum quatuor Monachos secum adduxisse. Historia vero ms. hujus Domus eumdem dicit potestatem habuisse ex aliis Domibus usque ad quadraginta et unum Monachos evocandi; sed verisimile est errorem irrepsisse in numero et pro XII incaute a quodam librario XLI exscriptum fuisse; nam revera usque ad annum 1290 quo Joanna comitissa novum conventum, ut ibidem dicemus, fundavit, non fuerant ultra duodecim vel quatuordecim in ea Monachi.

ORATUR PRO COMITISSA SABAUDIÆ.

III. Hoc etiam anno, in eadem Charta, Missa de Beata Virgine injungitur pro domina Comitissa Sabaudiæ, quæ videtur esse Cecilia de Balcio vidua Amedei IV, cujus filius Bonifacius comitatum Sabaudiæ tunc regebat, natus annos tantum quatuordecim.

PETRUS VACHI BENEFACTOR CARTUSIÆ.

IV. Sub initium hujus anni Petrus Vachi miles, quædam bona intra Domus Cartusiæ terminos sita, in gratiam nostri Rifferii eidem Domui contulit; accepta nihilominus quadam pecuniæ summa, ut videre est ex literis in quibus Riferii nomen legitur. « Anno Dom. MCCLVIII, V Calendas Aprilis, ego Petrus Vachi miles de Scalis, filius quondam Petri Vachi militis ejusdem loci, non deceptus, non coactus, non dolo inductus, sed spontanea voluntate, per me et successores et hæredes meos, do, trado et concedo in perpetuam eleemosynam pro remedio animæ meæ et parentum meorum Domui Cartusiæ, et tibi Riferio Priori nomine ejusdem Domus recipienti, quicquid juris, usagii et dominii utilis et directi habeo et habere debeo in loco qui dicitur Rucheria..... Dono, inquam, ad habendum et possidendum vel quasi et faciendum per omnia quicquid habitatoribus Cartusiæ placuerit, et de omnibus supradictis me expoliando investio te dictum Riferium Priorem Domus Cartusiæ..... Prior vero supradictus ad requisitionem Fratrum Cartusiæ, attendens necessitatem meam

ANNUS 1258

dedit mihi de voluntate sua decem libras bonorum Viennensium, quas confiteor me in integrum recepisse, etc. Acta sunt hæc apud Cartusiam, in Domo superiori, in claustro, præsentibus rogatis et vocatis testibus : Riferio Priore tunc temporis Cartusiæ, Guigone Del Groin, Pontio Villelmo Procuratore, Humberto, Girardo, Villelmo de Briançon, Villelmo de Pineto, Anselmo tunc Sacrista, et Rodulpho Monachis Cartusiæ; Nicolao, Michaele, Ugone, Villelmo Ebrardi Convensis. Hæc omnia confirmarunt Rostannus et Humbertus miles, fratres mei, etc. »

HUGO II QUONDAM PRIOR CARTUS. MORITUR.

V. Circa hunc annum pie defunctus est Hugo hujus nominis secundus, quondam Cartusiæ Prior. De eo sic habet Molinus : « Afflaverat noster Hugo adeo corda Comitis Sabaudiensis et Delphini Viennensis, divinitatis specie, ut ejus consilium susciperent in omnibus, incunctanter facientes quæcumque Hugo jubenda putaret. Sicque auderent isti Proceres ad speciem et normam tanti magistri, quem patrem suum vel Sanctum nominare solebant, compositi parvum vel nihil contra jus et formam æquitatis. Miraculis etiam vivens claruit, nam trabalem molem in curia artificum deorsum vergentem, signaculo crucis eminus porrecto, loco restituisse suo testantur monimenta. Ne sileam illud magno sane cum reverentiæ metu dicendum, quod corporalibus oculis Sanctum intuebatur sæpissime Spiritum columbina specie sibi sacra facienti adsistentem. Diaboli quascumque insidias providebat perspicaciter, et eludebat potenter. Monachi cujusdam cartusiæ felicem ad cœlos excessum vidit; et velut propheta perspicue cæteris pronunciavit pro illo de cætero non esse orandum.

Claret miraculis.

Denique Petrum Sabaudiæ comitem effrænis equi cursu delatum ad præcipitium, cum Patris sui Hugonis Cartusiæ Prioris nomen in tanto periculo, ut sibi adesset, devote ingeminaret, absentem ei adfuisse tradunt et animalis cursum cohibuisse in ipso faucium præruptarum hiatu. » Hæc Molinus. In Calendariis matris Cartusiæ et Domus Glanderii Hugonis legitur obitus ad 4 Nonas Aprilis, et dicitur sacerdos monachus et Prior; sed in Necrologio Parcensis cartusiæ ad eum-

dem diem legimus : « Hugonem, Monachum et sacerdotem. »

ANNUS 1258

VI. Obiit hoc anno venerabilis Soror Catharina Alamandi, ex nobilissima ejusdem nominis familia, quæ non vulgari sanctitate parthenonem nostri Ordinis Pratimollensem illustraverat. Cujus dum regimen teneret, ad eam sæculares circumvicini ejus attracti virtutum fragrantia confluebant, solatium in angoribus animi quæsituri ; quos etiam aliquando ab infirmitatibus corporis solo illius tactu liberatos recessisse fert Nostrorum traditio.

CATHARINA ALAMANDI PRIORISSA PRATI MOLLIS OBIIT.

JESU CHRISTI

ANNUS 1259.

Alexandri PP. IV Ann. 5.	Ordin. Cartus. Ann. 176.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 3.

RIFFERIUS PRIOR CARTUSIÆ STATUTA COLLIGIT ET COMPONIT.

I. ANNUS a partu Virginis ducentesimus quinquagesimus nonus post millesimum sequitur, Indictione secunda, quo Rifferius Prior Cartusiæ « vir litteris sæcularibus et divinis admodum eruditus, ut legitur in Chronico, doctrina, ingenio et exhortatione efficacissimus, Cartusiensis Propositi constitutiones ampliavit, compilavit, correxit, pulchroque stylo exornans ad perfectum usque perduxit, ac confirmari fecit per generale hujus anni Capitulum, » cujus Chartam nusquam recuperare potuimus. Hujus operis gravitatem, illiusque autoris eloquentiam extollens noster Sutor, audet affirmare tantam esse styli venustatem gravitatemque, ut et cæsareas leges ad vivum referre et omnes sui temporis scriptores styli nobilitate superasse non dubitetur. Imo, « fateor, inquit, illius tempore floruisse viros ingenio et doctrina præstantissimos in quibus fuerunt Alexander de Hallis, Albertus Magnus, D. Bonaventura, S. Thomas Aquinas, aliique permulti magnæ eruditionis viri. At vero si phrasim singulorum aspexeris, videbis profecto nostri Rifferii stylum paulo altiorem cæteris esse. »

Sutor lib. 2. tract. 3. cap. 7.

Quæ sit ratio hujus compilationis.

Compilationis hujus causam sive rationem, ex ipsis Consuetudinibus quæ Antiqua Statuta appellantur, accipe : « Anno Domini MCCLVIIII visum est Capitulo generali, quod omnes Consuetudines et Statuta Ordinis nostri simul in unam, quantum possibile foret, aggregarentur consonantiam ut in-

veniri citius et facilius possent memoriæ commendari. Si qua vero addenda essent, adderentur, et si qua demenda, demerentur; » et cætera quæ habes tomo horum Annalium primo. Porro cum ibi legis decretum fuisse ut omnes Consuetudines et Ordinis Statuta in unam aggregarentur consonantiam, in memoriam velim reducas, quæ sub Basilio, Jancelino et Hugone II Cartusiæ Prioribus diximus de variis Constitutionibus sub eorum regiminibus editis. Nihil enim aut fere nihil in his Rifferii Statutis sancitur, quod non jam sancitum reperiatur in istis vel in generalium Capitulorum Chartis; nullaque apparet mutatio, nisi quod Rifferius stylum elegantiorem reddidit, variasque materias quæ sæpe in aliis Constitutionibus confuse hac et illac dispersæ erant, in unum collegit, collectasque et digestas suis quasque locis et distinctis capitulis singulas collocavit.

ANNUS 1259

To. I. p. 128.

II. In iisdem Comitiis renovatur associatio cum Cluniacensibus, cujus renovationis litteræ a Nostris scriptæ perierunt, sed etiamnum extant quæ ab Yvone Cluniacensi abbate, pro se et suo Conventu, sub sequenti tenore paulo post fieri jussæ sunt :

ASSOCIATIO CLUNIACENS. RENOVATUR.

« Universis præsentes litteras inspecturis, frater Yvo miseratione divina Cluniacensium ecclesiæ Minister humilis, salutem in Domino Jesu Christo. Noverit universitas vestra quod nos illam commendandam associationem, quam bonæ memoriæ Petrus quondam abbas Cluniacensis prædecessor noster pro se et Conventu Cluniacensi et aliis personis ejusdem Ordinis iniit vel contraxit cum venerabilibus et religiosis viris Fratribus Cartusiensibus, prout in dicti Petri litteris plenius continetur, approbamus, laudamus, ratam habemus et eam de assensu conventus nostri Cluniacensis tenore præsentium innovamus. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum Cluniaci, 9 Calend. Julii, anno 1259. »

Hactenus litteræ Yvonis quæ cera viridi cum simplici cauda sigillatæ erant. Hanc societatem tertio confirmari videbimus anno 1530.

ANNUS
1259

DOMINI ALAMANDI FUNDANT PANEM ET VINUM AD USUM MISSARUM IN CARTUSIA DICENDARUM.

III. Guido et Petrus Alamandi domini Uriatici, filii Odonis, hoc anno confirmant fundationem quam Andreas eorum patruus olim fecerat in Domo Cartusiæ pro hostiis conficiendis et vino ad usum Missarum. Hujus donationis literas velut indicia pietatis erga SS. Sacramentum subjicimus :

« Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos Guigo et Petrus, filii et hæredes quondam domini Odonis Alamanni, confitemur et recognoscimus quod dominus Andreas Alamanni, quondam frater prædicti domini Odonis quondam patris nostri, avunculus noster, dedit et legavit Deo et Domui Cartusiæ in sua ultima voluntate, in ægritudine de qua decessit, sex sestarios frumenti censuales pro Hostiis faciendis et unum modium viri puri, sub annuo censu, ad opus Missarum. Item confitemur et recognoscimus quod prædictus dominus Odo qui fuit hæres dicti Andreæ, solvit et reddidit post mortem domini Andreæ singulis annis Domui Cartusiæ, dum ipse vixit, dictos sex sextarios frumenti et dictum modium viri puri. Quod frumentum et quod vinum promittimus bona fide et sub obligatione omnium rerum nostrarum fratri Joanni Converso dictæ Domus Cartusiæ stipulanti, recipienti nomine dictæ Domus et Fratribus ibidem in posterum Deo servientibus, solvere et reddere in pace in perpetuum, singulis annis vel certo nuntio ipsius Domus, tempore messium et vindemiarum, plene et perfecte. Omnia vero prædicta promittimus per nos et hæredes vel successores nostros, interposito supra sancta Dei Evangelia corporaliter juramento, rata et firma semper habere, tenere, attendere, et inviolabiliter perpetuo observare, et nunquam aliquo tempore in toto vel in parte contravenire aliquo jure vel aliqua ratione volentes; et rogantes Venerabilem Patrem dominum F. episcopum Gratianopolitanum et alios successores ipsius, ut ipsi ad attendendum omnia prædicta compellant nos et hæredes et successores nostros, si necesse fuerit, per sententiam excommunicationis; et quod memoratus venerabilis Pater F. episcopus Gratianopolitanus præsentibus litteris sigillum suum una cum nostris sigillis propriis apponi faciat in

testimonium rei gestæ. Datum apud Gratianopolim, VIII Idus Februarii, anno Domini MCCLVIIII. »

ANNUS 1259

MONACHI PARISIENSES E GENTILIACO AD VALLEM VIRIDEM TRANSFERUNTUR.

IV. Hoc anno Jocerannus, Prior novæ Domus Parisiensis apud Gentiliacum prope Parisios ab annis duobus inchoatæ, hunc locum minus forte aptum animadvertens, a sancto Rege fundatore regias ædes, vulgo *Vallis viridis* dictas, sibi tradi in monasterium convertendas nomine Ordinis suppliciter petiit. Primum abnuit Rex, sciens quosdam alios Religiosos frustra tentasse propter malorum infestationes Spirituum sedem ibi figere; at Joceranni devictus iteratis precibus totum locum concessit, scriptis ea de re tabulis quæ sequuntur :

S. Ludovicus locum concedit.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter et futuri quod ad nostram accedentes præsentiam Fratres Ordinis Cartusiensis, nos humiliter supplicarunt ut prope civitatem nostram Parisiensem, in qua fluunt aquæ largissimæ salutaris doctrinæ adeo quod fluminis impetus civitatem ipsam lætificans et inundans universalem irrigat Ecclesiam, pro divini nominis amore vellemus et eidem Ordini de loco aliquo competenti liberalitate regia providere, petentes humiliter et instanter ut locum nostrum ac domum de Valle viridi prope civitatem prædictam, muris excelsis et quovis modo præcinctam, pietatis intuitu dignaremur sibi concedere, ut in ipso et per ipsum totus Ordo reviresceret et floreret; sicque Domus ipsa secus salutarium aquarum plantata decursus, fructum in tempore suo datura gratissimum, totum Cartusiensium Ordinem fœcundaret. Nos autem, Fratres ipsos et Ordinem Deo gratum specialis dilectionis et favoris gratia prosequentes, piis eorum supplicationibus annuimus et locum prædictum ac domum de Valle viridi, sicut eam tenebamus, Fratribus ipsis ibidem Summo Regi perpetuo servituris, in puram et perpetuam eleemosynam concedimus et donamus; locum ipsum, personas et bona quæcumque ad ipsum pertinentia, in nostra et regia potestate suscipientes et volentes ab omni injusta molestatione manere

ANNUS 1259

quieta. Donamus insuper et concedimus in perpetuam eleemosynam pietatis intuitu, et pro nostra et antecessorum nostrorum animarum remedio, Fratribus ipsis inibi Domino servituris, ad eorum sustentationem quinque modios bladi nostri de Gonessa ad mensuram et modium Parisiensem, in granario nostro Parisiensi percipiendos annuatim ad festum Omnium Sanctorum; quos a præpositis et ministris nostris, quicumque pro tempore fuerint, eisdem Fratribus solvi sine diminutione vel difficultate præcipimus ad terminum prælibatum. Præterea donamus eisdem et concedimus domum quam emimus a liberis defuncti Petri Cocci, sitam juxta Gentiliacum, cum porprisio et terris adjacentibus et vinea ac aliis ejus pertinentiis, ab ipsis in perpetuum possidendam. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri autoritate ac regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Melodunum anno Dominicæ Incarnationis MCCLVIIII, mense Majo, regni vero nostri anno trigesimo tertio; adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa, Dapifero nullo. Signum Joannis buticularii. Signum Ægidii constanbularii. Signum Alphonsi camerarii. »

DŒMONES NOSTRORUM ORATIONIBUS FUGANTUR.

V. Posthac Jocerandus, ne rem temerario aggredi videretur, preces, jejunia et alia id genus pia exercitia suis indicens voluntaria, loco interim ad habitandum parato, domum cum septem Monachis hoc præsenti anno, die divo Columbano sacra, videlicet 21 Novembris, imperterritus adiit; nulloque obsistente adversario, illius iniit possessionem. Ferunt tamen per tres dies continuos audita fuisse in aere murmura, visosque ex humo excitatos fœtidos vapores, quorum exhalatione quidam nostrorum famuli in morbos satis graves inciderunt. Hæc e vetustissima fundationis hujus cartusiæ Historia ms. eruimus, ubi res verbis quidem prolixioribus enarratur, sed notabilioribus nullis circumstantiis. Jacobus du Breul, in *Antiquitatibus Urbis Parisiensis* gallice conscriptis, addit (ex nostro Dorlando) per annos plurimos antequam illo in loco cartusia construeretur, pessimum cacodæmonem illic habitasse;

Dorland. l. 6. cap. 32.

qui, permittente Deo, agentibus hominum sceleribus, omnes qui per viam illam transibant, maximis afficiebat incommodis. Nemo enim illic transire poterat, qui non aut impulsus aut percussus aut mutilatus abiret. Dabat etiam clamores horrendos in cœlum et terrificis vocibus omnia quatiebat. Cumque magno timore urbis illius populus teneretur, et passim inquireret quo remedio possent a dæmonis infestatione liberari, erat illic Sanctimonialis inclusa miræ religionis et sanctimoniæ, quæ etiam ob suæ meritum vitæ prophetiæ fuerat spiritu illustrata. Hæc convocato urbis Magistratu : « Si vultis, inquit, a dæmonis illius infestationibus periculisque salvari, necesse vobis erit illo in loco Domum Cartusiensibus fabricare. » Venit prophetia ad notitiam Regis et Reginæ, qui devotione Ordinis vehementer accensi, statuunt singuli seorsum Domum unam Ordini erigere et duas pro una distinctis in locis fabricare. Habito tamen maturiori consilio, primam intentionem irritam facientes Rex et Regina, sua vota conjungunt et unum tantum cœnobium condunt : tali tamen gloria ac majestate, Fratrumque multitudine, ut merito duorum Conventuum dispendia redemisse putentur. Nam cum suetum sit nobis duodecim aut ferme viginti monachos adunare, illi ad quadraginta numerum extendunt, quos magnificis ædificiis extructis, juxta magnificentiam regiam divitiis donant et prædiis. Domo itaque constructa vaticinium virginis impletum est, nam impossibile fuit præstigia illic dæmonum et terrificos in reliquum clamores audiri, ubi sanctorum Patrum laudes assidue resultabant in cœlum. »

ANNUS 1259

Hæc etiam, ut diximus, Jacobus du Breul post Sutorem et Dorlandum retulit. Sed hi omnes errant cum dicunt Regem et Reginam duplicem in hac Domo Conventum fundasse; constat enim ex Historia superius citata sanctum Ludovicum quinque tantum cellas ante mortem ædificasse, ac deinde constructis novem aliis, quatuordecim Monachos ibidem vixisse usque ad annum 1290 quo Joanna comitissa Alençonii novum Conventum instituit, novo etiam condito claustro, ut fusius suo loco dicturi sumus.

Sutor lib. 1. tract. 3. cap. 2.

ANNUS
1259

FIT HOMINUM CONCURSUS AD NOVAM CARTUSIAM.

VI. Sed narrationem ex præfato codice gallicano traductam persequamur. « Post quatuor aut quinque dies fama per urbem diffusa Cartusienses, dæmonibus a se fugatis, in Vallis viridis palatio sedem fixisse, tanta per dies aliquot utriusque sexus frequentia ad cartusiam confluxit ut Patres, ob confusam adventantium multitudinem, sedem mutavisse pœnituerit, parumque abfuit quin locum ipsum omnino desererent; quippe cum a populo ad tale miraculum obstupescente undequaque circumvallarentur, vix sibi licebat silentio, solitudini cæterisque Instituti nostri exercitiis vacare. Sed quorumdam civium sollicita pietas ab importuno illo concursu pios Patres liberavit; ii enim monasterii aditum obsidentes, non nisi petita licentia, statisque diei horis, ingressum concedebant. Iidem insuper pecuniarum quas conglomerantium civium Parisiensium devotio subministrabat, colligendarum curam susceperunt. Quæ quidem in tantum excreverunt, ut ad construendas aliquas cellulas, et ad majorem ecclesiæ partem ædificandam suffecerint. Hæc populi concursio per sex menses continuos perseveravit.

S. Ludovicus Nostros invisit.

« Interim divus Ludovicus, de ingressu Cartusiensium in Vallem viridem, de fuga dæmonum, de miraculosa istius loci possessione, et de civium ad Nostros frequentia certior factus, Lutetiam petens, recto tramite cartusiam venit. Excipitur a Patribus, qui ad eum tamquam ad præclarum et beneficum sidus cum cruce et aqua salutari procedunt, flexis genibus, ut par erat, religiose salutant, et canticum *Te Deum laudamus* inchoantes, ad locum quem sibi in sacellum destinaverant piissimum Principem deducunt, fusisque ibi precibus rursus ad Regis inclyti pedes procidentes, gratias ei de sua erga cartusiam suam magnificentia et liberalitate rependunt, ejusque sese tutelæ et patrocinio cum omni summissione committunt. Jocerandum cum ejus Monachis ad pedes suos prostratum, divus Ludovicus ex innata animi benignitate et affabilitate erigens, singulos sacro oris sui osculo dignatus est honorare. Cumque familiari colloquio sciscitatus fuisset quomodo ex ejus sedibus cacodæmonem eliminassent, atque de loci istius

amœnitate, de malignis spiritibus, deque rebus aliis sermones una cum Monachis miscuisset, Patres prospiciens magis Vallis viridis quam Gentiliaci habitatione delectari, gratias omnium Creatori egit, sanctoque afflatus Spiritu, elevatis in cœlum oculis, junctisque manibus, mox cum psalmista intonuit *Laudate Dominum in sanctis ejus,* quia vere cognovimus Te servis tuis locum istum in quo nullus habitare hactenus potuit, reservasse. Et quis ibit inficias, quandoquidem tot mirabilia oculis nostris in dies videmus. Hæc et alia Rex ad circumstantem Magnatum turbam loquebatur; tum ad Jocerandum conversus ipsum manu apprehendit, dixitque : Frater, tibi tuisque sociis ob concessa vobis a Deo beneficia congratulamur; nobis etenim manifestissimis constat argumentis hunc sibi locum Numen elegisse, vobisque ad laudes ejus celebrandas destinasse. » Hæc ibi.

ANNUS 1259

Præclarum ejus de eis dictum.

Prætermittendum vero non est dictum illud sanctissimi fundatoris memoratu dignissimum. Nonnullis enim ex aulicis sibi dicentibus quod exiguam admodum dotem Fratribus illis concessisset, ita fertur respondisse : « Si bene vixerint, satis habebunt, sin minus jam nimis habent. » De illo adhuc dicemus, anno quo defunctus est.

Sutor ubi supra.

Vid. an. 1270.

BENEFACTORES DOMUS PARISIENSIS.

VII. Tot in hac Domo benefactores nacti sunt Patres nostri, ut in suo Calendario fere trecentos numerent, qui seu reditus seu ad reditus comparandos pecunias largiti sunt. Unde non mirum si hæc Domus ad aliquam videatur accessisse opulentiam, quæ vix tamen queat, quibus quotidie gravatur, oneribus sufficere. Quosdam, et quidem præcipuos benefactores, pro more nostro libet hic exponere.

Primus omnium fit ibidem primus monachus.

Primus occurrit quidam Nicolaus, qui postquam facultates suas tam in ecclesiæ quam monasterii ædificatione impendisset, eximiæ incensus ardore pietatis, seipsum etiam obsequio Dei in hac Domo devovit, primus omnium vota Cartusianæ professionis ibidem emittens. Cumque multos annos in omni sanctitate exegisset, obiit 5 Calendas Octobris.

Maria Augiensis * comitissa, filia Radulphi comitis, multa dedit cum Alfonso marito suo.

* D'Eu.

ANNUS 1259

Theobaldus, rex Navarræ, S. Ludovici regis gener.

Philippus de Marigny archiepiscopus Senonensis, de quo dicemus anno 1317.

Joannes de Ceresio templum ædificat cœlesti monitus visione.

Ex hist. ms.

Joannes de Ceresio præcipuus templi fundator, quondam thesaurarius Ecclesiæ Lexoviensis ac Clericus Philippi Longi regis. Hic cum acceptas ab Andrea Porcheron avunculo suo ingentes divitias in pios usus ad libitum erogandas, distribuere procrastinaret; in somnis sibi videre visus est quempiam ejus ipsi negligentiam exprobrantem, ipsumque ad Dei tribunal appellantem. Hac visione exterrefactus rursumque obdormiscens, vidit Angelum quoddam ei templum nondum absolutum manu indicantem, in cujus perfectionem pecunias converteret. Octiduo post deambulandi gratia Parisios egressus, ad cartusiam fortuito venit, varios perlustrat monasterii angulos, opifices interrogat, sensimque ad locum perveniens ubi construebatur ecclesia, structuramque illius attentius considerans, eamdem quæ sibi divinitus demonstrata fuerat agnoscit. Nocte subsequente rursum adstitit Angelus, eamdemque illi ædem ostendens : « Per eam, inquit, divinam evades ultionem ; operare ergo in ea, nec cesset manus tua, quia magna erit retributio tua. » Die illucescente cartusiam festinus repetit, Monachis coadunatis visionem exponit, promittitque pecunias, quibus sine mora suffectis totum perficitur ædificium, ad cujus tectum fabricandum ligna a Philippo rege obtinuit. Tandemque anno 1325, 6 Cal. Julii, sacram hanc ædem Joannes, tunc Trecensis episcopus, B. Virgini sanctoque Præcursori juxta Ordinis consuetudinem dedicavit. Posthac, multa alia bona copiose Nostris dispertiit Ceresius, moriensque an. 1327 die Sept. vigesima, in templi a se constructi medio sepulturam accepit, insculpta tumulo ipsius effigie. Ejus obitus in Capituli generalis anni 1328 Charta his verbis denuntiatur : « Obiit magister Joannes de Ceres diaconus, thesaurarius Lexoviensis, habens tricenarium per totum Ordinem. »

Ejus vero avunculi obitus reperitur in Charta anni 1322 his verbis : « Magistro Andreæ Pocheiron* nuper defuncto conceditur tricenarium. »

* *Al.* Porcheron.

Ludovicus Borbonii dux, mortuus anno 1341, fundavit altare sancti Hugonis Lincolniensis. ANNUS 1259

Joannes dux Bituricensis, ejusdem sacelli alter fundator, obiit anno 1416. *Sacelli S. Hugonis fundatores.*

Guillelmus Morel et Guillelmus Rose in Senatu Parisiensi causidici, fundaverunt sacellum sancti Dionysii.

Joannes Trevor, Asaphensis episcopus in Wallia, 20 nummos aureos suo testamento legavit. Obiit 3 Octobris; annus a Godwino, in hujus Ecclesiæ Episcoporum catalogo, ponitur 1356.

Petrus Loysel sutor Parisiensis et Margarita uxor ejus, Capitulum, sacellum et cellam monachi æditui construxerunt et dotarunt circa annum 1332. Margaritæ obitus reperitur in ejusdem anni Charta. *Capituli.*

Gerardus de Monte acuto reditus dedit pro vestibus Monachorum, ea conditione ut pauperibus distribuantur veteres. Canonicus fuit Parisiensis et Remensis. Obiit anno 1339, 2 Decembris, et habuit tricenarium per Chartam anni 1340. *Vestium monachorum.*

Andreas Ghini de Florentia, Tornacensis episcopus et S. R. E. cardinalis, sacellum SS. Andreæ et Stephani construxit, ut Nostri pro eo et pro Rege Franciæ Carolo orarent. Obiit anno 1342 vel sequenti, et in Calendario Domus hujus describitur ad diem 2 Junii. *Sacelli S. Andreæ.*

Philippus rex Navarræ, comes Ebroicensis, anno 1343.

Bernardus Alamainy, episcopus Condomiensis, obiit 9 Martii; in choro templi sepultus circa 1373.

Petrus de Giaco, cancellarius Franciæ et Bituriæ, legavit huic Domui centum francos; obiit 9 Novembris, anno incerto.

Hugo Boileau thesaurarius Palatii, ex Calendario et in Charta Capituli generalis anni 1393, dicitur Thesaurarius Sanctæ Capellæ Regis Franciæ.

Joannes Boileau, Vicarius Ecclesiæ Parisiensis, dedit viginti arpenta terræ cum multis pecuniis ; obiit 26 Julii.

D. Guillelmus Boileau, Monachus hujus Domus et benefactor, vivebat circa eadem tempora.

ANNUS 1259

Ægidius de Sens, causidicus Parisiensis, qui obiit anno 1335; et Guillelmus de Sens ejus filius, protopræses in Senatu Parisiensi, obiit anno 1399, 11 Aprilis.

Philippus de Harcourt de Montgommery obiit anno 1414, 13 Octob. Joannes d'Arsonval episcopus Cabilonensis, ejus obitus habetur in Charta anni 1417.

4 Monachorum.

Hervæus et Guillelmus de Neauvillæ fratres, fundaverunt quatuor Monachos circa annum 1420.

Jacobus, patriarcha Antiochenus, episcopus Pictaviensis, cujus obitus denuntiatur in Charta anni 1459.

Joannes de la Driesche alter fundator.

Joannes de la Driesche miles et præses in Camera Computorum, in Chartis capitularibus non solum benefactor sed fundator dicitur. Obiit anno 1486, 18 Martii; cujus obitus habetur in Charta ejusdem anni his verbis : « Honorabilis vir Dom. Joannes de la Driesche, miles et præsidens Cameræ computorum Parisiis ; » et in Charta 1473 legitur obitus matris illius his verbis : « Obiit nobilis domina Godeliena de Hallewin, mater magnifici domini Joannis de la Driesche, utriusque Juris doctoris, domini temporalis de Possy, consiliarii domini Regis Francorum ac primi Præsidentis Cameræ computorum suorum, thesaurarii Franciæ, fautoris Ordinis nostri ac magni benefactoris et fundatoris Domus Parisiensis. » Et in eadem Charta, ante præfatam Godelienam, legitur Theodoricus de Hallewin miles, ejus forsan maritus.

Joannes de Beauvau, episcopus Andegavensis, multos et insignes libros tum impressos tum manuscriptos legavit, inter quos erant unum Missale et unum Breviarium; de quibus hæc cartusia sexaginta libras parisienses habuit. Obiit anno 1479.

Duorum Monachorum fundatio.

Nobilis vir dom. Guillelmus Columbel, civis Parisiensis, magnus benefactor Ordinis, præcipue Vallis viridis, cujus etiam dicitur fundator in Chartis in quibus obitus illius, ab anno 1475 ad annum 1479 inclusive, singulis annis denunciatus fuit. In Calendario Domus designatur ad diem 4 Aprilis, et dicitur fundasse duos Monachos et Missam perpetuam.

Joannes Milet, episcopus Suessonensis, multa dedit ut pro se et pro parentibus suis et domino Joanne d'Arsonval (de

quo supra) Cabilonensi quondam episcopo, avunculo suo, preces ad Deum funderentur. Obiit die 1 Aprilis, ætatis suæ anno 88, et denuntiatur in Charta anni 1502 cum pleno Monachatu per totum Ordinem, ubi dicitur benefactor Fontis Beatæ Mariæ et magnus fautor Ordinis. ANNUS 1259

Pileolorum

Joannes Cordis archiepiscopus Bituricensis, pro fundatione biretorum (sic habet Calendarium Domus) annis singulis circa festum Omnium Sanctorum Religiosis tradendorum, ac veterum pauperibus erogandorum, dedit nobis domum sitam in vico, etc.; et præterea centum scuta aurea. Habet anniversarium die 25 Junii; obierat an. 1483.

Gregorius de Avenelles civis Parisiensis, cujus obitus habetur in Charta anni 1572 cum Missa de Beata Maria in Provinciis Franciæ, Picardiæ et Teutoniæ.

Dominus Robineau civis Parisiensis benefactor Ordinis, ex Charta anni 1590, cum Missa de Beata Maria in Provinciis Genevensis et Franciæ.

Nostri seculi benefactores.

Ludovicus Habert, dominus de Maincourt, Majoris Consilii senator, obiit sexto Idus Octobris, anno 1614; legavit novem millia librarum. Signatur in Charta anni 1615.

Petrus Habert, episcopus Caturcensis, præfati Ludovici frater cum quo jacet sepultus in choro hujus ecclesiæ; obiit anno 1636, 3 Calend. Martii.

Petrus Joulet, dominus de Chastillon, obiit anno 1622, quarto Decembris, et Franciscus Joulet ejus frater, anno 1637, 30 Septemb.; ambo sepulti in parvo claustro. Et in chartis capitularibus dicuntur amici et Benefactores hujus Domus.

Honesta mulier Maria Buisson habuit plenum Monachatum in hac Domo sub die 13 Novembris, ex Charta anni 1629.

Nobilis Petrus de Versoris mortuus anno 1629, sepultus prope Joannem Versoris de Bussy anno 1609 defunctum.

Nobilis Imbertus de Quouy jacet depositus in claustro, anno 1647.

Illustr. Joannes Ludovicus de Faucon, Neustriaci senatus Princeps, mortuus anno 1653 et in sacello S. Joannis Baptistæ sepultus.

ANNUS 1259

Jacobus Monsignot, advocatus Parlamenti Parisiensis, cor suum voluit servari et sepeliri sub lapide marmoreo in sacello S. Hugonis.

Ludovicus Barboteau, Missam singulis diebus perpetuo celebrandam instituit, sepultus in choro Conversorum anno 1666.

Nicolaus Barreau, abbas de Perrieres, Nostrorum amantissimus, cum quibus in communi cœmeterio quiescere elegit post mortem quam oppetiit anno 1667, 25 Maii.

PARTHENIUM PERMANIÆ FUNDATUR A FULCONE EPISCOP. GRATIANOPOL.

VIII. Eodem anno (1259) cartusia Montis Sanctæ Mariæ in loco dicto de Permania (cui perperam Vallis crescentis nomen a quibusdam tribuitur), sita prope Tullinum castrum ditionis et diœcesis Ecclesiæ Gratianopolitanæ, a Fulcone fundatur ejusdem Ecclesiæ episcopo, deducta e parthenone Pratimollensi Monialium colonia ; cujus quidem fundationis literæ periere, sed earum notitiam damus ex Clementis Papæ quarti bulla easdem continente, dum eas Summus Pontifex rogatus his verbis confirmat :

« Clemens, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissæ et Conventui Monialium monasterii Montis S. Mariæ de Parmenia Cartusiensis Ordinis, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod justitiæ et honestati congruit, digna agimus si ad id complendum favoris præbemus suffragium efficacis. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod bonæ memoriæ Fulco Gratianopolitanus episcopus locum de Parmenia quem inhabitatis cum omnibus suis pertinentiis, Capituli sui ad id accedente consensu, vobis contulit in perpetuum divinæ intuitu pietatis, prout in patentibus literis inde confectis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc proinde factum est, ratum habentes et firmum, istud autoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem literarum ipsarum de verbo ad verbum facientes præsentibus annotari, qui talis est :

Literæ Fundationis.

« Nos Fulco, Dei miseratione Gratianopolitanus episcopus,

divino Spiritu inspirati, locum qui dicitur de Permania ad ampliorem Dei cultum redigere cupientes, hoc per Cartusiensis Ordinis personas convenientius posse fieri credentes firmiter ac sperantes, ipsum dictum locum mutato nomine ipsius Permaniæ in Montem sanctæ Mariæ, Deo ac beatæ Mariæ Virgini ac Ordini Cartusiensi, apud Pratum molle constituti in præsentia Priorum ejusdem Ordinis, videlicet Durbonis et Vallis Sancti Hugonis, nec non et Conventus ejusdem loci, et quorumdam aliorum Regularium nobiscum ibidem existentium, de consensu et voluntate Capituli nostri Gratianopolitani, perpetuo dedicavimus et concessimus. Statuentes et insuper ordinantes ut dicti Ordinis Sanctimoniales et Conversi ibidem, videlicet in Monte Sancte Mariæ, Deo ac beatæ Virgini secundum Ordinis sui professionem et Regulam perpetuo famulentur. Dictam autem concessionem in manu dictorum Priorum nomine Ordinis recipientium fecimus.

ANNUS 1259

Mons sanctæ Mariæ appellatur.

IX. « Quas quidem Moniales, Priorissam videlicet cum sex aliis, et quatuor Conversis ad præsens de dicti loci, videlicet Prati mollis Conventu, duximus assumendas. Statuentes insuper ac volentes ac etiam in dicta concessione specialiter retinentes, quod si forte (quod absit) dictæ Moniales et Conversi vel eorum successores, aliquo casu in posterum dictum locum ducerent relinquendum, statim in eorum recessu locus ipse, scilicet Mons sanctæ Mariæ, ad Episcopum Gratianopolitanum et albergamentum ipsius absolute et libere reverteretur. Ita quod dictum locum cum omnibus pertinentiis suis mobilibus et immobilibus, qui tunc præesset Episcopus autoritate sua valeat occupare, et de ipso pro suæ voluntatis arbitrio ordinare. In testimonium autem quod prædictus locus a nobis datus est et concessus prædicto Sanctimonialium Ordini, statuimus quod in quatuor caseis sæpe dictæ Moniales annuatim, in synodo Omnium Sanctorum, nobis et nostris successoribus teneantur.

MONIALES E DOMO PRATI MOLLIS ASSUMUNTUR.

« Hoc autem prætereundum non est, quod Conventus Pratimollis specialiter ad sustentationem dictarum personarum ad dictum locum transeuntium, de mobilibus suis dederunt

Multa beneficia ab eadem Domo accipiunt.

ANNUS 1259

decem tricenaria ovium, et quinque tricenaria vaysilis, et viginti arietes, et decem equas. Item decem vaccas cum vitulis suis et quinque genicias, et duos tauros. Item carrucam unam completam boum. Insuper etiam concesserunt quod prædictas personas tam in vestibus, quam pannis, lectitiis et aliis supellectibus suis necessariis, decenter apparatas ad dictum locum destinarent.

Quid præter locum dederit fundator.

« Nos vero, præter concessionem dicti loci cum possessionibus suis mobilibus vel se moventibus quæ ibidem habemus, duas carrucas boum ibidem volumus dimittere. Item de blado quantum necesse fuerit pro seminibus istius præsentis autumnalis sationis. Item totum vinum vinearum præsentis anni. Item de libris præsentibus ibidem qui ad usum ejusdem ecclesiæ et Ordinis fuerint necessarii, excepta Biblia quam nobis retinemus : ita tamen quod pro exemplari ipsam vel aliam usque ad quinque annos eis commodare debeamus, et pergamenum ad opus Bibliæ quam scripserint, sibi dare. Item septem apum examina ad opus Sacristæ volumus ibi dimittere. In quorum omnium firmitatem perpetuam et testimonium nos dictus Episcopus et Capitulum Gratianopolitanum, sigilla nostra una cum sigillis dictarum Domorum, Pratimollis videlicet et Montis S. Mariæ, nec non et dictorum Priorum Durbonis et Vallis sancti Hugonis præsenti chartæ duximus apponenda. Datum Idibus Sept., anno Domini MCCLVIIII.

« Datum Viterbii, Idibus Januarii, Pontificatus nostri anno tertio. »

EARUM PAUPERTATEM ALLEVAT CAPIT. GENERALE.

X. Filiam hanc suam fere indotatam reliquit fundator septennio post moriens, die Junii undecima, ut habetur in cartusiæ Parci Calendario. Quamobrem illius miserati paupertatem Ordinis Patres, per Chartam Capituli generalis anni 1291, ad impertiendam illi eleemosynam Priores his verbis adhortantur : « Monemus et rogamus quantum possumus Priores et Vicarios in Domino, quatenus provideant et subveniant pauperrimæ Domui Permaniæ in eleemosyna ; et prohibemus ne Visitatores reprehendant Priores super eleemosynis factis huic Domui. »

Sub idem tempus, Humberti de Turre delphini et Annæ ejus uxoris Saletarum fundatorum efflagitatu, Prior Cartusiæ quamdam domum de Plantatis dictam (quam quidam pro Domo Ordinis falso accipiunt), cujus custodia sive administratio Conventui Cartusiæ ab Ysmidone de Planta illius fundatore fuerat commissa, consentientibus Episcopo Gratianopolitano, Rectore ejusdem domus et aliis quorum intererat, in dotis augmentum Permaniensibus virginibus concessit. At Moniales non parvo inde conscientiæ scrupulo tentatæ, Bosonis Generalis consilio et præfatorum Principum ac Guillelmi Gratianopol. episcopi autoritate, eamdem domum cesserunt Hugoni S. Roberti de Cornillione Priori ejusque Conventui, accepto tamen ex commutatione prioratu de Homosco. Super quo extat instrumentum sive sententia a Simeone Curreriæ Priore lata, præsentibus et accipientibus præfato Hugone cum suo Conventu, Guigone Excubiarum Priore et Joanne Permaniæ vicario, in claustro sancti Roberti anno 1300, ut ibidem fusius exponemus.

ANNUS 1259

Domus de Plantatis eis conceditur.

Quam commutant cum Prioratu de Homosco.

Juxta præfatam sententiam Permaniæ Moniales in Prioratus de Homosco, sive de Emusco *, possessionem statim sunt inductæ ; eodemque anno missis quibusdam Sororibus sub beatæ Beatricis Dornacieux auspiciis, locum incolere secundum Cartusiense Institutum cœperunt, ea mente ut vel novam ibidem cartusiam ædificarent, vel potius relicto priori loco illuc se transferrent cum omnibus Permaniæ facultatibus : quod ultimum certe probabilius est, cum in nostris Chartis Cap. generalis ab anno 1300 et aliquot post annis nulla fiat mentio Domus Permaniæ, sed solius Domus de Emusco quæ anno 1301 inter provinciæ Provinciæ cartusias annumeratur sub vocabulo Domus Belliloci de Emusco. Verum paucis post annis, tum propter paupertatem, tum propter ejusdem loci varias incommoditates, maxime quod frequentior secularium turba ad eum sæpius accedens silentii ac solitudinis quietem perturbaret, ad Permaniam sese Moniales recepere, relictis tamen apud Emuscum quibusdam ex Sororibus quæ ad mortem usque ibidem perseverarunt

* *Patria lingua* Esmue, Emeu.

ANNUS 1259 cum sua Priorissa Beatrice. Quibus mortuis et earum corporibus ad Permaniam translatis, redditus est antiquis possessoribus Emuscus, Priori videlicet et Conventui S. Roberti de Cornillione circa annum 1310. Anno denique 1391, relicto quoque Permaniæ solo, ad Excubiarum cartusiam, cujus propterea Monachorum Conventus tunc temporis fuit extinctus, Moniales translatæ sunt, ut ibidem sumus dicturi.

In Capituli generalis anni 1332 Charta, « domino Humberto capellano domini Clariaci et Tullini, magno benefactori Monialium Permaniæ, conceditur Fraternitas Ordinis. » Hunc unicum benefactorem in Chartis reperimus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1260.

Alexandri PP. IV Ann. 6.	Ordin. Cartus. Ann. 177.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 4.

I. SEQUITUR, temporis ordine, annus Redemptoris nostri millesimus ducentesimus sexagesimus, Indictione tertia, quo Alexander Pontifex maximus universum Ordinem eximit a solutione decimarum de pratis nostris, data bulla Anagniæ quam habes inter Privilegia.

EXIMIMUR A SOLUTIONE DECIMARUM.

Inter privil. num. 39.

Extat ejusdem Alexandri constitutio inter Decretales circa decimas Novalium a quibus Cartusienses immunes esse vult. Statuerat enim ut « Indultum illud Apostolicum quod plerisque conceditur, ut Novalium decimas pro ea portione percipere valeant qua veteres eas contingunt, ad alias Novalium decimas non se extenderet. » Itemque, « quod Indultum obtentum ab iis qui tempore impetrationis totaliter veteres percipiebant decimas, ultra medietatem decimarum Novalium nullatenus extenderetur. » Et post pauca : « Religiosos tamen Cisterciensis et Cartusiensis Ordinum statuto et declaratione hujusmodi (quantum ad hos duos articulos videlicet de medietate decimarum Novalium) comprehendi nolumus et constringi. » Hæc Alexander.

Tit. 13, de Decimis, primitiis etc. in Sexto, cap. 2. Statuto perpetuo.

II. Hoc anno Petrus Vachi miles de Scalis, alterius ejusdem nominis de quo diximus ante biennium patruelis, in gratiam Humberti militis, patris sui, apud Cartusiam tunc Conversi, bona quæ habebat in Rucheria intra Cartusiæ terminos, Rifferio Priori concessit, positus tunc in magno Hospitio,

HUMBERTUS DE VACHI CONVERSUS CARTUSIÆ FLORET.

28 c

ANNUS
1260

scriptisque litteris ejusdem prorsus tenoris ac illæ quas anno 1258 dedimus: cuncta confirmante Humberto Vachi milite ejusdem benefactoris patre; præsentibus etiam venerabili Patre Falcone episcopo Gratianopolitano, Willelmo monacho et Procuratore, Humberto de Scalis præfati Petri patre, Guifredo de Bineu et Nicolao Conversis, Aymone de Corbel domicello de Scalis, Petro Gervasii de Rucheria et quibusdam aliis. Eodem vero tempore Guillelmus de Scalis miles, quidquid juris in quodam prato ab eodem Petro Vachi concesso habere videbatur libenter renunciavit, intuitu fratris sui Antelmi tunc Cartusiæ Vallis S. Hugonis Prioris, ut ex tabulis sequentibus apparet:

Guillelm. de Scalis Cartusiæ benefactor.

« Ego Guillermus de Scalis miles, publice confiteor et recognosco quod pratum situm in Rucheria in territorio de Scalis, pertinet ad Domum Cartusiæ prætextu donationis quam dominus Petrus Vachi miles fecit eidem Domui Cartusiæ de universis quæ ipse habebat in dicta Rucheria cum ejus appenditiis universis, domino Humberto Vachi patre ipsius domini Petri facto Converso ejusdem Domus; ad quem dominum Petrum tam pro se quam pro dicto Ruffo homine suo prænominatum pratum pertinebat. Recognoscens etiam et asserens ego præfatus Guillermus, me nihil juris habere in eodem prato, etc. Et si forte aliquid juris, dominii, rationis, habeo vel habere possum quoquo modo in dicto prato, ejus appenditiis, illud totum do, cedo et concedo, quitto totaliter et libere dictæ Domui Cartusiæ, etc. Hoc factum fuit in cœmeterio S. Christophori prope Scalas, in præsentia Domni Antelmi fratris mei tunc Prioris Vallis S. Hugonis, domini Guigonis Clavelli capellani S. Christophori, domini Petri Vachi militis, et fratrum Nicolai et Guillermi Conversorum Cartusiæ et fratris Joannis Chatberti Conversi Vallis S. Hugonis. Confiteor etiam ego dictus Guillermus et recognosco me habuisse et recepisse a Fratribus Cartusiæ sexaginta solidos viennenses pro quittatione dicti prati; et Amedeus et Radulphus filii mei habuerunt et receperunt quinque solidos. Et dictus Venthona ministralis meus ha-

buit ob hoc unum caseum, etc. Datum et actum anno MCCLX. » ANNUS 1260

III. Hæc bona ad sublevandam Domus suæ paupertatem veluti omnino necessaria recepit noster Rifferius; nec ad illa comparanda ulla potuit opum impelli aviditate, cum eodem tempore præclaro ostenderit facinore quantum haberet animum ab omni cupiditate alienum, quamque esset Statutorum ac paternarum traditionum observantissimus. Cum enim Beatrix a Sabaudia, Thomæ filia ac Raymundi Berengarii Provinciæ comitis vidua, in Nos propensa mausoleum in Cartusiæ ecclesia sibi optaret erigi; respuit ille, nec muneribus ab ea oblatis flecti potuit, quod nulla hactenus mulier juxta Patrum traditionem ac prohibitionem apud Cartusiam sepulturam habuisse reperiretur. Ad optata facilius adipiscenda obtulerat pia ac benefica Princeps castrum suum de Scalis, cum mero ac mixto imperio ac dominio cunctisque illius pertinentiis; sed omnia pari humilitate ac constantia Rifferius repudiavit.

BONA A COMITISSA PROVINCIÆ OBLATA RIFFERIUS RESPUIT.

Nihilominus ut saltem aliquod suæ erga Nos benevolentiæ monumentum Beatrix relinqueret, terras, homines, cunctasque possessiones, quas ditioni Scalarum subditas hactenus Nostri habuerant, ab omni sua jurisdictione et dominio exemit; ut ex subjecto diplomate apparet :

Quædam licita accipit.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Quæ in tempore fiunt, ne labantur cum tempore, poni solent in lingua testium aut scripturæ testimonio perennari. Ea propter noverint universi præsentes et posteri, quod anno MCCLXIV, Idus Novembris, nos Beatrix relicta inclytæ recordationis domini Raymundi Berengarii comitis Provinciæ, diem extremi examinis cupientes pietatis et misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris quod multiplicato fructu in cœlis recolligere valeamus: attendentes quod qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam; sic in remedium et salutem animæ meæ et dominæ matris meæ et domini Comitis antedicti et progenitorum nostrorum, ad

ANNUS 1260

laudem et gloriam Dei omnipotentis et gloriosæ Virginis Mariæ, donamus pura mente et irretractabili voluntate concedimus Deo et Domui seu Conventui Cartusiæ et fratri Aymaro de Groigno Converso Cartusiæ, recipienti nomine dictæ Domus et Conventus, dominium et seignioriam quodcumque et quamcumque super eos vel eorum homines et possessiones habemus, vel habere et tenere consuevimus, tam nos quam felicis recordationis Domina mater nostra, in castro de Scalis et ejus territorio seu districtu. Reddentes ex tunc eos plenæ libertati in perpetuum, ut nec nobis nec Hospitali S. Joannis cui castrum donavimus supradictum subsint, nec in pascuis nec censibus nec aliquo jugo vel genere servitutis submittantur. Eisdem quidquid juris vel dominii seu jurisdictionis vel seigniorìæ in eosdem Fratres vel homines et possessiones eorum habebamus vel habere consuevimus, in eos et dictam Domum plene, prout melius et plenius ad eorum utilitatem potest intelligi, transferentes; promittentes, etc. Actum apud Scalas in aula nostra, in præsentia testium subscriptorum, videlicet fratris Ferandi Majoris Præcentoris Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, fr. Rambaudi de Podio Michaele, fr. Paschalis de Valrias, domini Guigonis de Gebennis canonici Carnotensis, domini Jacobi Serene præpositi Ebredunensis, domini Artoudi de Dorchia, Petri de Cheveluto militis, Henrici de Turre clerici, domini Petri Vachi, domini Guillermi de Scalis, Aymonis de Corbellis et plurium aliorum; et mei Vincentii de Petra Castro, Imperialis aulæ et Comitis Marchi Notarii, etc. »

Paulo ante, id est 6 Idus ejusdem mensis, præfatum castrum cum omni dominio prædictis sancti Joannis Jerosolymitani Militibus concesserat cum hac restrictionis clausula : « Exceptis his quæ ad Domum Cartusiensem et Fratres ejus pertinent, quibus nullum intendimus præjudicium generare, nec in donatione hujusmodi concludere quoad aliqua quæ teneant vel possideant aut tenuerunt seu possederunt in dominio et seignioria castri de Scalis et territorii seu mandamenti et districtus ejusdem, etc. » Litteræ datæ sunt hoc præsenti

anno, non 1266 ut incaute posuit Guicheno non attendens annum Pontificatus Alexandri IV ibidem designari sextum, qui revera occurrit hoc anno. Testamentum suum Beatrix condidit post duos annos, suamque sepulturam elegit et accepit in ecclesia Scalarum in tumulo sumptuoso et magnifico qui perseveravit ad annum 1600, quo penitus bellorum tempore cum eodem templo destructus fuit. ANNUS 1260

IV. Circa hæc tempora quatuor Fratres Willelmitæ, sive Ordinis Sancti Guillelmi Aquitanorum ducis, simul eodem ardore et uno tempore conversi sunt ad Cartusiense Institutum. Horum duo primi, cæteris perseverantibus, tentatione aliqua pulsari cœperunt, de transmigrando iterum a Cartusiensibus ad Sancti Francisci Ordinem qui tunc ob famam sancti Bonaventuræ famosissimus erat; sed eorum unus tentatione mox profligata, ad alterum jam consiliis quibusdam secretioribus laborantem pro suo ad Ordinem Minorum transitu, doctam epistolam sive tractatum scripsit, cui titulus est: *Incipit tentatio cum consolatione cujusdam Monachi Cartusiensis, missa cuidam socio suo similiter tentato.* Hic codex ms. repertus est in cartusia Montis Dei in quo inter cætera dicit: « Quantas enim putamus terrarum partes pervolasse, quomodo quatuor Fratres juvenes jugum Domini ab adolescentia secundum Scripturæ consilium portare cupientes, de Ordine sancti Guillelmi unius Domus et Conventus, zelo perfectioris vitæ divinitus inspirati, de cœnobio ad eremum, de Congregatione ad solitudinem, ad Ordinem sanctum Cartusiensem infra unum annum per duas vices duo et duo simul se transtulerint, ut ibi primum patronum, beatissimum scilicet Guillelmum, perfectius quam in Ordine sui nominis, quantum ad solitariam et asperrimam vitam quam duxit, imitarentur, utque titulum eremiticæ sanctitatis quem in priori Ordine solo habuerunt nomine, vitæ merito vendicarent, etc. » Illius porro tentationis fundamentum in tribus consistebat. Primum, ut ex dato sibi scientiæ talento circa proximum fructuose laborarent. Secundum, ut ab omnibus importabilibus (ut dicebant) vitæ Cartusiensium eximerentur.

DUO FRATRES WILLELMITÆ AD NOS TRANSEUNT.

Ex ms. Montis Dei.

ANNUS 1260

Tertium vero, ut data vagandi licentia nonnunquam cum consanguineis atque notis conversarentur.

PARTHENIUM CELLÆ ROBAUDI CLUNIACENSIS ORDIN. FIT CARTUSIA.

V. Hoc anno, Cluniacense parthenium Ordini nostro adscribitur Cella Robaudi dictum, quod statim appellatum fuit cartusia Beatæ Mariæ de Cella Robaudi; in Provincia et episcopatu Forojuliensi sita, in loco amœnissimo sylvam hinc dividens, inde vallem pagis longe lateque præcinctam et flumine irriguam piscosissimo. Ejus cellulæ suis decorabantur hortulis fontibusque limpidissimis. Quinque leucis Forojulio, Draguiniano vix duabus abest, prope oppidulum dictum *les Arqs;* quod etiam a cartusia Vernensi leucis septem distat.

Wading. in Annal. Minor.

Hæc post centum et sexaginta annos a Nostris derelicta, nunc a Patribus Observantiæ Sancti Francisci habitatur. In ea vixerant olim, ut ex Wadingho discimus, Cluniacensis Ordinis Moniales; quæ cum in observantia nimis languescerent, nec spes esset propter nimiam earum paupertatem, splendoris pristinæ disciplinæ reducendi; venerabilis Mater India abbatissa monasterii de Subripis, cui Prioratus iste subditus erat, pietate in Ordinem nostrum permota, eumdem prioratum, de sui Conventus et Esmensardæ ultimæ Priorissæ consensu, hoc præsenti anno cartusiæ Bertaudi concessit ut nostri Instituti parthenium ibidem construeretur; sicut ex litteris inferius subjiciendis patebit. Deinde Joannes XXII, Summus Pontifex, qui ante tiaram adeptam dum Ecclesiæ præerat Forojuliensi nostrarum Monialium inopiam experientia noverat, ecclesiam Sancti Martini de Arcubus autoritate Apostolica eisdem adscripsit, ut suo dicemus tempore. Hanc porro Domum a prima fundatione sua divæ Catharinæ fuisse dicatam, ac proinde illius nomen semper habuisse omnes credunt; quod tamen constat ei tantum fuisse impositum ab eo tempore quo Sancti Francisci Observantiæ Patres ejusdem loci possessionem inierunt: nam post eorum introductionem, obtenta Alexandri sexti licentia (ut narrat laudatus Wadinghus) ecclesia consecrata est sub nomine Beatæ Catharinæ de Monte Syon et Beatæ Rosselinæ; cum antea Beatæ

V. an. 1323.

Mariæ, quando nostro Ordini tradita fuit, inscriberetur. Alterius vero appellationis, quæ est Cella Robaudi, originem non habemus; sed eam diversimode scriptam invenimus. In Cartulario abbatiæ S. Victoris Massiliensis extat Instrumentum, cujus apographum nobis suppeditavit vir clarissimus Ludovicus Antonius de Ruffi, « datum anno Incarnationis Dominicæ MXXXVIII, Nonas Februarii, feria II, in castro Marsensi, » quo instrumento hæc Domus probatur jam fundata fuisse ante ann. 1038 et nomen habuisse *Sala Rodbaldo;* ibi enim assignantur termini quarumdam terrarum : « ex una parte de una petra, quam vocant *Stantem,* antiquum indirectum usque in viam publicam, quæ venit de monasterio quod vocant Salam Rodbaldo usque ad pontem *de la Mota.* » Ab autoribus dicitur etiam Sala Rabaudi vel Sella Rebaudi, et per corruptionem *Sallobran,* sed sæpius Cella Robaudi, quo ultimo vocabulo usi sunt in Chartis capitularibus Patres, quos propterea sumus secuti.

ANNUS 1260

Tenor chartæ fundationis hujus parthenii talis est :

India Abbatissa de Subripis locum concedit.

Ex Archiv. Maj. Cart.

« In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo, Indictione tertia, secundo Calendas Aprilis. Notum sit cunctis hoc scriptum intuentibus, quod nos India abbatissa monasterii Sancti Petri de Subripis, Vapincensis diœcesis, attendentes ecclesiam nostram Beatæ Mariæ de Sala Rabaudi sitam in diœcesi Forojuliensi, quæ monasterio nostro prædicto subesse dignoscitur, paupertatis prætextu, fore aperte regulari observantia destitutam quæ in ea olim vigere non modicum consuevit; cupientes eamdem reducere ad statum antiquum, ut observentur in ipsa regularia instituta, ne quandiu ibidem esse poterunt Regulares, ad usus sæcularium aliquatenus convertatur; cum hoc per nos commode fieri non posset, quia proprie nobis non suppetunt facultates, et dicta ecclesia a dicto monasterio nimium sit remota : ideo nos prædicta India abbatissa, spontanea voluntate nostra, non coacta, nec dolo nec metu inducta, de consilio, consensu et voluntate nostri Conventus, scilicet Dominarum et Sororum nostrarum, Mateldæ

ANNUS 1260

sacristinæ, Bertaudæ de Rocabruna, Dulciæ de Tarido, Aicelenæ, Bertrandæ de Massilia, Folcotinæ, Esmensardæ de Massilia, Mariæ, Esmensardæ Priorissæ dictæ ecclesiæ, Beatricis, Bardoinæ, et de consensu pervenerabilis Patris domini Othonis episcopi Vapincensis Diœcesani nostri : donamus seu conferimus, et perpetuo habere concedimus ecclesiam nostram supradictam Beatæ Mariæ de Sala Robaudo cum omnibus suis pertinentiis, scilicet decimis, primitiis et oblationibus, terris cultis et incultis, pratis, nemoribus seu defensis, et demum cum omnibus juribus tam corporalibus quam incorporalibus ad dictam ecclesiam pertinentibus, ad honorem Dei et ejus matris Virginis gloriosæ, Ordini Cartusiensi et specialiter Domui seu monasterio de Bertaudo Ordinis supradicti, et fratri Durando Clari procuratori generali Domus prædictæ de Bertaudo præsenti et recipienti nomine dictæ Domus, ecclesiam supradictam, ut per dictum Ordinem et Domum prædictam ejusdem Ordinis, construatur et ædificetur, quæ in ipso regulariter vivant, et gratum valeant impendere Domino famulatum.

Quibus conditionibus.

« Retinentes tamen in dicta ecclesia et ejus pertinentiis quinque solidos turonenses, annis singulis in Natali Domini nobis et monasterio nostro in perpetuum asportandis, solvendis et reddendis nomine sponsionis sive census, hoc acto specialiter expresso. Quod si aliquo modo contingeret dictum monasterium de Sala Robaudo dictum censum quinque solidorum non solvere per biennium, vel triennium vel ultra, non ob hoc incideret in commissum nec infringeretur aliquid de prædictis nec infra scriptis, sed solummodo teneretur solvere censum tunc temporis præteriti cum expensis, damno et interesse. Item quod ob dictam retentionem census quinque solidorum, monasterium Sancti Petri de Subripis non possit nec debeat habere aliquid ultra dictum censum in dicto monasterio de Sala Robaudo, nec in rebus seu juribus ejusdem, nec obedientiam vel laudimium, nec visitationem nec aliquod dominium seu senoriam, nec aliquid quocumque modo dici seu cogitari possit, salvo eo quod de duabus Dominabus nostris actum est, quibus debet quandiu vixerint

dictum monasterium de Sala Robaudo in necessariis providere. De qua ecclesia, rebus et juribus et prædictis omnibus et singulis, salvo dicto censu, devestimus nos et monasterium nostrum et quæ futuris temporibus loco nostro successerint, et investimus in perpetuum dictum Durandum nomine Dominæ Elisabeth Priorissæ et Conventus monasterii de Bertaudo, et dictum monasterium et nomine earum quæ futuris temporibus loco suo successerint; et damus eidem licentiam autoritate sua apprehendendi possessionem dictæ ecclesiæ, rerum et jurium et prædictorum omnium et singulorum; et constituimus nos possidere pro ipso Durando et dicto monasterio de Bertaudo donec possessione...., vel quæ apprehenderint de prædictis. Et ex certiorata et ex certa scientia, nomine nostro et Conventus et monasterii nostri et earum quæ futuris temporibus loco nostro successerint, renuntiamus legi dicenti donationes ob certas causas ingratitudinis revocari, et legi dicenti donationem debere insinuari, et ne possemus dicere nos fecisse sine justa et legitima causa nec immensam fecisse donationem, et juri dicenti delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debere, et quod Prælatus non possit facere deteriorem conditionem suæ Ecclesiæ; item beneficio restitutionis in integrum ne possimus dicere in prædictis Ecclesiam fore læsam; et exceptioni doli, metus et omni exceptioni juris canonici et civilis, quo vel quibus nos et monasterium nostrum possemus dicere deceptum fuisse in aliquo de prædictis. Et de mandato nostro et voluntate, Domina Bertranda de Rocabruna, monialis nostra, in animam nostram et totius Conventus prædicti monasterii de Subripis, juravit prædicta omnia universa et singula in perpetuum firma et illibata tenere et non contravenire et dicere, tactis corporaliter Evangeliis sacrosanctis.

ANNUS 1260

« Quam donationem nos prædictus frater Durandus, nomine Domus nostræ de Bertaudo prædictæ et Ordinis nostri Cartusiensis recipimus; et de speciali mandato Dominæ Elisabeth Priorissæ Domus nostræ prædictæ de Bertaudo et Conventus ejusdem, et nomine dictæ Domus ad prædicta omnia com-

Donationem recipit nomine Ordinis F. Durandus Clari.

ANNUS 1260

plenda specialiter nos et prædictam Domum obligamus, et promittimus vobis, Dominæ Indiæ abbatissæ, nomine vestro et monasterii vestri prædicti per stipulationem solemnem, nomine et mandato quo supra, in dicta ecclesia monasterium ædificare et construere, in quo Moniales et Dominæ nostri Ordinis Cartusiensis habitare valeant et vitam ducere regularem; et vobis et monasterio vestro dictam pensionem sive censum quinque solidorum turonensium per vos retentam et servatam, in ecclesia supradicta solvere et reddere forma et modo prædicto, et ad monasterium vestrum propriis expensis dictæ ecclesiæ seu Domus de Sala Rabaudo vel Domus de Bertaudo prædictæ asportare seu mittere, annis singulis, die ad hoc superius assignata. Actum apud monasterium prædictum de Subripis in ecclesia Sancti Petri, in præsentia testium subscriptorum specialiter ad hoc vocatorum et rogatorum, scilicet Durandi Maurini capellani dicti monasterii, Antonii diaconi, Joannis Garini, Jacobi Arnaudi, Arnulphi, Poncii Juandi. In cujus rei testimonium et perpetuam firmitatem habendam nos prædicta Abbatissa sigillum nostrum apponi jussimus huic cartæ, et supplicando rogamus venerabilem Patrem nostrum Dominum Othonem Vapincensem episcopum Diœcesanum nostrum, et venerabilem Patrem Domnum Episcopum Forojuliensem in cujus diœcesi dicta ecclesia de Sala Robaudo sita est, chartæ præsenti ut sua et Capituli Forojuliensis ad majorem firmitatem et testimonium rei gestæ apponant sigilla. »

SCRIPTORUM ERRORES CIRCA TEMPUS FUNDATÆ CARTUSIÆ.

VI. Ex hoc Instrumento patet quantum allucinati sunt qui hujus cartusiæ ædificationem referunt ad initia hujus seculi : quorum allucinationem inde provenisse puto, quod ignoraverint tum primam fundationem ante annum 1038 factam, tum Monialium ad Cluniacensium Institutum translationem ad sextum præsentis seculi annum ab eodem Wadingo relatum, ac proinde tempus quo Cartusienses Moniales in hanc Domum introductæ fuerunt, confuderunt cum anno quo Moniales Cluniacensium Ordinem amplexæ sunt. Sed in errorem priore crassiorem ac prorsus inexcusabilem prolapsi

sunt, cum hanc Domum fundatam dicunt impensis Allionis de Villanova magni Rhodiensium Equitum Magistri, quem tum ex Rhodiensis Ordinis scriptoribus, tum ex nostris Chartis capitularibus constat tantum post centum quadraginta annos et amplius obiisse. Ex hoc errore in tertium velut ex necessaria connexione impingentes, dicunt B. Rosselinam hujus cartusiæ Priorissam eodem anno 1206 esse mortuam, quam vixisse usque ad annum sequentis seculi vigesimum nonum probabimus.

ANNUS 1260

Sed præstat scriptorum qui hujus Domus meminerunt verba recensere; ac primum nostrum Molinum audiamus:

Molin. hist. ms.

« Cartusia Sanctæ Catharinæ Cellæ Robaudi prope *Les Ars*, constructa fuit impensis domini Allionis de Villanova quondam magni Rhodianorum Magistri fratrisque Beatæ Rosselinæ, anno 1200. Cujus ecclesiæ dedicatio celebrata fuit die quinta Junii per R. P. Eleazarum de Villanova episcopum Diniensem fratrem ejusdem virginis Rosselinæ, ut scriptum super portam chori ejusdem ecclesiæ in qua corpus prætactæ virginis integrum servatur, oculis exceptis qui reservantur in illius sacristia. Sepulchri sponsæ Christi epitaphium tale dignoscitur: *Hic jacet corpus sanctæ Rosselinæ quæ obiit anno 1206*. Perseveravit illud monasterium sub Brunoniana ditione usque ad annum 1419, sub dispositione provinciæ Provinciæ; nam quæ sequuntur reperiuntur in Carta Capituli nostri generalis anni 1419: De facto Domus Cellæ Robaudi committitur Visitatoribus qui habebunt disponere. Patres Observantiæ Sancti Francisci fuerunt postea in possessione hujus monasterii non autem a principio fundationis, ut dicere voluerunt; nondum enim nati erant, siquidem Ordo Franciscanorum initium tantum habuit 1209. » Hæc Molinus in sua Historia ms., qui deceptus est tum ex inscriptione portæ chori ecclesiæ inhærente, tum ex epitaphio Beatæ Rosselinæ; nam si utrumque cautius discussisset, non dubium quin ea judicasset recentiora. Nec certe ipsummet epitaphium a morte Beatæ Rosselinæ ejus sepulchro apponi potuit, cum Sancta dicatur, quod procul dubio

ANNUS 1260

nostri Patres tunc temporis non permisissent; sed ejusmodi elogium longe post ab ipsismet Patribus Franciscanis conscriptum fuisse credendum est, quando Beatæ virginis corpus in alium locum transtulerunt.

Origin.Cart. ms.

In *Originibus Cartusiarum* mss. hæc habentur de hac Domo et de beata Rosselina : « Domus sanctæ Catharinæ Cellæ Robaudi, prope oppidum des Ars in Provincia et diœcesi Forojuliensi (a qua urbe quinque leucis distat), constructa fuit anno 1200 impensis domini Allionis de Villanova magni Rhodianorum Equitum Magistri, fratris beatæ Rosselinæ quæ ibi obiit anno 1206 ; cujus corpus post 25 annos illæsum et incorruptum ab Episcopo Massiliensi a terra elevatum est anno 1231, ibique servatur integrum, multis etiam nunc coruscans miraculis. » Hæc ibi, quæ noster Alfaura de verbo ad verbum exscripsit in suis *Originibus*. Sed cum prius fundationis annum examinasset cum tempore quo vixit Allio de Villanova, errorem chronologiæ vitare volens annum fundationis signavit 1300, tempus vero mortis B. Rosselinæ tacuit.

Alfaura.

Annal. Minor. ad ann. 1504. num. 50.

Lucas Wadinghus, autor alias accuratissimus, de introductione suorum in hanc domum agens sic loquitur : « Introducti sunt hoc anno Fratres Observantes in monasterium insigne sanctæ Catharinæ de Monte Syon Cellæ Robaudi, olim sub anno 1206 pro Monialibus Ordinis Cluniacensis extructum per Illust. virum Allionem de Villanova Magnum Rhodi Magistrum, in loco campestri, amœno tamen et omni arborum specie gratissimo, inter Forojulium et Draguignanum, in diœcesi Forojuliensi. Moniales ad alium locum securiorem transferri curavit Ludovicus de Villanova marchio Transiensis sub annum 1501. Obtenta Alexandri VI licentia ecclesia consecrata est, sub nomine B. Catharinæ de Monte Syon et B. Rosselinæ quondam abbatissæ dicti Monasterii, per Eleazarium de Villanova fratrem Allionis fundatoris. Corpus Rosselinæ integrum et odoriferum ibi asservatur honorifice et reverenter, licet non sit cœlitibus ex ritu Ecclesiæ connumerata. » Hæc Wadinghus, qui forte non errat dicens Domum extructam, sive potius concessam, anno 1206 Mo-

nialibus Cluniacensibus, sed cum ignoraverit eam postea traditam nostro Ordini, hinc in alios errores incidit quos ex supra recensitis facile est emendare. Sed de his satis. ANNUS 1260

Sub initium seculi quinti decimi cum Patres nostri hujus Domus Moniales vidissent in dies fieri Cartusiensis disciplinæ impatientes, « prohibent attento statu Domus Cellæ Robaudi ne aliqua Monialis de novo recipiatur in eadem. Pro quo statu videndo transeat per eam post Capitulum generale Prior Bonipassus, et R. Patri Cartusiæ referat. » Et rursum post tres annos, « injungitur Vicario et Rectorissæ Domus Cellæ Robaudi sub pœna excommunicationis ut nullam ad Ordinem recipiant. » Denique anno vigesimo ejusdem seculi, « Vicario fit misericordia, et de illa Domo dimittenda committitur Priori Vernæ. » Vicarius vero absolutus vocabatur Stephanus Scarini, qui per eamdem Chartam institutus est Prior Domus Montis Rivi ad quam videtur quædam bona mobilia hujus parthenii secum asportasse. Nam ejus successori in prioratu Montis Rivi præcipitur per Chartam, « ut expediat Priori Vernæ de bonis quæ tenet a Domo Cellæ Robaudi, unum calicem, tabulam depictam in qua est *Pietas,* unam cappam floridam, et casulam rubeam vel albam, et unum breviarium. » Hæc ita videntur præcepta ut hujusmodi bona Monialibus restituerentur. Hæ igitur Moniales a sua primæva pietate ad solutiorem vitam deflectentes, et ad monita Patrum obdurescentes, ab Ordine flecti nesciæ derelictæ sunt; quemadmodum et a Benedictinis Lerinensibus, quibus se subjecerant, ut in veteri codice dicitur. Hi enim effrænatæ earumdem licentiæ pertæsi, suam illis curam etiam subtraxere anno 1459; quo quidem anno Forojuliensis Episcopi directionem velut Ordinarii superioris subierunt. Sed augente in dies temporum miseria, ad tantam paupertatem redactæ sunt, ut nulla ad habitum recepta, sensim extinctæ fuerint; monasterio tandem bellis accidentibus everso, et sola remanente ecclesia. Dominus de Trans et des Arcqs locorum adjacentium necnon familiæ de Villanova hæres præcipuus, ex cartusiæ ruinis cœnobium construi jussit quod Franciscanis Patribus concessum,

Quando hæc Domus ab Ordine defecit.

Ex ch. 1404.

Ex ch. 1407.

Ex ch. 1420.

Ex ch. 1423.

Ex ms. Cart. Durbon.

ANNUS 1260

ab iisdem hodieque occupatur ab initiis seculi sexti decimi, ut habet Wadinghus loco citato.

PRIORES MONIALIBUS PRÆFICIUNTUR.

VII. Circa præsentem annum cœpit mutari Monialium nostrarum regimen. Ex eo enim tempore quo Pratibajonenses Virgines Ordini nostro se dediderant usque ad præsens tempus, per clericos Redditos (quorum quidam sacerdotio initiati vocabantur Capellani) sub Visitatorum ab Ordine delegatorum potestate gubernatæ fuerant, neque hactenus ullum apud eas Monachum degere Patres siverant. Verum cum successu temporis vidissent hujusmodi Capellanos plus sua quærere quam quæ Jesu Christi, tandem velut coacti, et « ne ex aliqua circa eas negligentia (ut noster Rifferius loquitur) graviter remanerent obligati in die judicii coram Sponso earum Domino Jesu Christo, » sui muneris esse censuerunt ut Monachum cuilibet parthenoni præficerent, qui jugiter ibidem residens, Moniales ad pietatis et nostræ Regulæ normam dirigeret, et clericis Redditis ac Conversis totique familiæ præesset cum Prioris nomine et potestate. Non placuit cunctis Monialibus hujusmodi regiminis mutatio; quarum quædam postea spreto Ordinis mandato, missos ad se Priores admittere recusarunt. Quamobrem Capitulum generale decrevit « ut Moniales Ordinis nostri compellantur per sententiam excommunicationis ad recipiendum Priores et ad obediendum eis. » Et ut jugum eorum facilius subirent, per eamdem Chartam capitularem « conceditur eisdem Monialibus, ut gaudeant eadem libertate eligendi Priorem, qua gaudet totus Ordo. Et ipsi Priores, quos habent modo, remaneant quousque removeantur per Cap. generale. » Huic decreto omnes obedierunt exceptis Pratibajonensibus, quæ inde exacerbatæ Priores et postea Vicarios (quos infra videbimus in Priorum locum substitui) videntur ejecisse, ita ut sententia excommunicationis se percuti passæ sint ac tandem a nostra societate secludi. Verum aliæ et imprimis Pratimollenses tanquam obedientiæ et humilitatis filiæ, Ordinis voluntati se submiserunt, ut ex earum probatur tabulario, in quo quatuor Priorum occurrunt nomina, qui eidem Domui præfuerunt a præsenti anno ad

Stat. An. p. 2. c. 34. n. 10.

Ex ch. 1276.

annum hujus seculi octuagesimum tertium, quo in Priorum locum Vicarii suffecti sunt.

ANNUS 1260

Quando Vicarii in eorum loco instituti.

Cum enim Prioris titulus nonnihil invidiæ parere videretur, visum est Patribus illum in Vicarii titulum convertere; licet revera nominis tantum fuerit mutatio non potestatis. Vicario Monachi aliquot adjuncti sunt, qui operam suam eis navarent, tum in cura animarum tum in observationibus Ordinis simul exequendis. Et ne Priorissæ aliquid sibi in Monachos et cæteras nostri sexus personas autoritatem vindicarent, « ordinatum est per Diffinitores Capituli gen. quod Monachi qui sunt in Domibus Monialium, Capellani, Conversi et Redditi faciant obedientiam Vicario tantum. » Similiter ordinatum est « quod Priorissa sola promittat obedientiam Vicario. » Et quod pariter æquissimum erat, additur e contrario « quod Moniales promittant obedientiam tantummodo Priorissæ. » Adeo grata fuit Monialibus Vicariorum institutio, quippe qui earum conscientiam rectius sanctiusque regerent, ut nihil magis sibi metuerent quam eorum abrogationem. Quamobrem cum aliquas earum in officio Patres vellent continere, eis comminabantur, imo et ordinabant « quod quandocumque ex nunc invenietur talem culpam in aliqua Domo Monialium nostri Ordinis contigisse, ex tunc priventur Vicario habito et habendo, Monachis habitis et habendis; et redeant ad antiquum statum in quo contentæ erant, scilicet Visitatoribus et Redditis Capellanis. » Ab eo igitur tempore in hanc usque horam Vicarii, qui et modo Superiores simul appellantur, tribus aut quatuor Monachis adjuti, sapienter res earum tum spirituales tum temporales moderantur; quibus ab initio fere eorum institutionis, « concessa est eadem potestas in foro pœnitentiali quoad Moniales, Monachos, et alias personas Ordinis cum Monialibus habitantes, quam habent Priores ergo suos subditos. »

Ex ch. 1297.

Ex ch. 1304.

Ex ch. 1337.

JESU CHRISTI

ANNUS 1261.

Alexandri PP. IV Ann. 7.	Ordin. Cartus. Ann. 178.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 6.

ALEXANDER IV MORITUR.

I. ANNO Christianæ salutis sexagesimo primo post millesimum ducentesimum, Indictione quarta, Alexander Summus Pontifex, expletis omnibus optimi Pontificis numeris, e vivis excessit Viterbii octavo Calendas Junii. Eo mortuo Sedes Apostolica tribus mensibus vacavit, tandemque mense Augusto Joannes Hierosolymitanus Patriarcha eligitur, dictus Urbanus IV.

Urbanus IV succedit.

ADEMARUS COMES VALENT. FAUTOR CARTUSIÆ.

II. Hoc anno, tempore Capituli generalis, adfuit Cartusiæ illustris princeps Ademarus de Pictavis, comes Valentinensis, qui læti sui adventus pignora dare cupiens, in gratiam Majoris Cartusiæ sequens concessit privilegium :

« Noverint universi, etc., quod ego Ademarus de Pictavis, comes Valentinensis, intuitu et amore Dei ac pro mea meorumque parentum et carorum salute, dono et concedo in perpetuam eleemosynam Deo et Domui Cartusiæ et Fratribus ejusdem tam præsentibus quam futuris, plenam securitatem et immunitatem per omnem terram et locum dominii et potestatis meæ, recipiendo sub fideli protectione ac defensione mea, et absolvendo ipsam et liberam faciendo ab omni pedagio et omni omnino præstatione quod vel quæ currit vel in perpetuum currere poterit, quandocumque ipsa Domus imposterum faciet portari, duci vel reduci sive per terram sive per aquam sub omni dominio et potestate mea sal eorum, animalia cujuscumque generis et generaliter quæcumque alia

prædictæ Domus propria erunt et ad usus eorum pertinebunt... Hanc autem eleemosynam et donationem meam promitto, bona fide, me in perpetuum ratam habere et nunquam contravenire. Ad hoc idem omnes fideles, hæredes et successores meos astringendo, sub attestatione divini Judicii et fidelitatis quam debent et debebunt Deo et mihi, etc. Actum anno MCCLXI, mense Maii, in claustro Cartusiæ, præsentibus R. Priore Cartusiæ et Conventu ejusdem loci, et Richerio Priore Majorævi, Martino Priore Vallis sancti Petri, et Matthæo Priore Apponiaci; et etiam præsentibus militibus Aymone de Rochemoera, et Arnaldo Berlionis de Clairiaco, et Amedeo filio ejusdem Arnaldi. »

ANNUS 1261

Unde ejus erga nos affectus.

Hic Ademarus videtur esse filius Philippæ cujus pater, Guillelmus Jordani, Domum Bonæfidei, ut suo loco diximus, fundaverat. Ipse vero Ademarus conjugem habuit Floriam Humberti de Bellojoco filiam, quem Humbertum etiam alibi vidimus Moniales Poletenses fundasse. Unde non mirum si Ademarus erga Nostros et maxime erga Majorem Cartusiam tam bene affectus fuit. Ejus beneficiorum Nostri non immemores, preces pro eo per totum Ordinem aliquando indixerant, ut fidem faciunt Chartæ capitulares in quibus « Dominus Aymarus de Poitiers (sunt Chartæ verba) et uxor ejus associatur Missæ de B. Virgine Maria, quæ pro Comitissa Sabaudiæ in singulis Ordinis Domibus erat dicenda. » De Ademari et Floriæ successoribus diximus cum egimus de Domus Poletensis fundatione. In quadam Charta preces imperantur « pro illustri domina Margareta comitissa Valentinensi et Diensi et pro quibus intendit orari. » Hujus Margaretæ non meminit Duchenius.

Ex ch. 1258.

Ex ch. 1314.

DE QUODAM MONACHO DOMUS BELLILARICI B. VIRG. MARIÆ DEVOTISSIMO.

III. Circa hæc tempora florebat in Bellilarici Domo quidam Cartusiensis Monachus ab infantia sua erga B. Virginem pie affectus, de quo autor Chronici ejusdem Domus eodem vivens tempore hæc narrat :

Sap. 10. 21.

« Scripturus de quodam Monacho, inspirante Ipso qui linguas infantium facit disertas et mutos loqui, illa quæ de eo vera sensi et ab ipso didici, pro modulo meo succe-

ANNUS 1261

Psal. 106. 8. et 147. 10.

dentium memoriæ commendabo; ut videlicet confiteantur Domino misericordiæ ejus et mirabilia ejus filiis hominum, et Sancti ejus benedicant ei. Igitur ille Monachus antequam Ordinem ingrederetur, cum jam litteras didicisset, cœpit ante altare et imaginem dulcissimæ Virginis et genitricis Dei Mariæ Reginæque cœli et terræ humiliter genua flectere, junctis manibus, directis ad illam oculis confidenter aspicere, et illud gloriosissimum *Ave,* quod Gabrielis dulciter sumpserat ab ore, supplicando sæpius ac venerabiliter præsentare. Cumque huic tam sancto exercitio devotus ac sedulus insisteret, nocte illa quæ diem sabbati præcedit, in qua potissimum die pretiosissimam Dominam nostram gloriosius laudare, benedicere et prædicare Sancta consuevit Ecclesia, vidit per somnium se esse superpelliceo quodam candido atque desuper cappa rotunda et nigra vestitum; ita ut a parte pedum inferius, superpelliceum candidum ipsa cappa longius circumquaque videretur. Sed et per aperturam quoque ejus cappæ superius, per quam manus ab intus foras extrahuntur, candor manicarum superpellicii apparebat. Tali itaque vestitus indumento incedebat juxta rubum quemdam condensis spinarum aculeis refertum a sinistris, a dextris vero spatiosa pratorum virentium amœnitas quam plurimum sibi complacens arridebat.

S. Maria cum filio ei apparet adhuc puero.

Et ecce excellentissima summi Regis Mater et filia, prædulcissima Virgo Maria, Filium Dei unigenitum habens sedentem in gremio, apparere ei dignata est; ita elevatis scilicet paululum brachiis manibusque ad eum extensis, ut profecto intelligeret quod ad eam advocatus accedere debuisset. Quam cum aspexisset, et eam Matrem esse gratiæ et misericordiæ veraciter percepisset, statim se cappa illa exspoliavit et in terram projecit; et sic in superpelliceo candido remanens, et totus sine macula in albis apparens, ad eam elevatis in altum brachiis quantocyus potuit cucurrit, ac si eam vellet perdulciter amplexari. Sed quid? Tanta mentis suavitate, tanta animæ exultatione, tanto gaudio in Spiritu Sancto, tantoque ineffabili cordis jubilo in hac exspoliatione et occursu concito absorptus et repletus extitit, ut totus exutus a corpore sibi-

met videretur. » Deinde multis hujus visionis mysterium explicat autor, additque pium hunc monachum nunquam ulli plane mortalium, nisi ipsi tantummodo toto vitæ suæ tempore eamdem visionem voluisse revelare. Et certe quo secretius apud homines se occultabat, eo apud Deum clarius elucebat.

ANNUS 1261

« Cum autem divina miseratione inspiratus ad sacræ Religionis perfectissimum gremium convolasset, cœpit recogitare omnes annos suos in amaritudine animæ suæ. Et quia venit tempus miserendi ejus, primo proposuit in animo ut quinquies illam salutiferam beatæ Imperatricis et perpetuæ genitricis Mariæ salutationem, genu flexo, devote horis singulis exsolveret. Sed facta postmodum generali confessione, crescente pariter quotidie piæ devotionis fervore, aggrediens iter securus viator quo ostendit illi Dominus salutare suum; ut profecto illic suam, quæ sibi apparuerat, dulcissimam Dominam majore laudis sacrificio amplius honorificet, elegit ex intimo cordis affectu illud *Ave* Angelicum cum beatificatione sanctissimi fructus ventris ejus tam de die quam de nocte centies præsentare ; adjiciens etiam huic tam sancto operi hanc humillimæ devotionis et venerationis formam, quatenus videlicet ad singulas salutationes, nudato capite, genua flecteret, junctas manus haberet, osculum terræ, ligno vel lapidi daret, prout scilicet orandi locus se offerret. Quandoque etiam dulcis fons lacrymarum faciem exterius irrigaret et animam interius dulcoraret. Recordabatur etiam se in miraculis beatæ Mariæ Virginis legisse, hanc mundi Reginam cuidam Sanctimoniali devote apparuisse et eam verbis consolatoriis præmonitam fuisse, ut videlicet, si ea vellet, quæ sibi impendebat, servitia magis ei proficere et eidem Virgini amplius complacere, non tam velociter de cætero *Ave Maria* pronunciaret, sed maxime cum diceret *Dominus tecum,* lentius recitaret. Quia, ut aiebat, modus hujus gaudii quem tunc ab Angelo suscepi, ullis non potest vocibus proferri. Et sicut mihi tunc gaudium fuit ineffabile, sic et nunc cum mihi dicitur attentius *Dominus tecum* Angelica salutatione. Unde et

Quanta pietate salutationem Angelicam colit.

Isaï. 38. 15.

Centies in die eam recitat.

ANNUS 1261

hic homo Dei hoc exemplo in amorem Deiparæ Virginis in tantum ardentior effectus est, ut cum diceret *Dominus tecum*, ab hac syllaba *Te* usque ad sequentem syllabam *cum*, morosam cum cordis dulcedine et oris aspiratione faceret stationem, et protraheret dictionem. In festo autem Assumptionis ejusdem Virginis, quolibet anno, eamdem sanctæ salutationis consuetudinem duplicans, scilicet bis centies eam affectu ferventiori huic tam excellentissimæ Dominæ persolvere conabatur, cæteris vero octavarum diebus, septies viginti vicibus illam gloriosam honore consimili salutabat. Similiter et in aliis ejusdem venerandæ Virginis festivitatibus idipsum opus pio desiderio peragebat. In hoc namque tam sanctæ servitutis officio per triginta annos et amplius, ut credo, infatigabili fervore perseveravit. Quod si forte aliquoties infirmitate corporali vel negotio temporali detentus, numerum prætaxatum minime perficeret, quam cito poterat, recuperare festinabat. Hanc ergo, Fratres charissimi, mirabilem visionem ideo sub silentio pertransire nolui, ut et nos tam sanctum istius viri Dei imitemur exemplum, quatenus saluberrimis ejusdem beatæ Virginis salutationibus jugiter intenti, ab ea de hoste protegi et in hora mortis suscipi mereamur, Amen.

VARIIS TENTATIONIBUS AB INGRESSU ORDINIS RETARDATUR.

IV. « Cum autem placuit Deo, qui istum sanctum Dei virum segregavit de utero matris suæ et inspiravit in cor ejus ut exiens de terra Ægypti, id est de hoc nequam præsenti sæculo, ad terram promissionis ascenderet, ad tutissimum scilicet sanctæ Religionis portum ; petita sibi fraternitate Ordinis et concessa, datoque ei etiam tempore sua disponendi, simulque assignato termino revertendi et sumendi habitum Ordinis ; ecce statim adfuit totius boni insidiator callidus et turbator. Tanta siquidem continuo mœstitia subrepsit in mente, tantus diversarum cogitationum tumultus versabatur in corde, ut jam fractus animo et pene exanimatus, pœniteret se votum intrandi Religionem unquam fecisse. Unde cum ad disponendum de rebus suis, vel reconciliari fratri suo, vel quod fraude ei subtraxerat saltem simplum restituere, reverteretur; semetipsum reprehendebat dicens : Quid est quod fecisti ? ut

quid, qui liber eras et ambulare poteras quo volebas, nonne cinget te alius et ducet quo tu non vis? Certe uxorem de cætero ducere non poteris, hujuscemodi sponsione voti irrevocabiliter obligatus. Quin imo ad aliam, si non poteris istam sustinere, oportet te ex inevitabili necessitate transire Religionem qualibet mitiorem. Tunc enim temporis erat mos Religionis celebris, ut quicumque se voto intraturum Religionem astringeret, si nimis sibi Ordo austerus videretur, ad alium saltem Ordinem leviorem descendere teneretur. Toto itaque illo tempore quo pro expediendis rebus suis in sæculo demoratus est, totus in hujusmodi agone certaminis positus, fallacis inimici suggestionibus et illecebris carnalibus, prout poterat, repugnabat. Imo pavore et tristi sollicitudine horas, dies, hebdomadas discutiens, quando debuisset suscipi computabat. Sed cum dies ei assignatus assumendi habitum instaret nec ei amplius differre licuisset, arrepto itinere, solus per viam suam gradiens tota die illa apud semetipsum turbatus, importunis cogitationibus impugnabatur, et ex cordis intimo amaros gemitus et alta suspiria emittebat; unde et sæpius intra se cogitans et dolens dicebat: Cras hac ipsa die habitu alio, longe tuo dissimili vestieris. Aiebat enim, quod quanto dies suæ receptionis propinquabat, tanto acrius hostis antiquus ejus animum variis cogitationibus confundebat. Verumtamen hoc solum inter hæc omnia habebat dulcis consolationis refugium et refrigerium, quod videlicet consortio sanctissimi cujusdam viri, qui illum sacris suis exhortationibus ad Religionem attraxerat, sociandus esset pariter et jungendus. Propter quod et dulcissimum habebat in via illa qua ambulabat, recordari quantis precibus, quantisque Patrum exemplis et autoritatibus illum abstrahendo, ad Dominum (qui omnes vult salvos fieri) allexerat. Unde præter alia, ex illis Apostoli sententiis frequenter et affectuose illum consueverat exhortari dicens: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis; et, Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Ac demum his autoritatibus breve ac congruum tale supponebat

ANNUS 1261

Johan. 21. 18.

Votum olim novitiis Cartusiensibus peculiare.

Confirmatur exemplo cujusdam Cartusiensis sui amici.

Cujus piis colloquiis olim inflammatus fuerat.

Rom. 8. 18.

2. Timoth. 2. 5.

ANNUS 1261

Maxime exemplo cujusdam clerici.

exemplum : fuit quidam clericus dives et deliciosus, qui utique inspiratus a Domino considerare cœpit in animo, quod omnia vanitas, et cuncta quæ sub sole geruntur labor sit corporis et afflictio spiritus ; et quod grave sit jugum super filios Adam a die exitus eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Et illud Apostoli dicentis : Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. Nec non et illud beati Job : Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Despectis igitur cunctis facultatibus suis, cœpit ex proposito ad Fratrum quorumdam Religiosorum monasterium pergere, ut ibidem Deo cum dictis Fratribus regulariter deserviret. Ipso autem adhuc in itinere posito cœpit pavere et tædere. Et pœnitens, divitias quas deserebat ad memoriam revocare ; et sicut canis ad vomitum revertitur, sic et ipse primo ad propria quæ reliquerat reversus est. Secundo quoque ad seipsum rediens, recogitare cœpit omnes annos suos in amaritudine animæ suæ et quod sic in hoc sæculo diu non vivitur, sicut prius iter arripuit ; et iterum deceptus, tamquam sus in volutabro luti terrenis voluptatibus se involvens per aliquantulum temporis volutavit. Tertia vero vice se ludibrio dæmonum male decipi, clypeo discretionis a Deo fortiter armatus erexit se contra se, et alte pro expedimento ad currendam viam succinctus, semetipsum protinus versus cœnobium in rapidum cursum dedit. Dum ergo infatigabiliter curreret, vox divina spirituali ejusdem Abbatiæ Patri facta est dicens : Curre, suscipe athletam meum.

Eccles. 1. et 4. Eccl. 40. 1. 1. Tim. 6. 7. Job, 1. 21. Job, 1. 21.

Qui simili tentatione probatus.

2. Pet. 2. 22.

Tandem a quodam Abbate voce divina recipitur.

HIS ADHORTATIONIBUS NOSTER QUOQUE MONACHUS CORROBORATUS,

V. « His nimirum sanctissimi viri consolationibus, quas ab eo quondam audierat præfatus monachus aliquantulum confortatus, dietam perfecit et ad hospitium sero pervenit. Postera vero die, rasa juxta morem Ordinis corona, cum suam vidisset cæsariem in terra dispersam, apposita manu capiti suspirans palpabat dicens : Ah, Domine Deus ! sed ipso etiam vestimentis Ordinis induto et in cellam similiter introducto, cum procidens in Oratorio genua incurvasset, ex magna cordis amaritudine cœpit vehementer flere ; cum et cæteri Fratres qui ade-

Nostrum habitum induit.

rant has lacrymas ex devotione erumpere æstimarent. Erat autem ipsa die præcipuæ solemnitatis vigilia, in qua abstinentia a Fratribus fieri consuevit; et idcirco nihil aliud quam duo frusta panis, scilicet triticei ac siliginei data sunt ei, quo utique pane siligineo ad prandium cum aqua tantummodo usus est. Propter quod ad Matutinas ex defectu solitæ refectionis sensit illud Psalmistæ dicentis : Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum. Et ut purior etiam et purgatior atque dignior amplius ad percipiendum donum Dei altissimi, tamquam aurum in fornace probatus prout dixi, crescendo de die in diem acrioribus angustiis excoqueretur, frater ejus germanus, cum audisset ipsum Religionem fuisse ingressum, flens et ejulans venit ad eum. Cujus profecto lacrymis si antea dolor et afflictio vehemens extitit, ultra modum postea vehementior fuit. Ipso itaque per tres dies in eodem statu amarissimo permanente, die videlicet tertia, quæ Dominica tunc fuit, post Matutinas in Oratorio suo præ dolore cordis et tædio afflictus obdormivit. Cumque vocatus ab Infirmario evigilasset et ad ecclesiam properans introiisset, ecce pius miserator et consolator, ecce verissimus et promptissimus adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, qui (sicut dicit Apostolus) fidelis est et non permittit nos tentari super id quod possumus sustinere sed facit cum tentatione proventum, famulum suum prout ipse mihi retulit, Sancti Spiritus illustratione consolari voluit hoc modo :

ANNUS 1261

Psal. 108. 24.

Rursum tentatur.

Psal. 9. 10.

I. Cor. 10. 13.

« Cum igitur ad Horam primam cum cæteris canentibus stans et ipse caneret, factus est repente de cœlo Spiritus Sancti adventus descendentis super verticem capitis, et a vertice per omnia membra, et penetrantis omnia interiora usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum ; tanta statim inundatio lacrymarum tantusque fluminis impetus Austro flante secutus est, qui lætificaret civitatem Dei, animam scilicet istius viri, et sanctificaret eam Altissimus, adeo ut impleta gauderent viscera afflata Sancto Spiritu, ac proinde dulces gemitus et melliflua suspiria, tota die illa

Consolatione divina recreatur.

ANNUS 1261

et aliquo post tempore, idem vir beatissimus eructaret. Et sic factum est, ut secundum multitudinem dolorum suorum, quos longo antea tempore in corde suo sustinuerat, ultra meritum postmodum quasi in ictu oculi consolationes Dei illius animam lætificarent. Qua nimirum novitate et inconsueta dulcedine ac lætitia in virum alterum procul dubio permutatus, quænam res esset quæ ei in momento acciderat ad seipsum attonitus vehementer mirabatur. Maxime cum non solum ab omni dolore cordis et angustia, quæ eum tanto tempore vexaverat, liberum se omnino cerneret ; verum etiam miræ suavitatis abundantia se refectum esse interius exultaret. Unde et infra cordis intima reliquias cogitationis diem festum agere, ex crebris suspiriis ipsa suavitas apertissime demonstraret. Quæ enim lingua, quæ vox, ut aiebat, mortalis hominis plene poterit exprimere illam mirabilem dulcedinem, illam ineffabilem mentis suavitatem, illam inenarrabilem cordis jucunditatem, illam profundissimam animæ jubilationem ? Cum et is cui hoc tam sanctissimi charismatis donum datum est cœlitus experiri non valeat, nec sciat etiam utcumque brevissimam hujus inæstimabilis boni scintillam verbo tenus explicare. Et hoc quidem profitentur, qui frequenter a Domino hujusmodi consolationibus visitantur. Dicebat etiam quod quamvis non visibiliter, ita tamen sensibiliter et efficaciter hanc infusionem Spiritus in momento, in ictu oculi super se effluere sensit; quemadmodum aqua baptismatis primo super caput baptizatorum infantium effunditur, deinde per totum corpus usque deorsum dilabitur. Unde huic tam speciali gratiæ Dei beatus concordat Apostolus dicens : Nos salvos
Tit. 3. 5. fieri per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti quem effudit in nobis abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

FREQUENTER HUJUSMODI A DEO AFFLATIBUS AFFICITUR.

VI. « Postea vero, multo tempore intermisso, cum se orationis studio ad gradum altaris curvatis genibus et cubitis postravisset sensissetque cor suum intra se convalescere ; cecidit ei in mentem illa gratulabanda promissio Salvatoris in Apo-

calypsi dicentis : Ecce sto ad ostium et pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum et cœnabo cum illo. Quapropter dulcissimis subito suffusus lacrymis pulsatorem suum, jam et ipse ab eo pulsatus, gemitibus inenarrabilibus pulsabat ut apud eum cœnaturus ingredi dignaretur, et quam dulcis præsentia, quamque efficax ejus esset promissio per inspirationem certus efficeretur, ac per hoc in amorem sui nominis ex tunc et deinceps sua satiatus gratia firmaretur. Quantum ergo ibi de torrente voluptatis Domini ipse potatus extiterit, quantumve sicut adipe et pinguedine illius anima saginata fuerit et repleta, non est meum revolvere. Nec scio, nec audeo, nec præsumo, utpote conscientia fœtidus et labiis pollutus, aliquatenus explicare. Verumtamen ego puto, prout ab his qui hoc experiuntur didici, quod in illa hora omnia interiora ejus speciali devotione et dulcedine redundabant; ac proinde benedicebat anima ejus Domino, et omnia quæ intra ipsam erant, nomini sancto ejus.

ANNUS 1261

Apoc. 3. 20.

« Alia autem die, vix persoluto more solito Completorio, cum jam ad dormitum concite properaret, subito ab inspiratione Spiritus cœpit cor ejus ultra quam exprimi potest dulcorari, atque ab ejus oculis defluentibus lacrymis illius facies pariter irrigari ; statimque conversus retrorsum, versa facie ad altare in terra prosternitur, ibidem quandiu devotionis suavitas efferbuit, immobilis permansit. Postea vero multoties hujus visitationis dulcedinem et effectum intra se recogitans, mirabatur quam plurimum, ut aiebat, cur Deus omnipotens et misericors super non orantem, non affectantem, non expectantem, ita improvise, ita inopinate, ita repente tantum in eo cordis dulcorem infuderit ; cum paulo ante in Completorio persolvendo nihil tale sibi oranti evenerit. Hac reor ex causa, ut profecto quilibet Christi servus non solum dum orat, verum etiam dum dormit et vigilat, et quidquid aliud propter Dominum et in Domino facit in conspectu divinæ majestatis et potentiæ, cujus oculis omnia nuda sunt et aperta, se semper consistere gaudeat; ac prout uniuscujusque saluti expedit, certissime sciat quod æterna Sapientia, in qua nimirum vi-

ANNUS 1261 vimus, movemur et sumus, quomodo et quando vult suæ distributionem gratiæ ordinet mirabiliter et disponat.

« Rursus postea, multo transacto tempore, quodam die Missa Majori usque ad Secretas celebrata, iste Dei famulus persolutis omnino orationibus privatis cum jam sibi nihil superesset dicendum, cœpit cogitare quod illius quoque Canonem Missæ absque oratione aliqua minime pertransiret. Unde et septem psalmos pœnitentiales in illa hora placuit spiritaliter inchoare. Incœpto itaque jam primo psalmo, secundo quoque circa medium, sicut pluries facere consuevimus, ecce subito et insperate devotio quædam mirabilis et fervor spiritus super eum effusus est cum lacrymis, ita ut stupefactus, a dicendo quod cœperat desisteret, secumque quærendo plurimum miraretur, quid utique tam repentina devotio, tamque spiritalis unctio sibi significare et exprimere voluisset; statimque retro paululum rediens, animadvertit devotionem super se effusam

Psal. 31. 8. fuisse cum illum diceret, qui sic incipit, versum : Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Quem profecto versum sæpissime postmodum replicans, præ maxima cordis suavitate simpliciter interpretabatur, æstimans quod semper eum Dominus in tali statu custodiret. Sed in hoc quidem stupefactus vehementer mirabatur, ut cum aliquando similiter Sancti Spiritus consolationem sensisset se medullitus illustratum, tunc aliquantulum in ejus animo temporalis ambitio titillabat; cum tunc procul dubio omnia prorsus terrena deberet despicere ac certius ac ferventius ad cœlestia inhiare. Accedebat etiam illud in mente

Philipp. 4. 13. quod Apostolus dicit : Omnia possum in eo qui me confortat; sed misericors et miserator Dominus, qui novit de malo etiam bonum eligere, per aliam amaritudinis viam voluit eum deducere in regionem suam, ad cœlestem scilicet patriam, ita ut postea ei ostenderet e contrario vias duras, derisiones videlicet, contumelias, despectus et abjectiones, necnon et alias tribulationes multas et malas ; quas antea nunquam passus fuisset, nec passurum se deinceps ullomodo credere potuisset.

VII. « Inter hæc autem vir Dei talem, quam pene omiseram, habebat consuetudinem non solum nobis qui inpræsentiarum consistimus imitabilem, verum etiam et posteris similiter imitandam. Cum itaque ad Matutinas surgendum esset, audita horologii pulsatione vel signi, hæc verba Apocalypsis tertio repetens dicebat : Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen. Deinde signum salutiferæ Crucis super se imprimens, septem psalmos pœnitentiales incipiebat induendo se atque calceando. In hoc nobis evidenter insinuans quod etiam tam breve spatium nollet vir sanctus a bono opere vacuum præterire. Si vero vellet sibi accipere disciplinam, dictis tribus psalmis prioribus, *Miserere mei Deus* cum quibusdam orationibus se flagellando consummabat. Quod utique genus pœnitentiæ specialiter in Quadragesima, exceptis diebus Dominicis, et in Adventu similiter et festivis, necnon et qualibet feria sexta, vel cum forte ei quandoque fragilitas accideret, ferventi animo persolvebat. Et quamvis superius in vita venerabilium Patrum Stephani primi Prioris et Hermanni majora pœnitentiæ exercitia descripserim, cum etiam in cæteris Religionibus graviora pœnitentiæ opera fiant ; tamen nisi quod de isto Dei servo vere didici scribere non audeo, nec propono. Circa vero finem suum in hoc sancto opere ferventius agebat ; et quo amplius sui obitus terminum appropinquare cernebat, eo quotidie ad perfectionem sancti certaminis fortius insistebat. Et tanto quotidie eidem crescebat merces boni operis, quanto assidue laborabat in laudibus Creatoris. Finitis autem septem psalmis cum antiphona *Ne reminiscaris Domine delicta, etc.*, se humiliter in terram projiciens Litaniam dicebat, et ad singula Sanctorum nomina in terra osculum imprimebat. Persolutis B. Mariæ Matutinis aliisque quæ in hoc spatio secundum tempus solent exerceri, pulsato iterum tintinnabulo, conveniendi scilicet ad ecclesiam, statim residuum Litaniæ repetebat dicens : *Omnes Sancti et Sanctæ orate pro nobis, propitius esto, libera nos Domine, etc.* Quibus eundo ad ecclesiam finitis, cum jam ad ostium eccle-

ANNUS 1261

QUÆDAM PIA ILLIUS EXERCITIA.

Apoc. 7. 12.

ANNUS 1261

Psal. 5 et 53.

siæ pervenisset, sub silentio dicebat : *Introibo in Domum tuam Domine, et adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo*. Et hoc flexis genibus vel ad terram provolutus faciebat, nisi sui adventus socii impediret. Demum ecclesiam ingressus, supplicabat graviter et profunde ad altare pariter et ad Crucem intra se dicendo : *Adoramus te Christe et benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum.* Suam denique ingressus sedem, ibi in conspectu Angelorum psallebat Deo omnipotenti qui præsens est ubique et universa conspicit ; desiderans et totis medullis deprecans ut sicut illi eum laudant in excelsa beatitudine in cœlis, ita quoque et ipse eorum interventu ipsum laudare, glorificare et adorare mereretur in hac peregrinatione, in terris. » Hactenus autor Chronici.

JESU CHRISTI

ANNUS 1262.

Urbani PP. IV Ann. 1.	Ordin. Cartus. Ann. 179.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 6.

I. SEQUITUR annus Salvatoris sexagesimns secundus supra millesimum ducentesimum, Indictione quinta, quo Falco episcopus Gratianopolitanus antecessorum suorum erga Cartusiam pietatem æmulatus, dedit quasdam decimas de consensu et voluntate Burnonis decani et totius Capituli Ecclesiæ Gratianopolitanæ, sub certo censu annis singulis persolvendo, cum hac tamen clausula « quod si memorata decima plus valeret tunc vel imposterum, nos Falco episcopus et dictus Humbertus capellanus damus illud quidquid sit in meram eleemosynam Deo et Domui Cartusiæ, amore Dei et intuitu pietatis. In cujus rei testimonium præsentes litteras nos et supradictum Capitulum et Humbertus capellanus sigillis nostris munivimus in perpetuam firmitatem; anno Domini MCCLXII, mense Junii. »

FALCO EPISC. GRATIANOPOL. CARTUSIÆ BENEFACTOR.

II. Circa hunc annum pie defunctus est Stephanus Prior Domus Bellilarici, ex patria cognominatus de Argeno, « nobilis genere, inquit autor coævus, ac valde religiosus, qui religiose quatuor annis monasterium rexit. Ejus tempore tertia pars claustri, quæ perficienda restabat, consummata est. Terram quoque de Avenis, campum qui appellatur « campus Comitis » et quasdam alias possessiones Domui acquisivit. In Officio divino, sive in ecclesia sive ubicumque esset, si dictionem vel etiam syllabam sese præteriisse perciperet, statim sumpta venia, etiam plus quam debebat nimis sæpius repetendo itera-

STEPHANUS DE ARGENO PRIOR BELLILARICI MORITUR.

ANNUS 1262

bat. Hoc enim infortunio toto tempore vitæ suæ multum extitit fatigatus: quod nimirum ex labili memoria, vel potius ex timore fervoris et fervore timoris prætermittendi aliquid, eidem credimus accidisse. Hic denique ea nocte qua obiit, dicto Completorio, ipse suum tenuit silentium. Post modicum vero temporis vocato Procuratore dixit : *Domine, labia mea aperies.* Incipientes igitur, qui ibi pernoctabant, Matutinas, ipso etiam cum eis psalmodiante, cum continue Primam explicarent, ecce eisdem dicentibus : *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,* et ipse, ut vere credimus, animam in conspectu Domini reddidit pretiosam. Cujus corpus a nobis cum cæteris Prioribus est sepultum. » Hactenus ex Chronico, cujus autor videtur Stephano successisse, nam licet Historiam suam ulterius persecutus sit, de Stephani tamen successore penitus siluit.

DISCORDIA INTER DOMUS VALLIS PISII ET INCOLAS CLUSÆ.

III. Circa eadem tempora Simeon Ordinis Minorum, episcopus Albæ Pompeiæ in ducatu Montisferrati, a Sede Apostolica delegatur ad sedandam quamdam arduam inter monasterium Vallis Pisii nostri Ordinis et homines Clusæ ortam controversiam, cujus meminit Ughellus in sua *Italia sacra*, tempore tamen non designato quo hæc discordia vel orta fuit vel sedata.

Ital. sac. t.4. in Episcop. Alben.

JESU CHRISTI

ANNUS 1263.

Urbani PP. IV Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 180.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 7.

I. ADEST annus Christi millesimus ducentesimus sexagesimus tertius, Indictione sexta, quo florebat in Domo Repausatorii Hugonius ejusdem Procurator, vir sanctus, qui aliquando ad Clusam villam non longe ab hac cartusia dissitam descendens ut officio fungeretur suo, obviam habuit quamdam pauperem mulierem, brachium habentem aridum omnique prorsus sensu privatum. Hæc ab Hugonio stipem poscens, non pecuniam sed sanitatem recepit. Ille enim misericordia motus eodemque, ut par est credere, quo sanctus olim Petrus Apostolus, actus Spiritu, in mulierem respiciens confidenter dixit : Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do ; signumque crucis faciens : Sanet te, inquit, Dominus meus Jesus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Atque ita sibi continuo restitutum brachium mulier sensit, cunctis vicinis mirantibus et Deum laudantibus. Hugonii obitus hactenus latet.

HUGONIUS PROCURATOR REPAUSATORII FLORET SANCTITATE.

Histor. ms. Molin.

II. Eodem etiam tempore vivebat Martinus de Lauduno Prior Vallis sancti Petri, vir in divinis Scripturis egregie institutus mirumque in modum exercitatus, vita et conversatione devotus, quem anno 1255 nominatum vidimus factarum, occasione discordiæ inter Priores Ordinis et Monachos Cartusienses ortæ, expensarum arbitrum. Ejus quoque nomen in Majoris Cartusiæ cartulario ad annum 1261 reperitur.

ITEM MARTINUS DE LAUDUNO PRIOR VALLIS S. PETRI.

Sut. lib. 2. tr. 3. cap. 7.

ANNUS 1263

Quandonam vero obierit, hactenus incompertum fuit; constat tamen in prioratu non perseverasse ultra annum 1267 quo Prior alter, Galterus nomine, Valli S. Petri præfuisse in citato cartulario legitur. Celeberrimus inter nos fuit Martinus, cujus memoriam et nomen posteritati consecrabit egregium illud opusculum quod non solum ex ipsis sacrorum Bibliorum sententiis sparsim admixtis (quod multi fecisse leguntur), sed etiam ex meris ipsius Sacræ Scripturæ verbis sibi invicem connexis (quod nemo hactenus fecisse reperitur), artificio mirabili contexuit. In eo quemdam Ordinis Novitium ad perseverantiam in cœpto proposito habendam adhortatur. De eo Possevinus meminit his verbis : « Martinus Laudunensis Vallis S. Petri Cartusianus ob sanctitatem celebris, hortatoriam Epistolam seu libellum composuit qua Novitium increpat cogitantem pristinum Ordinem laxiorem repetere, e quo ad Cartusianos venerat. » Hæc ille. Mirum sane est quomodo famosa illa Epistola tam sæpe edita fuerit et prælo recusa, tum in Francia, tum in Germania et Italia ab anno 1506 quo primum typis commissa fuit Patrum Cartusiæ Vallis viridis opera, et Francisco de Puteo Generali Ordinis ministro dicata. In editionibus quas vidimus, sic incipit : « Dilectissimo in Christi visceribus fratri N., frater M. gaudere in Domino semper, etc. » Unde quidam pro littera N. legendum esse Nicolao crediderunt, huncque esse Nicolaum de Arzileriis qui postea Montis Dei Cartusiæ præfuit anno 1270; sed in vetusto codice in cartusia Divionensi asservato, pro littera N. nomen integrum sic legitur : fratri Reginaldo, etc. Hunc vero Montis Dei novitium fuisse ex ejusdem Epistolæ contextu satis liquet. Dies obitus Martini ad 2 Nonas Martii in Vallis S. Petri cartulario signatur.

Ms. Montis Dei.

JESU CHRISTI

ANNUS 1264.

Urbani PP. IV Ann. 3.	Ordin. Cartus. Ann. 181.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 8.

I. ANNUS redempti humani generis millesimus ducentesimus sexagesimus quartus, Indictione septima, celeberrimus fuit toti orbi Christiano propter festum Corporis Christi per omnes ecclesias ab Urbano institutum, cujusdam miraculi circa augustissimum illud Sacramentum patrati, quod a sancto Antonino et aliis post eum narratur, occasione. Extat de hujus festi institutione Urbani epistola ad omnes Ecclesiæ Prælatos præclarissima, in qua præstantiores hujus institutæ celebritatis causæ enumerantur. Hæc tamen solemnitas aliquot ante annis Leodiensi Ecclesiæ nota erat, ut Joannes Diestemius Blærus, Prior Sancti Jacobi Leodiensis asserit, in opusculo *De revelatione Institutionis festi venerabilis Sacramenti,* quod anno 1496 idem autor misit ad nostrum Petrum Dorlandum ut ejus de illo sententiam acciperet. Sic autem in fine epistolæ eum alloquitur:

FESTUM CORPORIS CHRISTI INSTITUITUR.

« Igitur ut ad principale propositum veniamus, noveris, mi Petre, quod in hac ecclesia B. Martini Leodiensis per totam octavam festi venerabilis Sacramenti singularis fit jubilus, per canoras chori voces et per clangentes turris campanas, eo quod festum hoc in ea initium habuisse dicatur. Nam in ea insigne sepulchrum cujusdam Sanctimonialis, quæ quondam solitariam vitam ibidem duxisse dicitur, monstratur: cujus meritis et instantia festum hoc creditur esse promotum. » Et post pauca: « Præsentem Tractatum compilavi, quem tibi corrigendum

Jam ante a Leodiensibus celebratum.

ANNUS 1264

transmitto ; quem ubi ad plenum correxeris, correctum ad me remitti precor : quatenus ex tunc liberius in publicum vadat qui hactenus apud me incarceratus fuit. Vale. »

Diestemio sic respondit Dorlandus noster : « Petrus Dorlandus Cartusiensis venerabili Patri D. Joanni Diestemio Blæro, Priori ad sanctum Jacobum in Leodio, S. P. D. Libellum de institutione festi venerabilis Sacramenti quem scite et ornate sub ecclesiastico titulo edidisti, tibi remitto. Dignus est profecto quem plures videant : est enim adeo temperatus, ut et illum indocti non fastidiant, neque abjiciant sapientes. » Porro hæc virgo, de qua loquitur Blærus, revelationem de celebratione hujus festi habuerat anno 1230.

QUANDO INTER NOS RECEPTUM.

II. Etsi Urbanus per epistolam superius citatam præceperit festum hoc per universas ecclesias celebrari ; eo tamen paucis post diebus defuncto, non fuit ab omnibus acceptum ; sed solum Clementis V tempore qui eamdem renovavit Urbani IV constitutionem. A Nostris vero non fuit admissum nisi Joannis XXII temporibus, ut legimus in glossis ad Statuta Raynaldi, ubi autor in articulum vigesimum capituli secundi primæ Partis hanc injecit notulam : « Festum Corporis Christi fuit institutum celebrari in Ordine anno 1318. » Cumque juxta præfatorum Pontificum Urbani et Clementis sanctiones, ad majorem sanctissimo Sacramento exhibendam venerationem totum divinum Officium per octavas ejusdem solemnitatis in templis esset persolvendum, ac propterea variæ Indulgentiæ tum recitantibus Horas canonicas tum præsentibus dum recitantur impertirentur ; ne Nostri, propter solitudinis observantiam qua tenemur earum pensum privatim extra ecclesiam exequi, hujusmodi gratiis exciderent, easdem postea Indulgentias Urbanus V nobis idem horarium munus in cellis etiam exolventibus largitus est. Ejus bullam non habemus, sed tantum privilegium per totum Ordinem anno 1365 in Chartis divulgatum est his verbis : « Concessum est per Dominum Papam quod per octavas Eucharistiæ dicendo Horas in locis quæ nobis infra cellas pro oratoriis assignantur, gaudeamus Indulgentia a jure concessa ac si in ecclesia diceremus. »

Indulgentiæ Nobis concessæ.

Idem etiam paulo post suis Statutis immortalitati commendavit noster Rainaldus : « Festum Corporis Christi feria quinta post octavas Pentecostes solemniter celebretur, cujus octavæ fiunt eo ritu et ea solemnitate quibus fiunt octavæ Assumptionis B. Mariæ. Hoc adjuncto, quod ob præceptum Apostolicum et Indulgentiam consequendam, Missa diebus singulis per octavas de solemnitate cum nota cantetur in conventu, vel etiam sine nota post Missam conventualem festi duodecim lectionum. » Et inferius declarat, quod « per istas octavas dicendo Horas in oratoriis infra cellas, gaudemus Indulgentia ac si in ecclesiis diceremus : quia sic Ordini a Domino nostro Papa Urbano quinto misericorditer est indultum. »

ANNUS 1264

Stat. Nov. p. I. c. 2. n. 20. et seqq.

Easdem Indulgentias confirmavit et dilatavit Martinus V. Quamobrem per Chartam anni 1422 : « Ordinamus, sunt verba Chartæ, propter Indulgentias obtinendas quod Conversi et Redditi per omnes Horas nocturnas et diurnas ipsius diei festi veniant ad sequendum ecclesiam Domus superioris, et simul reficiant in refectorio. » Eugenius quoque Martini successor ad ejus imitationem hujusmodi gratias auxit ; quas quidam nostrorum Statutorum glossator (ante ducentos annos subducendo) æstimans earum numerum sic computavit : « Indulgentiæ festi Corporis Christi et octavarum datæ per Urbanum IV, Martinum V et Eugenium IV, ascendunt ad quatuordecim millia ducenta et sexaginta dies, qui faciunt annos triginta novem, ebdomadas tres et quatuor dies. »

PROCESSIO ET EXPOSITIO QUANDO APUD NOS INDUCTÆ.

III. Nulla tum in Chartis capitularibus, tum in Statutis Rainaldi ac Compilatione Puteana mentio habetur de ritu illo, quo nostris temporibus ipsa hujus solemnitatis die sacrosancta Eucharistia per claustri xistos circumfertur. Unde hanc consuetudinem per omnes Domos Ordinis post medium sexti decimi seculi solummodo inductam fuisse credimus, quam ideo noster Carrassus suis inseruit Statutis, præcipiens ut « post Tertiam cantatam, ante Missam fiat processio, in qua venerabiliter deferatur a Priore, sacris vestibus etiam casula induto, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ; singulis per-

No. Collect. p. I. cap. 53. num. 12.

ANNUS 1264

sonis Ordinis candelas accensas deferentibus. » Deinde statuit ut, « peracta processione, super altare reponatur, ubi etiam volumus, inquit, illud omnibus adorandum proponi per totas octavas cum duobus cereis. » Hanc tamen expositionem diu ante in aliquibus nostris Domibus usitatam fuisse colligo ex chronico cartusiæ Exfordiensis, cujus autor Nentfridum Balduini, ab anno 1474 ad annum 1477 ibidem Priorem, laudat quod « fieri curaverit monstrantiam argenteam inauratam valentem 25 florenos, in qua sacrosanctum Sacramentum reclusum per octavas solemnitatis ejusdem proponeretur adorandum. »

Porro quædam alia circa hujus festi ritus in Chartis nostris sancita occurrunt, quæ pro more nostro hic libet annotare. In Charta anni 1347 « ordinatur quod abstinentia quæ fit in crastino solemnitatis sacrosancti Corporis Jesu Christi, fiat in vigilia solemnitatis prædictæ. » Anno 1367 : « Cum octavæ Eucharistiæ de cætero venerint in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, fiant in vigilia dicti festi, in qua a lacticiniis abstineatur, et abstinentia fiat feria sexta sequenti ». Hæc omnia etiamnum observamus. Anno 1417 : « Ordinamus quod in festo Corporis Christi et per totas octavas, ad Horas dicatur finalis versus hymnorum *Gloria tibi Domine qui natus es, etc.;* exceptis hymnis propriis solemnitatis, qui a seipsis habent proprias conclusiones ». Anno 1448 : « Cum alias plura, ut dignissimum est, de veneratione excellentissimi Sacramenti altaris sint in Chartis Capituli ordinata, modo eisdem præ devotionis affectu superaddentes, ordinamus ut per totas octavas sacri Corporis Christi sub verbis hymnorum, ad Vesperas videlicet *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui,* et ad Laudes *O salutaris hostia quæ cœli pandis ostium,* tam in ecclesia quam extra ubi fuerimus, *veniam* super formam recipiamus ». Denique per Chartam anni 1494 « conceditur non celebrantibus Monachis et Conversis ac Donatis, quod communicent in Conventu in festo Corporis Christi sicut in festis Natalis Domini, Paschæ et Pentecostes ».

JESU CHRISTI

ANNUS 1265.

Clementis PP. IV	Ordin. Cartus.	Rifferii Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 182.	Ann. 9.

I. MILLESIMUS ducentesimus sexagesimus quintus, Indictione octava, Christi annus excurrit quo Guido Fulcodii ex episcopo cardinali Sabinensi, Nonis Februarii ad supremum Ecclesiæ Catholicæ fastigium sub nomine Clementis IV, tum propter insignem doctrinam, tum maxime propter eximiam vitæ sanctitatem evectus est. Ut vero inclytis virtutibus fulsit, quibus omnium amorem admirationemque sibi conciliavit ac tot honorum gradus emensus est, ita patrem sapientissimum nactus erat qui ipsum ad virtutes non tam verbis quam exemplis perpoliebat. Hic enim adeo præstanti fuit religione ac pietate, ut contemptis humanæ vitæ deliciis, asperrimo vitæ generi, Cartusiensium familiam ingressus, sese addixerit; et magna sanctitatis opinione ac fama apud homines collecta, diem extremum piissime clauserit.

CLEMENS IV PAPA ELIGITUR.

Raynald. ad hunc an.

Ejus pater olim Cartusiensis.

V. an. 1206.

II. Post uxoris suæ mortem voluerat Guido, ut Victorellus observat, patris invitatus exemplo, in æternæ vitæ spem, voluntario Cartusiensium carcere recreari potius dicam quam affligi; sed Deo volente, a sancto Ludovico Francorum rege, communi bono consulente, revocatus in hominum celebritate, inter assiduos labores et studia cilicinum thoracem (quo ad mortem usque usus est) induit, et carnium usu perpetuo abstinuit. Jure, ut in quodam Ordinis Cartusiensis Chronico legi asserit idem Victorellus, inter Cartusienses cen-

IPSE ETIAM VOTO CARTUSIENSIS.

Vict. in notis ad Ciacon.

Claud. Clem. in vita Clem. IV. cap. 3.

ANNUS 1265

sendus, qui ex voto Cartusiensis vixit. Idem de eo ante Victorellum annotavit Claudius Clemens.

PRIVILEGIA ORDINI CONCEDIT.

III. Cæterum ubi Clemens sanctam Sedem Apostolicam ascendit, benevolentiæ suæ indicia Cartusiensibus cœpit ostendere, scriptis in eorum gratiam duabus bullis : quarum una data est Perusii, quarto Nonas Maii, Pontificatus illius anno primo ; et per eam declarat quod nullus Nostrum potest extra propriam diœcesim in causam trahi nec per Legatos nec per Sedis Apostolicæ litteras, nisi specialem et de verbo ad verbum de hujusmodi indulgentia fecerint mentionem. Est vero hujus tenoris :

Inter privil. num. 40.

« Clemens episcopus, etc. Dilectis filiis Cartusiæ ac aliis Prioribus et Fratribus universis Cartusiensis Ordinis salutem et Apostolicam benedictionem. Speciali gratia et favore, illa vos de causa dignos potissime reputamus, quod toto cordis affectu ad hoc semper intenditis ut per sanctæ conversationis et vitæ studium in conspectu Dei et hominum placeatis. Hinc est quod Nos vestris supplicationibus inclinati, autoritate vobis præsentium indulgemus, ut vos vel aliqui vestrum extra vestras civitates vel diœcesim trahi non possitis in causam per litteras Apostolicæ Sedis vel Legatos ipsius, nisi litteræ Sedis ejusdem de indulgentia hujusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum fecerint mentionem. Cæterum excommunicationis, suspensionis et interdicti sententia si quas in vos, vel aliquem vestrum contra indulta hujusmodi promulgari contigerit, decernimus irrita et inanes. Datum Perusii 4 Nonas Maii, Pontificatus nostri anno primo. »

Ubi supra num. 53.

Quatriduo post datam præfatam bullam, dedit et aliam pius Pontifex, qua totum Ordinem propter tenuitatem redituum et proventuum eximit a collectis, subsidiis et quibuscumque exactionibus ; prohibetque per excommunicationis sententiam ne quis ad eorum solutionem Nos cogat.

ITEM S. LUDOVICUS REX.

IV. Sancti Pontificis erga Nos benevolentia sanctus rex Ludovicus vinci se non sinit. Hoc enim anno « senescallis Carcassonæ et Bellicadri mandat quatenus Fratribus Ordinis Cartusiensis, ea quæ eorum victui et vestitui necessaria fue-

Ex archiv. Maj. Cartus.

rint, per terram suam deferre sine pedagio et consuetudine permittant. » Literæ datæ sunt mense Aprili apud Regalem montem.

ANNUS 1265

V. Hoc anno Capitulum generale celeberrimum fuit : ad illud enim multi Priores ascenderunt, ibique multæ ordinationes valde laudabiles factæ sunt ; ac in primis circa divinum Officium, circa Capituli generalis formam, circa Domorum Officiales, multaque id genus alia, ut Franciscus Ganneron monachus asserit, qui Chartam vidit ; quæ cum postea non potuerit inveniri, ejus jactura hujusmodi ordinationum utilitate privamur.

CAP. GENER. CELEBERRIMUM

Ex mss. dom. Montis Dei.

VI. Monachi Domus Parcensis ab eodem Capitulo litteras obtinuerunt quibus eis licebat quædam extra terminos bona retinere. Sunt autem ejusmodi :

LICET MONACHIS PARCI QUÆDAM EXTRA TERMINOS POSSIDERE.

« Universis præsentes litteras inspecturis, R. Prior Cartusiæ et cæteri Diffinitores Cap. general. salutem in Domino. Noveritis quod nos attendentes novitatem et paupertatem Domus de Parco nostri Ordinis, concessimus et dispensavimus cum eadem ut ipsa percipiat et teneat in perpetuum eleemosynas sive acquisita extra terminos, quæcumque sint illa. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo Domus Cartusiæ sigillatas dictæ Domui tradidimus conservandas. Datum anno MCCLXV, tempore Capituli generalis. »

Bohic in Annal. mss. Ord. Cartus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1266.

Clementis PP. IV. Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 183.	Rifferii Pr. Cart. Ann. 10.

NOSTRIS DATUR POTESTAS HÆREDITATES PARENTUM RECUPERANDI.

I. SEQUITUR ordine temporis annus Redemptoris sexagesimus sextus post millesimum ducentesimum, Indictione nona, quo Clemens Pontifex maximus pergens de Ordine Cartusiensi bene mereri plures ei tribuit gratias, inter quas hæc videtur eminere qua nobis concedit hæreditatem personarum Ordinis nostri, etiam post factam professionem, recuperandi potestatem; ut ex tenore bullæ sequentis apparet:

Inter privil. num. 46.

« Clemens, etc., dilectis filiis Priori Cartusiæ ac universis Prioribus et Fratribus Cartusiensis Ordinis salutem, etc. Devotionis vestræ precibus inclinati, petendi et recipiendi partem bonorum mobilium et immobilium quæ vobis quoque modo competerent, si in sæculo remansissetis, liberam vobis licentiam autoritate præsentium duximus concedendam. Ita tamen quod eadem bona postquam ad manus vestras pervenerint, teneamini vendere juxta Statuta Ordinis, in utilitatem Domorum earumdem dictorum bonorum pretium convertendo. Datum Viterbii, Nonis Junii, Pontificatus nostri anno secundo. »

Eadem gratia aliis Ordinibus olim concessa.

Chron.Prædic. an. 1260.

Specul. Minor. trac. 2.

Hactenus Clementis litteræ, quarum autographum in Domo Vallis omnium Sanctorum Provinciæ superioris Alemaniæ repertum, magnam mihi suspicionem injicit eas fuisse emendicatas non ad totius Ordinis instantiam, sed ad quorumdam privatorum petitionem qui Summum Pontificem anno præcedente similem Franciscanis et Dominicanis gratiam indul-

sisse audierant, ut annotavit Antonius Senensis in Ordinis sui Chronicis. Quorum privilegiorum bulla extat in *Minorum Speculo*. Hac de re disserit Emmanuel Rodericus, qui etiam Sancti Augustini Eremitas, Carmelitas, Benedictinos, itemque Cistercienses eodem ostendit privilegio gaudere; ac quæstiones uberrime pertractat quæ circa negotium illud possunt emergere. Nec etiam Clemens aliquid novi in gratiis hujusmodi elargiendis ausus est, cum prævias habuerit, tum superiorum Pontificum, tum Imperatorum constitutiones, per quas monachis parentum obire hæreditatem licet. Ita enim sancit Justinianus. « Si qua mulier aut vir, liberis non extantibus, monasticam vitam elegerit et monasterium intraverit; monasterio quod intravit, res ejus competere debemus. » Itemque : « Nullam licentiam damus, aut parentibus filios aut filiis parentes sæcularem vitam sectantes et relinquentes, velut ingratos a sua excludere hæreditate monasterium aut monasticam vitam subsecutos ».

ANNUS 1266

Rodericus, tom. 2. q. reg. q. 77 et 78.

Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis authent. Si qua mulier.

NON UBIQUE LICET EA UTI.

II. Revertentes porro ad præfatum Clementis privilegium invenimus non ubique gentium Cartusiensibus ejus uti tenore fuisse permissum. Notatur quidem apud Joannem Gerson, « occasione cujusdam dubitationis, in cujusdam militis Cartusiensis facto (de quo ad annum 1402), quod in terra Hollandiæ, Gelriæ, Brabantiæ, tales religiosi succedunt parentibus vel monasteria pro eis ». Verum in Galliæ regno secus accidit : ibi enim eadem Clementis bulla, « quoad tacitam bonorum dedicationem, ut loquitur Choppinus, et transitum cum novo monacho in monasterium, non servatur ; nisi is expressim de illis ante professionem disposuerit, pro modulo quidem consuetudini locorum præfinito ». Imo ipsa bona quæ monachus factus Episcopus post suam mortem relinquit, non suo monasterio nec suæ Ecclesiæ, sed propinquis et agnatis jure gallico adjudicantur. De quo jure legendus Annæus Robertus. Secus tamen fit in Italia ubi etiam hodie monachi gaudent jure nanciscendi parentum hæreditatem. Denique memini me legisse in quadam Charta Capituli generalis prohibitum aliquando a Patribus ne hujusmodi li-

Gerson. 2. part. Operum. num. 39, sub finem.

Chop. lib. 2. Monast. tit. 1. n. 41. in marg.

Ann. l. 4. Rerum judicat. c. 3.

ANNUS 1266

centia ullus inter Nos uti auderet, tamquam paupertati Cartusiensis monachi contraria. Hanc prohibitionem alibi describemus, si tamen eam poterimus recuperare.

SUMMUS PONTIFEX SEPTEM BULLAS EODEM TEMPORE CONCEDIT.

III. Idem Clemens pontifex, hoc eodem anno, septem alias ad totum Ordinem bullas dedit, quas habes ad Statutorum Antiquorum calcem. Prima data est Viterbii 7 Nonis Junii, continetque potestatem Prioribus factam novos professos semel tum a peccatis tum a pœnis absolvendi, et similiter Vicariis novos Priores. Altera, eodem loco eademque die data, declarat quod possumus monachos discolos capere, excommunicare et carceri mancipare; quam potestatem innovavit Gregorius XI anno 1372. Tertia ejusdem loci et diei, concedit ut personæ Ordinis defectum natalium patientes, si laudabilis conversationis fuerint, ad sacros Ordines et ad nostri Ordinis officia, prius tamen habita Capituli generalis licentia, possint promoveri. Verum cum postea Bonifacius VIII sanxisset eum qui defectum talem patitur ad majores Ordines vel beneficia curam animarum habentia non posse promoveri sine dispensatione Sedis Apostolicæ, hinc Nostri quodam moti scrupulo, per Chartam anni 1319 declararunt hujusmodi monachos non posse curam animarum suscipere. Imo per Chartam anni 1324 sanciunt, « quod illegitime nati non possint habere obedientias nec confessiones audire, donec per Dominum Papam aliter ordinetur ». Et per Chartam anni 1326 adjicitur quod « si qui sint in obedientiis de præsenti, eis sint privati; nec in posterum Vicarii vel Antiquioris officium, in audiendis confessionibus vel tenendis recordationibus aut aliis quæ honoris sunt gerendis, valeant exercere; eis districte inhibentes ne pro habenda dispensatione Sedis Apostolicæ, de præmissis ipsam Sedem adire audeant quoquo modo ». Huic Ordinationi quæ quorumdam animos agitaverat, talis modus anno sequenti adhibitus est : « Quia illud quod anno præterito Statutum de illegitime natis pro utilitate et pace Ordinis provide credebatur, ad perturbationem quarumdam personarum ex fideli relatione plurimum tendere reperimus ; dictum Statutum modo qui sequitur duximus

An illegitime nati possint apud Nos ad officia promoveri.

moderandum, scilicet ut illegitime nati qui laudabilis conversationis et vitæ probatæ fuerint, super quo Prælatorum suorum conscientias oneramus, ad quascumque obedientias, præter Prioratus et Vicarios Monialium, nostri Ordinis valeant promoveri ». Hæc Charta; cujus verba quoad præfatam moderationem Guillelmus Rainaldi postea suis inseruit Statutis. Sed paulo post Gregorius XI hanc potestatem etiam extendit ad animarum curam, licentia tamen Capituli generalis cum hac sola astrictione reservata; scilicet : « præterquam ad Prioratum dictæ Domus Cartusiæ ».

ANNUS 1266

V. an. 1372.

IV. Quarta Clementis bulla, data Viterbii quinto Nonas Julii, prohibet ne ullus in Nostros communiter vel divisim contra privilegiorum nostrorum tenorem excommunicationis sententiam promulget. Cum autem plurimi, neglectis istiusmodi privilegiis, ab injuriis nobis inferendis haudquaquam sibi temperarent; idem Pontifex omnes Præsules in quorum diœcesibus Ordinis Domus fundatæ erant commonuit, ut malefactores et perturbantes Nos censuris coercerent ecclesiasticis. Et hæc est quinta bulla in favorem nostrum hoc anno Julii Idibus data. Juxta cujus bullæ tenorem plures Episcopi defensionem nostram susceperunt, ut ex multis eorum litteris probamus quæ pluribus in Domibus etiamnum extant, et quarum autographa inter Angionis documenta servantur. Una quoque in matris Cartusiæ tabulario reperitur, quam Guillelmus Gratianopolitanus ad suum Clerum in hæc verba dedit :

IDEM PONTIFEX TOTUM CLERUM COHORTATUR AD NOSTRAM DEFENSIONEM.

« W. miseratione divina Gratianopolitanus vocatus episcopus, universis Capellanis et Rectoribus ecclesiarum in sua diœcesi constitutis, suam suorumque cura pervigili salutem perpetuam operari. Cum Scriptura sacra testante, obedientia victimis præferatur et inobedientia idololatriæ comparetur; manifeste liquet quam fructuose impleatur, quamque pernitiose quod præcipitur negligatur : et tunc permaxime cum ea jubentur quæ Deo placent et saluti militant animarum, id est, cum opera justitiæ et misericordiæ simul præcipiuntur, subvenire videlicet oppressis injuste et oppressores per censuram justitiæ emendare. Hinc est quod

Episcopus Gratianopolit. idem præstat.

Ex Tabular. Maj. Cart.

ANNUS 1266

vobis universis et singulis districte præcipimus in virtute obedientiæ, quatenus invasores vel perturbatores quoscumque Domus Cartusiæ in personis vel rebus aut aliis quibuscumque, cum vobis constiterit et per certum nuncium dictæ Domus fueritis requisiti, competenti monitione præmissa, prout vobis subditi fuerint, compescatis ab injuriis dictæ Domus: primo per interdicti ac deinde per excommunicationis sententiam in personas ipsorum, et sic demum, si contumaci malignantium hoc exigat, per interdictum locorum in quibus ipsi malefactores præsentes sunt; et hoc præcipue quando bona memoratæ Domus per violentiam in eisdem locis tenentur. Si qui vero de vobis eidem Domui astricti sunt conventionibus vel pactis quibuscumque (licitis et honestis dumtaxat), licet juramento non firmaverint eadem pacta, tamen quia inter simplex verbum et juramentum non est differentia apud Deum nec est quod magis intersit bonæ fidei quam pacta servare, præcipimus ut violatores conventionum suarum post septem dies a denunciatione sibi facta per certum nuncium Cartusiæ, non intrent ecclesiam nisi forsan in articulo necessitatis cum ministerium curæ susceptæ urgeret ad horam. Datum apud Cartusiam, mense Februarii, anno MCCLXVI. »

Ex codice ms. cameræ comput. Gratianop.

Calendar. Maj. Cartus.

Annus in præfatis literis designatus sumendus est juxta morem antiquum pro anno sequenti, nam Falco præfati Guillelmi antecessor obiit tantum hoc præsenti anno, die undecima Junii: quo mortuo Delphinus « occupavit castra et domos episcopales quas pro regalia sua tenebat », ut loquuntur literæ per quas ea omnia postea restitui jussit Humberto canonico, Guillelmi episcopi recens electi nomine recipienti. Datæ sunt hoc anno, octavo Calendas Augusti, Indictione nona. Ex decano Guillelmus electus fuerat episcopus.

S. LUDOVICO REGI TOTUM ORDINEM COMMENDAT.

V. Momenti non inferioris est sexta quam ibidem, Viterbii scilicet, dedit 15 Calendas Augusti, qua concedit quod si duæ simul fiant electiones, quamvis una sit vitiata, alteri tamen non præjudicet : etiamsi de forma Concilii generalis prætermissum aliquid fuerit. In septima eodem die ad san-

ctum Ludovicum scripta, totum ipsi Ordinem commendat, et specialiter Vallis viridis Domum, quam idem Rex paulo ante fundaverat. Est autem hujus tenoris : ANNUS 1266

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Regi Francorum illustri. Cartusiensis Ordinis, cujus sinceritas in sui simplicitate non deficit sed quasi lux splendens usque ad diem perfectum crescit, et alias crevit Deo promovente, oblivisci non possumus; et ex nostro affectu alios æstimantes, quod amamus tenerrime amicis specialibus commendamus. Hoc probavit tua Serenitas cum minori fungeremur officio : nam quoties a te recessimus, nisi fallimur, ultima verba nostra recommendationem ejusdem Ordinis continebant. Aucta ergo in nobis ad eumdem dilectio, pro eo scribere tuæ Celsitudini nos compellit, quam attentius duximus deprecandam quatenus totum Ordinem sed specialiter Domum Vallis viridis prope Parisios quam plantasti, pro nostra et Sedis Apostolicæ reverentia in tuorum remissionem peccaminum oculos pietatis respiciens, sis eis benevolus et beneficus, et ejusdem defensor assistas consiliis et auxiliis opportunis. Datum Viterbii, XV Cal. Augusti, anno secundo. »

Ex Archiv. dom. Paris.

Specialiter domum Vallis viridis.

VI. In Charta Capituli generalis hujus anni preces indicuntur pro Comite et Comitissa Sabaudiæ, Petro videlicet et Agnete de Fulciniaco ejus uxore. Qui Petrus iterum commendatur in Charta anni 1268 quo obiit, die 7 Junii.

DECRETA IN COMITIIS HUJUS ANNI.

In iisdem comitiis hæc inter cætera sancita sunt : primum, « ut professio non fiat a Monacho nisi Priore præsente. » Secundo, « injungitur Prioribus ut se defendant a præstatione decimarum per privilegium indultum. » Deinde multa decernuntur circa Officium et maxime circa mortuorum Agendas, tandemque præcipitur ut « post Completorium dicatur antiphona *Sancta Maria succurre miseris* » et cætera quæ integra in Charta describuntur, deinde adduntur versiculus et oratio prout hodie ea recitamus. Ante hæc tempora evangelium *In principio erat Verbum* non dicebatur, sed « post Completorii finem, oratione Dominica ter tantum cum devotione finita, nequaquam ultra differebant accubare » prout præcipitur in

Antiphona Sancta Maria *indicitur.*

Ant. Stat. p. 1. cap. 41. num. 22.

ANNUS 1266

Quandonam Evangelium S. Johan. dici cœperit.

Statutis Rifferii; unde Statutorum Glossator hanc notulam in hunc articulum, circa annum 1460, scripsit: « Hic non fit mentio de evangelio S. Joannis dicendo, nec est alicubi ordinatum quod tunc dicatur; sed illud fuit adjunctum ab aliquo ex devotione et ductum in consuetudinem. » At paulo post hæc consuetudo evasit in præceptum, nam Franciscus a Puteo imperat ut « post Completorium B. Mariæ, dicatur evangelium *In principio erat Verbum, etc.,* et in fine *Te decet laus etc.* cum orationibus *Concede quæsumus* de Nativitate, *Deus illuminator* et *Protector in te sperantium,* sicut solet dici post Primam ejusdem Officii » : nam diu ante, post Primam de B. Maria recitari solebat juxta Nova Guillelmi Rainaldi Statuta. Porro quod non dicamus istud evangelium post Missæ celebrationem sicut alii sacerdotes, hæc vera est ratio: nempe quod ante tempora Pii V, qui primus præcepit illud legi, non dicebatur nisi a quibusdam ex devotione, sive ad cornu altaris sive ab altare recedendo, ut observavit cardinalis Bona.

3 Compil. cap. 1. n. 70.

1. p. No. Stat. cap. 5. n. 2.

Bona. Rerum liturg. lib. 2. cap. 20. n. 5.

JOANNES ARCHIEPISC. VIENNENS. MORITUR.

VII. In eadem Capituli generalis Charta declaratur Breves haberi LXV, nullus vero mortuus denunciatur præter Viennensem Archiepiscopum de quo hæc leguntur : « Domino Archiepiscopo Viennensi debetur plenus monachatus cum psalteriis. Obiit V Calend. Maii. » Istud vero beneficium illi fuerat concessum per Chartam anni 1253 juxta morem hujus temporis, quo non schedulæ (ut hodie) sive litteræ hujusmodi beneficia continentes dabantur, sed per Chartam solum notum fiebat quod talis persona tali beneficio post mortem gauderet. Vocabatur hic archiepiscopus Joannes de Burnino, Burnonis successor quem habitum Ordinis in Domo Vallis S. Maciæ induisse quidam scribunt. Quantum vero præfato Præsuli noster Ordo devinctus erat, ex his probatur quæ anno 1255 diximus de discordia inter Nostros mota, quam ipse cum Archiepiscopo Lugdunensi et aliis arbitris tam prospere sedavit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1267.

Clementis PP. IV	Ordin. Cartus.	Gerardi Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 184.	Ann. 1.

I. ANNUS agitur millesimus ducentesimus sexagesimus septimus, Indictione decima, quo Clemens Pontifex non cessans in Ordinem Apostolica conferre beneficia, tres iterum in ejus favorem bullas scripsit. Prima Viterbii data est Nonis Februarii, et per eam concedit ut Priores subditos suos et Vicarii Priores suos possint absolvere ab omnibus peccatis, nisi in casibus in quibus Sedes Apostolica esset consulenda. Per secundam vero, quam quarto Nonas Julii eodem loco dedit, aliam Alexandri IV antecessoris sui bullam confirmat, qua prohibebat ne Prælati aut eorum familiares cum ad Domos nostras declinant, ab eis expensas exigerent. Unde Clemens rursum vetat ne quisquam Prælatus id de cætero præsumat. Quamobrem quidam religiosiores Prælati et magnates, cum sibi a Domibus Ordinis nostri perhumane isthæc hospitalitatis officia perspicerent exhiberi; ne quid imposterum a suis successoribus, hujuscemodi charitatis obtentu dictis monasteriis molestiæ inferretur, et quod pietatis erat christianæ, ut debitum ab eis expostularetur : solemnibus codicillis, quasi præsentaneo quodam antidoto, dictas Domos ab hujusmodi inquietudinibus sartas tectas reddere voluerunt. Horum codicillorum exemplar in Domo Parci repertum est sub sequenti forma :

CLEMENS PAPA NOVIS ORDINEM MUNIT PRIVILEGIIS.

Bohic. in Hist. ms.

Prohibet ne Prælati a nobis quicquam exigant.

« Universis præsentes litteras inspecturis, Gaufridus Dei gratia Cenomanensis episcopus salutem in Domino. Noveri-

ANNUS 1267

tis quod nos cum comitia nostra, die Martis post *Lætare Jerusalem* anno ejusdem MCCCXXXXI, venimus ad prioratum Parci in Charnia Cartusiensis Ordinis, Cenomanensis diœcesis, non causa percipiendæ procurationis seu Visitationis, sed causa spiritualis consolationis et puræ devotionis; cum dictus Prioratus nobis aliquam procurationem seu Visitationem facere minime teneatur. Datum et actum anno et die quibus supra, sub sigillo in testimonium præmissorum. »

Tertia denique Clementis bulla eximit nos a solutione decimarum pro possessionibus quas infra terminos habemus.

RIFFERIUS PROBATUR ADHUC HOC ANNO PRÆFUISSE.

II. Universi Ordinis comitiis hujus anni adhuc præsedit Rifferius Prior Cartusiæ, ut constat ex quodam Instrumento ab eodem et Capituli generalis Diffinitoribus in gratiam Domus Portarum concesso, quod est hujus sententiæ :

« Nos R. Prior Cartusiæ cæterique Priores in generali Capitulo congregati, notum facimus universis has litteras inspecturis, quod frater G. Prior Portarum nobis chartam quamdam in præsentia Capituli legendam exhibuit, quatenus Capitulum chartæ ejusdem continentiam approbaret. Cujus chartæ tenor talis est : Nos R. et J. Excubiarum et Sylvæ benedictæ Cartusiensis Ordinis Priores, notum facimus universis præsentem chartulam inspecturis, quod anno Domini MCCLXVI sedente Capitulo generali apud Cartusiam, concessum fuit ab eodem Capitulo fratri Girardo Priori Portarum quod territorium de Vernio infra terminos poneretur, et quod duo Priores accederent ad dictum locum et eumdem terminarent prout eorumdem discretioni expedire videretur. Nos vero dicti Priores ad eumdem locum accedentes, dictum territorium et viam qua venit ab eodem territorio ad domum *del Gervey, etc.*, infra terminos Domus Portarum posuimus autoritate Cap., gen. dicto territorio de Vernio eadem autoritate infra scriptos terminos assignantes : videlicet a parte orientis ecclesiam de Rufeu, etc. Nolumus tamen quod dicta via sit pro termino nec infra terminos, nisi fuerit voluntas Cap. gen., excepto pro eundo ad territorium de Vernio superius memoratum. Actum et datum VIII Cal. Junii, anno quo

supra, etc. Lecta igitur dictæ Chartæ continentia et diligenter audita, utilitati Domus Portarum providere volentes, ut dicta via esset pro termino censuimus annuendum; limitationem quam Excubiarum et Sylvæ Priores autoritate Cap. gen. sicut superius est expressum de territorio de Vernio fecerant, eidem Domui Portarum autoritate Capituli in perpetuum confirmantes. Actum apud Cartusiam anno Domini MCCLXVII; in cujus rei testimonium nos prædictus R. sigillum Cartusiæ præsentibus duximus apponendum. » ANNUS 1267

III. In eodem Capitulo, vel certe paulo post, idem R. P. Rifferius sentiens sibi vires ex longo ævo deficere, sarcinam prioratus deposuit ut sibi soli vacaret. Sed pauco post tempore a Deo vocatus, e cella in cœlum (ut pie credendum est) evolavit, illic collecturus quod hic seminaverat. Porro ex his quæ sub ejus regimine acta vidimus, facile colligere est eum fuisse virum prudentem ac rebus in agendis industrium. Quanti vero nostrarum observantiarum tuendarum ac promovendarum studio arserit, noster Reverendissimus Pater in explanatione Capituli *de Reprehensione* fuse ostendit. Post suam mortem habuit tricenarium per totum Ordinem, quod illi concessum fuerat ante duos annos per Chartam cujus fragmen sic habet : « R. Priori Cartusiæ et Willelmo Priori S. Bartholomæi conceditur per totum Ordinem tricenarium et associatio cum primo Anniversario. » Dies obitus illius in calendariis Domorum Luvigniaci et Glanderii reperitur ad 4 Calendas Septembris, diciturque tantum Monachus et sacerdos Cartusiæ : unde patet quod absolutus fuerit ab officio ante suum obitum. Chronicon Cartusiæ, Sutor et alii rerum nostrarum scriptores dicunt quidem eum obiisse eodem die in Prioratu; quod plane fieri non potest quandoquidem, ut mox videbimus, successor mense Julio jam sedebat.

ABDICAT ET MORITUR.

Tom. 1. horum Annal. p. 132 et seqq.

Ex ch. 1265.

IV. Absoluto Rifferio Gerardus electus est Prior Cartusiæ, assumptus e Domo Excubiarum quam per annos aliquot, ut asserit noster Molinus, sapientissime moderatus fuerat. Vir scientia et fama præclarus, pius ac pacificus, qui paulo post suam electionem cum quodam Nobili e villa Intermon-

GERARDUS PRIOR EXCUBIARUM SUCCEDIT.

Ex antiquo Cartul. Maj. Cartus.

ANNUS 1267

Cum Domino Intermontium paciscitur.

tium prius Cartusiæ infenso amice paciscens, ab eo litteras obtinuit Guillelmi episcopi Gratianopolitani sigillo roboratas. « Noverint universi, etc., quod ego Petrus Amblardi de Intermontibus confiteor publice et recognosco quod Domus Cartusiæ habet et habuit, tanto tempore cujus non extat memoria, plenarium usum et percursum pascuorum.... usque ad territorium mandamenti de Scalis; et in quieta possessione fuit, prout ab antecessoribus meis et ab antiquis pluribus hoc audivi, et etiam toto tempore meo vidi dictam Domum Cartusiæ ea possidere. Unde nolens nec intendens dictam Domum modo aliquo impetere, promitto pro me et hæredibus et successoribus meis, per juramentum super sancta Dei Evangelia præstitum, omnibus exceptionibus et cavillationibus cessantibus penitus et submotis, ipsam Domum Cartusiæ nunquam molestare. . . . Nec consentiam alicui venire volenti contra aliquod de præmissis. Imo ego idem Petrus Amblardi, de assensu et voluntate Clementiæ uxoris meæ, do in perpetuum donatione irrevocabili, cedo pure et absolute concedo, et quitto dictæ Domui dictum percursum, usum, etc. Actum apud Cartusiam, in superiori Domo, coram Domno Girardo Priore Domus Cartusiæ; in præsentia Joannis Fabri, Nicolai, Guillermi, Evrardi et Guillelmi Fabri Conversorum, et Petri procuratoris dictæ Domus. Ego vero præfata Clementia uxor dicti Petri Amblardi dictas donationem, cessionem. . . . do et facio pro me et hæredibus meis. . . . . Rogamus igitur nos præfati Petrus et Clementia venerabil. in Christo Patrem et dominum, Willelmum episcopum, ut ipse dignetur præsentibus litteris sigillum suum apponere, etc. Nos vero dictus Willelmus divina gratia Gratianopol. episcopus ad preces et instantiam supradictorum, etc.; præsentibus litteris sigillum nostrum apponimus, etc. Datum anno MCCLXVII, mense Julii. »

AB ADEMARO DE ANNONIACO EXEMPTIONEM OBTINET.

Ex eodem Cartul.

V. Deinde mense Octobri idem Girardus, Prior Cartusiæ, ab Ademaro de Annoniaco obtinuit litteras quibus Domum Cartusiæ eximit « ab omni pedagio, usagio et vectigali et omnino ab omni præstatione, quæ modo currit vel imposterum currere poterit per terram suam, etc. Datum in villa de Annonay. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1268.

Clementis PP. IV Ann. 4.	Ordin. Cartus. Ann. 185.	Gerardi Pr. Cartus. Ann. 2.

I. ANNO millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, Indictione undecima, Gerardus Prior Cartusiæ apud Romanum Pontificem gratiam inveniens, pro strenis hujus novi anni bullam obtinuit die 18 Januarii, qua Clemens toti Ordini concedit ut ad exhibendas procurationes Sedis Apostolicæ Legatis, etiamsi fuerint de latere Sedis ejusdem vel ejus nuntiis, seu ad præstanda quævis subsidia seu exactiones quibuscumque personis minime teneatur. GERARDUS PRIOR CARTUS. PRIVILEGIA A PAPA OBTINET.

Cumque eodem tempore ipse Gerardus nomine totius Ordinis querelas ad Sedem Apostolicam misisset, quod a quibusdam contra Privilegiorum nostrorum tenorem molestia afficeremur; Summus Pontifex qui jam similibus querelis pulsatus fuerat, his novissimis aures benigne accommodans, ad universos Ecclesiæ Prælatos in nostrum favorem litteras dedit die 23 ejusdem mensis Januarii, quibus ipsos ad defen sionem nostram suscipiendam contra eos qui spretis Privilegiis nostris audent nos molestare, exhortatur; suntque prorsus similes bullæ quam Clemens III olim contulerat. Vid. sup. ad an. 1266. V. an. 1190.

Quædam hujus Clementinæ bullæ exemplaria vidimus, hoc anno, undecimo Calendas Julii, scripta ac sigillo Guillelmi episcopi Gratianopolitani tunc in Cartusia præsentis munita, in quibus nomen Gerardi Prioris Cartusiæ reperitur. Harum litterarum apographa ad plerasque Ordinis Domos missa

ANNUS 1268

fuere, ut iis uterentur Nostri contra eos qui litem eis coram Judicibus secularibus intendebant.

PACEM CUM BONEVALLENSIBUS FACIT.

Ex Tabular. Maj. Cart.

II. Ejus etiam autoritate usus noster Gerardus, suásit Durando abbati Bonarum vallium Ordinis Cisterciensis a lite discedere quam Cartusiæ coram Delphinatus Judice intentaverat, quorumdam occasione pascuorum quæ olim Cartusienses et Bonevallenses amica compositione determinaverant. Hujus cessationis ab ipso Judice approbatæ et confirmatæ litteras habemus, quæ sunt hujusmodi :

« Præsentis scripturæ testimonio pateat universis, quod coram nobis magistro Joanne de Guncelino, Judice illustris viri domini G. dalphini Viennæ et Albonis comitis, constitutis fratre Guiffredo de Viviaco Converso et procuratore Prioris et Conventus Domus Cartusiæ pro dicta Domo ex una parte ; et fratre Hugone de Anio Monacho et procuratore Abbatis et Conventus Bonarum vallium pro dicta Domo ex altera : super eo quod dictus frater Guiffredus procurator nomine dictæ Domus Cartusiæ dicebat et proponebat quod inita fuit compositio inter Domum Cartusiæ ex una parte, et dictam Domum Bonarum vallium ex altera super pascuis montaneæ de . . . . prout in quadam littera quatuor sigillis sigillata, etc. ; (hic inserebatur hæc littera quam integram alibi dedimus, deinde sequitur) super quibus pascuis dicta Domus Bonarum vallium contra dictam compositionem veniendo injuriabatur eisdem. Super quibus inter prædictos procuratores lite diutius agitata coram nobis, tandem dicti procuratores. . . . ex pacto convenerunt ad invicem, videlicet quod ipsi volunt, consentiunt et concedunt, quod prædicta compositio prout continetur in prædicta littera valeat et perpetuam obtineat firmitatem, etc. Actum Gratianopoli die Jovis post carniprivium * vetus, anno Domini MCCLXVII ; in quorum omnium firmitatem et testimonium præsentibus litteris sigillum curiæ duximus apponendum. Nos vero Durandus abbas Bonarum vallium et Conventus ejusdem loci, et nos Girardus Prior Domus Cartusiæ et Conventus ejusdem loci, prædicta actitata per prædictos procuratores nostros grata

V. an. 1185.

* *Al.* carnisprivium.

et accepta habentes, eadem laudamus, approbamus et ratificamus, etc. »

ANNUS 1268

III. Nec solum Summi Pontificis aut aliorum Ecclesiæ Prælatorum, sed et ipsorum Principum autoritatem contra suos molestatores Nostri implorare coacti sunt. Invenimus enim hoc anno Sabaudiæ Comitem ac Delphinum Viennensem litteras tutelares ac comminatorias in gratiam Majoris Cartusiæ dedisse, quarum autographa in ejus tabulario etiamnum asservantur.

PRINCIPUM PATROCINIUM IMPLORAT.

Prima est Guigonis delphini ad omnes parochos sive capellanos sibi subditos, quibus mandat ut publice illius nomine prohibeant ne quis Cartusienses molestet. Sunt autem hujus tenoris :

A Delphino tutelares literas accipit.

« G. dalphinus Viennensis et Albonis comes, universis dilectis capellanis in terra sua constitutis ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem, suam gratiam et amorem. Dilectionem vestrorum omnium requirendam duximus et rogandam, quatenus ex parte nostra in vestris ecclesiis publice nuntietis, ne quis ausu temerario audeat in pœna corporis et bonorum infra terminos Cartusiæ aliquam violentiam facere in domibus, grangiis, nemoribus, pascuis, bestiis vel animalibus, seu aliis quibuscumque bonis vel juribus, venationibus seu piscationibus et aliis quibuscumque rebus in quibuscumque locis consistant infra dictos terminos, vel quibuscumque nominibus censeantur, præter voluntatem religiosorum Fratrum Domus superius nominatæ. Quod si quis temeritate sua contra hujusmodi mandatum nostrum attentaret, et ad audientiam nostram super hoc querimonia perveniret, tam corpus quam bona contravenientis cecidisse apud nos intendimus in commissum. Mandamus etiam et expresse præcipimus Castellanis Gratianopolis et Cornillionis, nunc præsentibus et futuris, et aliis Præpositis et Baillivis nostris qui super hoc essent requisiti a Fratribus dictæ Domus, ut Domum Cartusiæ et cellarium de *Meylan,* cum eleemosyna quam habent ibidem dicti Fratres Cartusiæ ab antecessoribus nostris, liberam et quietam ab omni usagio et exactione, et

ANNUS 1268 omnia bona sua mobilia et immobilia tam extra dictos terminos quam infra ubique salvent et defendant, et manuteneant ab omnibus, sicut nos atque nostra. Datum apud Bellum visum, anno Domini MCCLXVIII, Idibus Augusti. »

ITEM A COMITE SABAUDIÆ.

IV. Aliæ litteræ sunt Philippi comitis Sabaudiæ suorum antecessorum privilegia toti Ordini concessa confirmantis, ac præterea universis suis Baillivis, Castellanis, Mistralibus, Præpositis et aliis suis subditis præcipientis, ut omnia bona dictorum Religiosorum ac possessiones et jura ubique per totam terram suam conservent, et efficaciter custodiant ac defendant; ipsosque Religiosos ab injustis vexationibus tueantur. Datæ sunt litteræ Yannæ*, in festo B. Bartholomæi Apostoli, anno 1268.

* *Al.* Yennæ.

Deinde mense Septembri alias ampliores largitur in hunc modum : « Philippus, comes Burgundiæ et Sabaudiæ ac marchio in Italia, universis, etc., salutem et memoriam rei gestæ. Cum omnibus teneamur patrocinium nostrum et auxilium impartiri, eis potissimum providere debemus qui charitatis fervent operibus, et seculi vanitatibus spretis, divinis inveniuntur penitus obsequiis mancipari. Eapropter universitati vestræ mandando et rogando præcipimus, quatenus carissimos in Christi Patres nostros fratres Cartusiæ et eorum Ordinis diligere et manu tenere curetis, eorum Domos et familias, et omnia jura contra omnem servetis malitiam et calumniam illibata penitus et secura. Malefactores eorum conterere et punire, et benefactoribus favorem velitis et gratiam et præsidium impartiri, ut nullum sentiant præfatæ Domus sub nostra et vestra protectione molestiam vel gravamen, sed autore Domino de die in diem pacis percipiant incrementum. Ad hæc sub pœna omnium bonorum suorum, districtissime prohibemus sub dominio et jurisdictione nostra omnibus constitutis, ne quis infra eorum terminos hominem capere, furtum seu rapinam seu maleficium committere, vel homicidium facere aut præsumere audeat, sive cum præda transire, aut homines ad Domos ipsorum venientes vel ab eis redeuntes quomodolibet perturbare; ut ob reverentiam Dei

et amoris nostri et ipsorum Religionem, infra illorum terminos non solum ipsi Fratres sui, sed etiam alii plenam pacem habeant et quietem. Quia vero ii qui donaverunt eis possessiones, piscationem et venationem et avium captionem, ovium vel caprarum atque omnium domesticorum animalium pascua, et transitum infra eorum terminos prohibuerunt, sicut et in ipsorum Privilegiis a Sede Romana sæpius impetratis super his omnibus plenius continetur; Nos quoque ad imitationem patris nostri domini Thomæ comitis, eamdem prohibitionem autoritate nostra perpetuo confirmamus, etc. Actum est istud anno ab Incarnatione Domini MCCLXVIII, die Veneris post Nativitatem B. Mariæ, ante castrum Albæripæ. » ANNUS 1268

V. Hoc anno dicitur obiisse Amedeus de Sabaudia, ex monacho Majoris Cartusiæ Maurianensis episcopus; de quo nihil certi possumus astruere, cum autores qui de eo meminerint probationes ex omni parte certissimas non proferant. Noster Molinus hæc de eo habet: « Amedeus sextus filius Thomæ comitis Sabaudiæ, magnæque Cartusiæ asceta, ibique *Antiquior* a Reverendo Jancelino institutus, ob ingenuam pietatem in episcopatu Maurianensi petitus magnis precibus succedit anno 1220. Qui antiquæ reminiscens otia cellæ, et prioris Cartusianæ avidus solitudinis, Cartusiam rursus ingreditur; ubi biennio iterum in cella exacto, ad conspectum ovium remeat. » Hæc Molinus, nullam adducens autoritatem aut probationem; ad cujus dicta nihilominus qualitercumque confirmanda, invenimus quemdam Amedeum in Cartulario Cartusiæ fuisse ibidem monachum Antiquiorem anno 1216 sub Jancelino. Sed an ad nostrum Præsulem referri debeat, non audemus asserere. Sammarthani eum factum Episcopum dicunt circa annum 1240, sive potius circa annum 1237 quo Aymarus illius antecessor ad Ebredunensem Ecclesiam translatus fuerat; anno vero 1248 juramentum fidelitatis ab Hugone duce Burgundiæ, nomine Philippi fratris, excepisse ac tandem hoc præsenti anno obiisse; suosque autores Sammarthani nominant Pingonium et Swertium. Ultimus omnium

AMEDEUS A SABAUDIA MAURIANEN. EPISC. MORITUR.

Molin. Hist. ms.

ANNUS 1268

Samuel Guicheno, nostrum Molinum forsan secutus, scribit Amedeum fuisse sextum Thomæ comitis Sabaudiæ filium, et ex Cartusiano in episcopum Maurianensem assumptum anno 1220; et cum Swertio probat eum etiam sedisse anno 1248 quo Amedeus frater ejus major natu, Sabaudiæ comes, in ejus gratiam renunciavit regaliæ juri quod sibi in Ecclesia Maurianensi vendicabat. Denique ejus mortem, sicut Sammarthani, ad præsentem annum refert. Sed prorsus impossibile est Amedeum jam fuisse episcopum anno 1220, si sextus fuerit Thomæ comitis ex Margarita altera ejus conjuge filius. Huic enim nubere non potuit citius anno 1218 quo Beatrix prior illius conjux adhuc vivebat, ut apud præfatum Guichenonem legitur. Sed demus errorem typographi hic apud hunc autorem alias satis accuratum irrepsisse, et cum eo, ubi agit de Amedeo comite fratre illius natu majore, dicamus ipsum Comitem in lucem editum fuisse anno 1197. Vix tamen mihi persuadeo nostrum Amedeum jam emisisse inter Nos præfato anno 1220 professionem, et ad episcopatum evectum fuisse, cum vix tunc septimum decimum ætatis annum excessisset; quippe qui sexto tantum loco genitus dicitur. Est igitur verisimilius eum solum circa annum 1237 præsulatum adeptum fuisse post Aymarum, et in eo post annum 1248 decessisse. Ejus obitus dies in nostris vetustis calendariis ad septimum Idus Januarii reperitur.

ORDINATIONES HUJUS ANNI :

VI. In Charta Capituli generalis hujus anni orationes præcipiuntur pro « Domino Comite Sabaudiæ », de quo diximus ante biennium; et « pro Domina de Camera et filio suo ». Paulo post obiit idem Comes, cui successit Philippus comes Burgundiæ, de quo jam supra.

Ex Charta Cap. gen.

Sedente eodem Capitulo generali inter multas ordinationes a Diffinitoribus pluralitate vocum editas, hæ præcipue promulgatæ fuerunt :

1. « Statutum est ut Ordo possit nutrire de omni genere animalium.

2. « Præbendarii nostri possint sepeliri in cœmeteriis nostris, etiam in habitu seculari.

3. Liceat Prioribus et Conventibus dare terras et grangias suas ad censum perpetuum, et facere quoscumque contractus sive locare extraneis, etiam Conversis et Redditis non requisitis. »

ANNUS 1268

Etsi nihil in his ordinationibus observantiæ regulari videatur esse contrarium, nihilominus, quia non plane consonabant antiquis Ordinis usibus, Prior Cartusiæ earum executioni cum Conventu suo se interposuit, missoque ad Clementem supplici libello eas petiit revocari. Summus Pontifex decorem Ordinis apprime diligens nec minimam rugam aut maculam in eo videri sustinens, universis Ordinis personis, tum Prioribus, tum Monachis ac Conversis, hortatorias simul et increpatorias litteras dedit quibus non solum præfatas ordinationes reprobat, sed decernit ac præcipit ut deinceps sine consensu Prioris et Conventus Domus Cartusiæ Capitulum generale non possit aliquid immutare de Statutis factis : nec etiam tunc, nisi per tria Capitula immediate succedentia illud fuerit approbatum, hujusmodi immutatio robur habeat. Verbis quidem paulo asperioribus concepta est bulla, quippe quæ ex ipso nostri Gerardi ad Clementem libello supplici transumpta videntur ; sed juxta Sapientem : Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Sic igitur se habent Pontificiæ Literæ :

Prov. 27.

A SUMMO PONTIFICE REVOCATÆ.

VII. « Clemens episcopus, etc. Dilectis filiis Priori et Conventui Domus Majoris Cartusiæ, et universis Prioribus, Fratribus et Conversis Cartusiensis Ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Christi sponsam sanctam Ecclesiam, nullam rugam habentem aut maculam, sub unitate fidei Religionum universitas non mediocri venustate decorat ; quæ licet una dici possit et debeat propter suorum civium unitatem, suis tamen per orbem domibus distributa supernæ retinet civitatis exemplar, quæ cum sit unica multas habet testante Domino mansiones. Hæc est veteris quidem arca Noë miro studio fabricata, mansiunculas habens et cameras ac tristega ; hæc, Joseph mystici tunica polymita ; hæc demum ipsius Domini vestis est inconsutilis, sed desuper contexta

Inter Privil. num. 47.

ANNUS 1268

per totum : ut ex his pateat et Ecclesiæ ipsius unitas quæ regularium distinctionem professionum non abjicit, et earumdem diversitas, quæ materni corporis nec tollit nec lacerat unitatem. Ad hanc sane pulchritudinem mirabilem qua splendet et splenduit, quasi quadam varietate circumdata, pia mater retroactis temporibus, adjecit plurimum Ordo vester a suis fundatoribus, viris spiritualibus et tamquam adeps a carne penitus separatis, magno pariter et exacto consilio circumcisus; qui ab hominum segregati consortiis et ad vitæ subsidia necessaria satis paucis contenti, aquilarum more nidum suum in arduis posuerunt, in præruptis silicibus et inaccessis rupibus habitantes, deliciarum hortum squallentis eremi solitudinem arbitrati : ubi lectionibus, orationibus et contemplationi vacantes, sollicitudine Marthæ seposita, subsederunt ad pedes Domini cum Maria. Tandem ut eo liberius tam studiosum otium, tam otiosum studium prosequerentur ad votum, quo curis temporalium paucioribus tenerentur; certos sibi possessionum terminos, certa genus, sexum et numerum animalium processu temporis statuerunt, ut sicut rerum possessio limitem, sic et cupiditas finem acciperet : cum secundum lignorum multitudinem ignis ardeat, et deducto stipite vel subducto consueverit flamma minui vel perire.

« Cæterum, ut audivimus, pro tantis Patribus nati filii, si tamen filii dici debeant qui paterna vestigia non sequuntur, in Capitulis generalibus ad officium Diffinitorum assumpti, ficto quodam compassionis affectu, Domorum quarumdam vestrarum deplorantes penuriam ; causantes insuper quod generaliter totus Ordo per Religiones pauperes et modernas eleemosynis pluribus defraudatur quibus olim consueverat sustentari, de antiquis constitutionibus et observantiis vestri Ordinis immutare plurima præsumpserunt. Et nuper inter cætera statuerunt quod Domus singulæ omnis generis animalia libere possiderent, quodque Procurator Majorævi ter in anno valeat equitare, quodque Præbendarii vestri in vestris valeant cimiteriis sepeliri, et quod Prioribus et Conven-

tibus singularum Domorum liceat terras suas et grangias ad censum dare perpetuum et quemcumque contractum facere, Conversis et Redditis minime requisitis; et plura alia quæ a vetusto ejusdem Ordinis usu laudabili noscuntur penitus aliena; nonnulla insuper adjungentes quæ prærogativis præjudicant, quas Domus vestra Major habuisse dignoscitur ab antiquo: sicque, ut dicitur, per diversa Capitula tam severæ quam utiles et sinceræ constitutiones et observantiæ Ordinis relaxantur, obscuratur aurum et color ipsius optimus immutatur; et qui procurant talia, ejusdem Ordinis excellentiæ detrahunt, dum infirmitati condescendere se confingunt.

ANNUS 1268

VIII. « Nos vero qui vos et vestrum Ordinem diligimus et dileximus ex affectu, in quo bonæ memoriæ qui secundum carnem nos genuit pater noster et religiose vixisse noscitur, et agonem suum feliciter creditur consummasse; dictis dispendiis et similibus salubri consilio duximus obviandum, ad id nostrum flectentes intuitum, ut nec Ordinis libertas pereat circa ea quæ Capitulum generale pro tempore statuenda decreverit; nec in eam evagetur licentiam, ut ejusdem rigores tam celebres, tam famosos, levis impetus voluntatis evacuet, a sanctis Patribus non sine consilio (prout credimus) Sancti Spiritus introductos; et ad vitam communem redigat tam præclaræ Religionis statum et eminentiam singularem: ut per hanc viam mediam et eorum vitemus calumniam, qui cito nobis objicerent quod facile de jejuniis disputet venter plenus; et illorum obviemus astutiæ, qui sub cilicio plusquam expedit forsitan delicati, ut voluntati propriæ satisfaciant (ne, quod absit, dici conveniat voluptati) necessitatibus aliorum sese compati simulant, hujus defectum temporis allegantes qui, ut dicunt, non patitur tantæ districtionis censuram. Statuimus igitur et inviolabiliter observari præcipimus, quod de antiquis ipsius Ordinis constitutionibus generali Capitulo vel Diffinitoribus nunquam liceat absque Prioris et Monachorum Domus Majoris Cartusiæ consilio et assensu aliquid immutare; sed nec eis consentientibus immutatio hujusmodi robur habeat, donec eorum perdurante consensu in tribus

PATER CLEMENTIS OLIM FACTUS CARTUSIENSIS.

ANNUS 1268

Capitulis generalibus successive fuerit confirmata. Quod si secus fuerit attentatum, id decernimus irritum et inane. Et licet constitutiones tam canonicæ quam legales non præterita regulariter, sed futura duntaxat respiciant; ea tamen quæ in vestro Capitulo generali nuper fuere statuta, quorum vel in specie vel in genere supra fecimus mentionem, penitus reprobamus et omni volumus carere robore firmitatis. Datum Viterbii, undecimo Calend. Septemb., Pontificatus nostri anno quarto. »

Hactenus literæ Summi Pontificis, quæ ut jam monuimus verba supplicis libelli a nostris Cartusiensibus monachis Clementi oblati continent. Unde non mirum si paulo acriora sint, cum Gerardus Prior Cartusiæ eorum autor, zelum in eis imitatus sit Rifferii sui antecessoris, quem vidimus tomo primo horum Annalium ita ab omni relaxationis specie abhorruisse, ut etiam in mala non existentia sed quæ verebatur ne contingerent, æque ferventer invehebatur ac si præsentia fuissent. Hunc suum aut suorum nimium timorem noster Gerardus ipse agnovit, qui consilio Diffinitorum in præfatarum ordinationum edictione maturius postea excusso, prædictarum literarum a Clemente obtentarum suppressioni libentissime consensit, ut suo loco dicemus.

LICET MAJORI CARTUSIÆ ET DOMUI TRISULTANÆ AD ROM. CURIAM RECURRERE.

IX. Præter præfatas Ordinationes recens editas, aliam renovarunt jam anno 1155 sub Basilio promulgatam et Statutis Rifferii paucis ante annis insertam, nempe « nulli licere litteras a Romana Curia sine Capituli generalis licentia postulare, seu ipsam Curiam adire vel Domino Papæ scribere ». Hanc quidem ordinationis renovationem non invenimus in fragmento Chartæ hujus anni quod e Domo Allionis recepimus; sed hæc innotescit ex aliis Clementis litteris hoc præsenti anno datis in gratiam Majoris Cartusiæ et Domus Trisultanæ, quas Summus Pontifex ab hujusmodi lege eximit, ut sequitur:

« Clemens episcopus, etc., ad futuram rei memoriam. Ad nostrum pervenit auditum quod Diffinitores Capituli generalis Cartusiensis Ordinis noviter in eodem Capitulo, cunctis

Ubi supra num. 45.

Prioribus et Monachis ac cæteris dicti Ordinis Fratribus districte in virtute obedientiæ præceperunt, ne quisquam eorum per se vel per interpositam personam tacite vel expresse nobis vel alicui de Romana Curia scriberet; nec aliquid contra Statuta, libertatem seu consuetudinem ejusdem Ordinis, sive contra compositionem inter Majorem Domum Cartusiæ et Priores dicti Ordinis factam, quomodolibet procuraret. Nos igitur attendentes, quod talis præcepti observatio in grave dispendium dilectorum filiorum Prioris et Conventus dictæ Majoris Domus posset multipliciter redundare, ipsi quoque Domui quæ præcipuis est manutenenda favoribus, et de cujus statu prospero sollicite cogitamus; necnon Domui sancti Bartholomæi de Trisulto, Alatrinensis diœcesis, quam Romana fundavit Ecclesia; super his specialiter deferri volentes, Priores, conventus et cæteros Fratres Domorum earumdem a prædicti observatione præcepti generaliter et specialiter autoritate Apostolica duximus eximendos. Ita quod eodem præcepto nequaquam obstante, nobis et cuicumque voluerint de prædicta Curia scribere, nuncios mittere, ac quicquid ad salutem suam et prosperum statum Domorum et Ordinis prædictorum expedire viderint, libere valeant procurare. Dictis insuper Diffinitoribus et Capitulo districtius inhibemus ne contra eosdem Priores et Conventus, communiter vel divisim, in aliquo hac occasione procedant. Nos enim excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias et quaslibet pœnas, si quis in eos vel eorum aliquem prætextu præcepti hujusmodi non servati, contra exemptionis vel inhibitionis nostræ tenorem a quoquam promulgare vel infligi contigerit, ex nunc decernimus irritas et inanes. Datum Viterbii, V Calend. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto. »

ANNUS 1268

Hæc Clemens Pontifex, quæ postea expressa fuere in Nova Statutorum Collectione sub Bernardo Carasso facta; ibi enim dicitur quod « ex indulto Domini Clementis Papæ IV, nulla Domus aut persona Ordinis, exceptis Domibus Majoris Cartusiæ et sancti Bartholomæi de Trisulto, potest Domino Papæ pro se aliisve quibuslibet quacumque ex causa scribere, nec

Pag. 2. No. Collect. cap. 25. num. 9.

ANNUS 1268

per se vel per alium litteras a Romana Curia sine licentia Capituli generalis postulare, nec ipsam Curiam adire ». Hæc ibi.

AN CLEMENS HUNC RECURSUM ALIIS DOMIBUS PROHIBUERIT.

X. Quod autem dicitur, ex Indulto Domini Clementis Papæ IV nulli licitum esse ad Romanam Curiam scribere nec eam adire, non sic accipiendum videtur, quasi Clemens bullam aliquam scripserit hæc expresse prohibentem (nullam enim vidimus), sed quod per præfatas litteras, Domos Majoris Cartusiæ et Trisultanam eximendo a prædicto Capituli generalis decreto, illud in suo robore circa alias Domos permanere tacite annuerit. Tacens enim habetur pro consentiente, in his quæ sine ejus consensu fieri non possunt. Et revera post datam hujus Summi Pontificis bullam, Patres Clementis successorum autoritate fulti, adhuc tenacius operam dederunt ut hæc prohibitio districte servaretur; quam propterea sæpius redintegratam legimus in Chartis Capituli generalis, novis etiam pœnis ad priores adjunctis, ut anno 1277 videbimus.

Bohic. ad hunc an.

Sa, in Aphorism. confess. verbo *Consensus.*

Alia decreta Cap. gen.

De aliis Ordinationibus in eisdem hujus anni Comitiis promulgatis, hæc habentur notatu digniora :

1. « In optione Priorum sit, loco inutilium tres recipere personas quas voluerint. Item loco istorum qui non possunt facere septimanam Missarum, possint recipi alii.

2. « De cætero duo Breves dicantur in hebdomada pro Brevibus Ordinis, exceptis quatuor septimanis : scilicet Natalis Domini, Ramis palmarum, Paschæ et Pentecostes.

3. « Corpus Domini servetur in capella inferiori sub clavi. »

Clemens IV moritur.

Exeunte tandem præsenti anno Clemens Papa, de Ordine Cartusiensi uti de universali Ecclesia optime meritus, defunctus est die Novemb. 29, maximo omnium luctu, qui parvo eo quo præfuit tempore non parum profuit et contulit nobis. Post illius mortem vacavit Sedes duobus annis et mensibus novem, orta inter Cardinales contentione, cum dignus Clementi successor quæritur.

Platina in Clemente IV.

JESU CHRISTI

ANNUS 1269.

Inter-Pontificii	Ordin. Cartus.	Gerardi Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 186.	Ann. 3.

BONIFACIUS ARCHIEP. CANTUAR. FAUTOR PORTARUM.

I. ANNO Christi sexagesimo nono post millesimum ducentesimum, Indictione duodecima, nostri Portarum monachi molestias a quibusdam vicinis patientes, apud Bonifacium de Sabaudia Cantuariensem archiepiscopum, tamquam Rossilionis dominum, querimonias suas, juxta tenorem litterarum Clementis IV de quibus anno precedente, contra eos detulerunt; a quo et sequentes litteras tutelares obtinuerunt :

Ex Cartular. dom. Portar.

« Bonifacius miseratione divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ Primas et dominus Rossilionis, dilecto Castellano suo Guidoni Bovart et cæteris Castellanis qui pro tempore fuerint in castro Rossilionis, salutem, gratiam et benedictionem. Mandamus vobis firmiter injungentes, quatenus illam decimam partem bladi quam Prior et Conventus Portarum consueverunt percipere in essartiis, etc., ab hominibus qui ibidem habent essarta; quam dicti homines tenentur solvere dictis Priori et Conventui, prout ex forma compositionis cujusdam factæ inter dictos Priorem et Conventum ex una parte et dictos homines ex altera, per manum discreti viri magistri Stephani archidiaconi Cantuariensis de voluntate dictorum Prioris et hominum et de consensu nostro, quam firmiter volumus observari, nobis constitit evidenter; eis a dictis hominibus reddi et persolvi annis singulis faciatis : et in futurum ab omni perturbatore, vel quamcumque violen-

ANNUS 1269

tiam inferente, autoritate nostra viriliter defendatis. Datum apud Contiacum, in vigilia Epiphaniæ Domini, anno MCCLXVIII. » Id est anno 1269, juxta calculum hodiernum.

QUÆSTIONES INTER PRIOREM CARTUSIÆ ET CAP. GENER.

II. Cum in Comitiis hujus anni, Gerardus Prior Cartusiæ alteram Clementis bullam ordinationum in præcedenti Capitulo generali promulgatarum revocatoriam Prioribus congregatis exhibuisset ; quidam ex eis præter aspera verba quibus concipiebatur, sed quæ humiliter ferenda sentiebant, nescio quid animadvertentes contrarium quibusdam articulis compositionis anno 1255 circa formam ac potestatem Capituli generalis initæ, petierunt suarum decisionem difficultatum amicorum arbitrio committi. Quod utrimque statim acceptum est, ac sequens confectum compromissum :

Committuntur arbitris.

« Nos F. G. Prior et totus Conventus Domus Cartusiæ et Priores forenses infra scripti nobis adhærentes, ex una parte ; et nos F. Joannes Majorævi et Burno Luvigniaci Priores pro nobis et aliis Prioribus infra scriptis absentibus, quorum procuratores sumus sicut in eorum litteris infra annexis plenius continetur ; et nos F. Jo. Sylvæ Benedictæ et Jo. Apponiaci et Rogerius Vallis viridis Parisiensis Priores, ex altera ; notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum controversia seu contentio verteretur inter nos super modo et forma tenendi Capitulum generale apud Cartusiam, et super quibusdam Statutis et innovationibus Statutorum anno præterito, et alias inter nos factis et quibusdam etiam aliis faciendis, resecandis, minuendis, mutandis, declarandis. . . . . Tandem nos, prædictæ partes, pro bono pacis unanimiter compromittimus alte et basse in religiosos viros fratrem Humbertum de Romanis de Ordine Prædicatorum, et fratrem A. Priorem Sancti Salvatoris et fratrem Guiffredum Priorem de Bosozello, tamquam in arbitros arbitratores et amicabiles compositores et Statutorum reformatores et statuendorum institutores ; dantes eisdem plenariam potestatem examinandi negotium nostrum de plano et sine strepitu judicii. . . . partibus præsentibus vel altera ipsarum absente ; promittentes eis solemni stipulatione et juramentis in animas

Humbertus de Romanis quondam Minister Generalis Prædicatorum.

nostras interpositis, per personas infra scriptas de speciali et expresso mandato nostro pro nobis et successoribus nostris, nos stare et obedire in perpetuum dicto et dictis, statuto et statutis, et pronunciationibus quas dicti arbitratores. . . . duxerint promulgandas vel statuendas. Jurante pro nobis dicto G. Priore Cartusiæ et tota parte nostra, F. Petro Priore Boniloci et nobis dictis procuratoribus jurantibus pro nobis et nomine Priorum absentium. . . . . Et renunciamus expresse omnibus appellationibus a nobis ad Sedem Apostolicam interpositis pro isto negotio, contra Domum Cartusiæ seu Priorem et Conventum suum vel adhærentes eisdem.

ANNUS 1269

« Tenor autem litterarum dictæ procurationis talis est : Universis præsentes litteras inspecturis, Montis Dei, Vallis S. Petri, Vallis Dei, Ligeti, Bellilarici, Portus S. Mariæ, Glanderii, Vallis S. Georgii Priores salutem in Domino. Noverint universi quod nos omnes et singuli, Joannem Majorævi et Burnonem Luvigniaci Priores, procuratores nostros constituimus generales in omnibus causis quas habemus et habituri sumus inter nos ex una parte, et Priorem et Conventum Cartusiæ ex altera. Dantes eisdem procuratoribus plenariam potestatem agendi, etc. Datum anno MCCLXVIIII, die Jovis ante Dominicam qua cantatur *Cantate,* cum appositionibus sigillorum dictorum Priorum, etc. Nomina vero Priorum forensium Domui Cartusiæ in hoc negotio in compromisso adhærentium, sunt hæc : G. Portarum, Aymarus Excubiarum, Jacobus Durbonis, P. Arveriæ, Aymo Valonis, Aymo Montis rivi, P. Algionis, A. Repausatorii, Hugo Vallisclusæ, Lacardus Vallis S. Mariæ, Jacobus Vallis S. Joannis, P. Casularum, Guillermus Arduæ, Bernardus Vernæ, Antelmus Bonæfidei, P. Boniloci, P. Vallis S. Hugonis, Umbertus Allionis, Jacobus Vallis S. Mauritii, Bernardus Pomerii, Guillermus Montisbenedicti, P. procurator Scalæ Dei, Guillermus Vallisbonæ, Guillermus S. Bartholomæi, Girondus Vallis S. Martini. Et est actum specialiter in hoc compromisso, quod Capitulum Cartusiæ generale compellat Priores absentes qui non miserunt procuratores, ad consentiendum præsenti compromisso. Actum in

ANNUS 1269

generali Capitulo Cartusiæ, die Mercurii post Dominicam qua cantatur *Cantate Domino,* anno MCCLXVIIII. Præsentibus testibus, venerabilibus Patribus Domno R. Tarentasiensi archiepiscopo, Domino Guillermo Gratianopolitano episcopo, dicto fratre A. Priore S. Salvatoris et aliis Prioribus supra proxime nominatis, et Lantelmo notario publico qui de mandato dictarum partium præsens compromissum in publicam formam redegi, etc. »

Sententiam suam non pronuntiarunt arbitri nisi post duos annos, de qua propterea et de totius negotii decisione plura disserere differimus.

DOMUS S. PAULI DE MARITIMO FUNDATUR.

III. Hoc anno initium habuit cartusia Sancti Pauli de Maritimo in vice-comitatu de Cabrera, diœcesis Gerundensis, distans decem leucis ab urbe Barcinone versus orientalem plagam juxta mare; constructa in eminenti castello ubi ante ducentos annos Raymundus comes Barcinonensis, post multas de Mahumetanis reportatas victorias, in gratiarum actionem monasterium a se fundatum Aldeberdo Lerinensi contulerat. Ibi diu monachi Benedictini cum laude religiosæ conversationis demorati fuerant, donec hujus pertæsi stationis, locum religioso viro Guillelmo de Montegrino, Gerundensis Ecclesiæ æedituo, vendiderint, qui hoc præsenti anno illum Ordini Cartusiensi ascripsit, datis suæ donationis litteris sequentibus :

Ex ms. Montis Hilaris.

Guillelmus de Montegrino fundator.

« Ad honorem, laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi et gloriosissimæ Mariæ virginis matris ejus, et beati Pauli Apostoli totiusque Ecclesiæ cœlestis, nos Guillelmus de Montegrino, sacrista Gerundensis, ob remedium animæ nostræ et carissimi nepotis nostri bonæ memoriæ Pontii Guillelmi de Turrucella, et illorum qui culpa et occasione nostri aliquo tempore deliquerunt, et illorum, quibus nos aliquomodo tenemur, vivorum et mortuorum ac omnium fidelium Christianorum : damus donatione irrevocabili inter vivos et etiam offerimus per francum et librum alodium Domino nostro Deo et Ordini Cartusiensi, in manu et posse Prioris et Monachorum monasterii Scalæ Dei Ordinis ante-

Monachi Scalæ Dei donationem recipiunt.

dicti, Tarraconensis diœcesis, præsentibus fratre Petro de Villasendra et fratre Bernardo de Anglada monachis ipsius monasterii Escalæ Dei, ad hoc donum recipiendum pro Ordine dicto specialiter destinatis, totum nostrum castrum seu domum sancti Pauli de Maritimo; quod castrum sive domus est sita in diœcesi Gerundensi, cum omnibus juribus, terminis et juridictionibus et pertinentiis et tenedonibus universis et omnium rerum dominiis, dicto castro et domui sive loco sancti Pauli ubique pertinentibus tam in diœcesi Gerundensi et Barcinonæ quam in cunctis aliis locis, prout nos nostrum locum et castrum sive domum S. Pauli cum omnibus juribus, pertinentiis et tenedonibus suis melius et latius, emimus ab Abbate et conventu monasterii Sancti Honorati Lirinensis. Donamus etiam et offerimus Ordini antedicto totum honorem nostrum, et mansos et bordas cum hominibus et fœminis, et omnibus juribus et dominiis universis quæ nos habemus et habere debemus in parochiis, etc., ratione emptionis quam inde fecimus ab Abbate et Conventu monasterii S. Felicis de Catinis : et etiam totum honorem nostrum, et mansos et bordas cum hominibus et fœminis, et omnibus juribus, dominiis, juridictionibus, pertinentiis, tenedonibus et aliis universis quæ nos emimus a domina Brunissende et Simone de Gundella filio ejus, et domina Blancha uxore dicti Simonis, et quæ sunt in parochia, etc. : et etiam omnes domos sive hospitium nostrum quod habemus in civitate Gerundæ, inter carrariam qua ascenditur versus castrum de Gundella et murum ejusdem civitatis supra hospitium A. de Miniana, præcentoris Gerundensis, quod habet ibidem; quod quidem hospitium emimus a Guillelmo Dalmatii clavigerio Ecclesiæ Gerundensis, et in quo etiam hospitio fuit postmodum per nos hospitium novum factum.

ANNUS 1269

DONATIONIS CONDITIONES.

IV. « Prædicta quidem omnia et singula offerimus et donamus Domino Deo et Ordini Cartusiensi prædicto sub hac videlicet forma : quod in jam dicto castro sive domo et loco S. Pauli sit perpetuo monasterium et Conventus ejusdem Ordinis, in quo quidem monasterio et Conventu sint ad mi-

ANNUS 1269

nus tresdecim Monachi cum Priore, secundum laudabiles consuetudines ejusdem Ordinis, ponendi et etiam ordinandi; et hoc ponimus sub obtestatione divini judicii in periculo animarum Prioris Cartusiensis et Visitatorum ejusdem Ordinis præsentium et etiam futurorum. Et si facultates sufficerent vel super existerent, sint in dicto loco plures Monachi prout Priori et Monachis ipsius loci videbitur faciendum. Qui quidem Monachi atque Prior in dicto loco conventualiter degentes ad honorem Dei et omnium Sanctorum, orent semper Deum pro anima nostra et prædicti nepotis nostri et aliorum omnium prædictorum. Jam dictum igitur castrum et omnia alia et singula supra dicta, prout melius et latius ad nos spectant, et prout melius et utilius et latius ad utilitatem et commodum prædicti Ordinis dici potest vel etiam cogitari, cum præsenti instrumento firmiter omni tempore valituro, damus et offerimus Deo et Ordini antedicto et Priori et Monachis ejusdem Ordinis et suis successoribus qui pro tempore fuerint in dicto castro sive domo vel loco Sancti Pauli, et prædictis duobus Monachis supra nominatis hoc donum pro dicto Ordine et loco recipientibus; et donando, ipsos in corporalem possessionem inducimus de prædictis, tradendo in præsenti dictis duobus Fratribus nomine prædicti Ordinis instrumenta castri et loci prædicti, et aliorum honorum ac emptionum prædictarum, cum omnibus suis pertinentiis et juribus ac proprietatibus et hominibus et fœminis, ac omnibus aliis ad prædictum castrum et locum et alios jam dictos honores (quos nos emimus) pertinentibus ullo modo, prout melius et plenius nos prædicta omnia emimus et adquisivimus, et prout melius in instrumentis emptionum inde confectis largius et latius continetur. Donantes et cedentes in præsenti Ordini antedicto et prædictis duobus Fratribus, pro eodem in omnibus et super omnibus et singulis supra dictis, omnia jura nostra et loca et voces et rationes et actiones nostras, reales et personales, utiles et directas, ordinarias et extraordinarias atque mixtas, nobis competentes et competituras in præmissis vel pro ipsis ad omnes suas voluntates, prout melius potest dici vel intelligi

ad bonum et sanum intellectum dicti Ordinis atque Fratrum. Mandantes insuper omnibus honoribus dicti castri et aliorum honorum prædictorum, ut jam dictum Ordinem Cartusien. et specialiter Priorem et Monachos qui in dicto loco et castro S. Pauli habitatores fuerint vel morantes, omni tempore pro Dominis habeant et reclament, et eisdem in omnibus obediant et reverentiam exhibeant sicut nobis, et Priori dicti loci qui pro tempore fuerit vice sua et aliorum faciant homagium manuale, etc. Acta sunt hæc sexto decimo Calendas Februarii, anno Incarnationis MCCLXVIIII. Ego Guillelmus de Montegrino Gerundensis sacrista, subscribo. Hujus rei testes sunt frater Guillelmus de Colonico et frater Barengarius Guillelmi de Ordine Prædicatorum, Pontius de Palatiolo canonicus Gerundensis, Arnaldus de Colonico presbyter de Capitulo Gerundensi, Arnaldus Pontii jurisperitus, Raymundus de Latone, Arnaldus de Sancto Martino et Raymundus Landrici clerici sacerdotes. » Hactenus fundationis diploma.

ANNUS 1269

V. Vix Nostri possessionem istius loci inierant cum pius fundator opere adhuc imperfecto quatuor post annis ad meliorem vitam translatus est, cujus obitus in Charta his verbis denuntiatur : « Sacristæ Girundæ, fundatori Domus sancti Pauli, conceditur Tricenarium et associatio cum primo anniversario per totum Ordinem ; qui obiit XII Calendas Junii. » Quanta vero fuerit morum illius probitas quantæve animi dotes, ex hoc uno probari potest quod S. Raymundus de Pennaforti, recusato archiepiscopatu Tarraconensi ad quem a Gregorio nono destinatus erat circa annum 1233, nostrum Guillelmum nominaverit velut tanto honore cunctis aliis digniorem. Consecrationem tamen non accepit, sed aliquot post annis ultro se hac dignitate abdicavit.

MORITUR FUNDATOR.

Ex ch. 1274.

Olim nominatus Archiep. Taraconen.

Bolland. in notis ad cap. 4. Vitæ S. Raym.

Videtur hic locus propter aeris intemperiem sanus non fuisse, brevi enim tempore plures Monachos reperimus in hac Domo defunctos : ex quibus quinque designantur inter novem annorum spatium, nempe ab anno 1281 ad 1289, quo tum Priori tum residuis monachis, inde forsan emigrare volentibus, promittitur singulare beneficium si ibidem ad mor-

Multi Monachi brevi tempore ibidem defuncti.

ANNUS 1269

Ex ch. 1289.

tem usque perseverarent. Sic autem habet Charta : « Joannes Vallisviridis juvenis, sancti Pauli monachus et sacerdos (qui ibidem obierat), præter Brevem habet tricenarium per totum Ordinem et associationem cum primo tricenario. Item Domno Josiæ (al. Jonæ) Priori ejusdem conceduntur post ejus obitum, a non sacerdote L psalmi, a laicis L *Pater noster*, si in Domo S. Pauli obierit in officio Prioratus. Item conceditur octo Monachis ibidem nunc existentibus tricenarium per totum Ordinem, si ibidem vitam suam finierint vel alibi præcepto obedientiæ fuerint transmutati. »

Quæstio movetur inter Nostros et Lerinenses.

* Exigendum.

Deinde videtur aliqua quæstio inter Nostros et Lerinenses orta, nam per Chartam anni 1310 Prioribus hujus Domus et Scalæ Dei præcipitur, « ut accedant ad abbatiam S. Honorati Lerinensis ad terminum exponendum * secundum voluntatem Abbatis qui eis transmittetur, et tractent de negotio Domus sancti Pauli ad utilitatem et pacem ejusdem. » Et rursum fit mentio ejusdem negotii anno sequenti, cujus Charta hæc pauca habet : « Respondebitur Abbati Lerinensi cum tempus fuerit opportunum. » Deinde postquam Nostri per centum sexaginta quinque annos et amplius in magna paupertate ibidem stetissent, ut colligitur ex Chartis, ad Domum Montishilaris autoritate Summi Pontificis translati sunt anno 1433, ut fusius suo loco sumus dicturi.

JESU CHRISTI

ANNUS 1270.

Inter-Pontificii Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 177.	Gerardi Pr. Cart. Ann. 4.

I. CHRISTI annus millesimus ducentesimus septuagesimus sequitur, Indictione decima tertia, quo sanctus Ludovicus Francorum rex christianissimus, nihil fractus superiorum temporum laboribus et expensis quas in priori contra Saracenos expeditione fecerat, Calendis Martii cum tribus filiis suis mare ingressus in Africam transfretat. Ante suum discessum piissimus Rex Cartusiensibus Parisiensibus, quos sæpe tum pietatis tum amoris ergo convenire solebat, valedixit. « Non sine magno doloris sensu (inquit autor Chronici Cartusiæ Parisiensis) Prior septemque primi Vallis viridis incolæ dimiserunt Regem. Tanti enim Principis regnique Procerum patrocinio orbati, quo se verterent nesciebant.

S. LUDOVICUS IN AFRICAM TRANSFRETAT.

Vita apud Surium.

Cartusiensibus valedicit.

Interea celebratis hoc anno Ordinis Cartusiensis Comitiis generalibus, preces pro felici tantæ rei successu indicuntur in hæc verba : « Pro Archiepiscopo Tarentasiæ, et Episcopo Lingonensi, et dominis Regibus Franciæ et Navarræ et domino Auduardo (Henrici III regis Angliæ filio) et omnibus aliis peregrinis transmarinis, dicat quilibet Monachus Ordinis sacerdos unam Missam de Spiritu Sancto, et pro ipsis benefactoribus. Et qualibet hebdomada in qualibet Domo Ordinis dicatur una Missa de B. Maria. » Hactenus Charta præsentis anni, ex qua patet sanctum Regem adhuc tum vixisse, contra eos qui mortem illius ad annum superiorem revocarunt. Dum

Preces pro eo per totum Ordinem instituuntur.

ANNUS 1270

sic tota Europa pro tanto negotio preces ad Deum fundit, capitur quidem portus Carthaginis, sed morbo qui illo anno iis in locis mire grassabatur, Christianorum exercitum invadente, moritur Joannes Nivernensis comes Regis filius, moritur et ipse sanctissimus Rex cum multis e nobilitate et plebe.

Moritur sanctus Rex.

Ejus obitus in Calendario cartusiæ Vallis viridis ad 25 Augusti sic designatur : « Sanctus Ludovicus, quondam rex Francorum, primus fundator noster, dedit nobis quinque modios bladi super grangiam de Gonessia ; dedit etiam nobis sexaginta libras annui reditus, et multas admortizationes et plura alia bona. » Gaufridus de Belloloco Ordinis Prædicatorum in ejus Vita, agens de operibus misericordiæ et eleemosynarum erga pauperes largitate, sic de eadem fundatione loquitur : « Insuper Monachis Ordinis Cartusiensis prope Parisios in loco qui dicitur Vallisviridis, et locum apte providit, et ad vivendum Deo ibidem sufficientes reditus contulit. » Hæc ille, quæ etiam Guillelmus de Nangiaco de verbo ad verbum retulit. Præterea in suo testamento, quod hoc præsenti anno mense Februario sanctus Rex condiderat, totius Ordinis non est oblitus. « Legamus, inquit, Domibus Ordinis Cartusiensis in regno Franciæ constitutis, LX libras distribuendas similiter secundum discretionem et Ordinationem Executorum nostrorum ; et Fratribus ejusdem Ordinis ad ædificationem novæ Domus suæ juxta Parisius centum libras. »

QUANDO INTER SANCTOS RELATUS.

II. Etsi statim post suam mortem cœperit miraculis fulgere, nihilominus Margareta regina vidua illius, eodem tempore quo ejus urgebat inter Sanctos relationem, preces pro eo fundi ab Ordine petiit, et per Chartam anni 1294, scilicet annis 24 post illius obitum, impetravit his verbis : « Oretur pro illustrissima domina Margareta regina Franciæ et ejus liberis, et domino Ludovico quondam rege Franciæ, et omnibus ejus recommendatis. » Ex his verbis arguuntur Sammarthani qui contra alios autores volunt Margaritam jam anno 1185 obiisse.

Ejus beneficia erga Nos.

Anno denique nonagesimo septimo hujus sæculi, a Bonifa-

cio VIII in Sanctorum ordinem assertus est. Quantum vero de Ordine Cartusiensi meritus sit, non solum ex his patet quæ præsenti anno retulimus, sed ex his etiam quas annis superioribus de ejus liberalitate diximus, tam erga Majorem Cartusiam et Capitulum generale quam erga Domos Vallis Dei, Ligeti ac Parci, et forte erga plures alias quarum monumenta non vidimus. ANNUS 1270

III. Qui etiam in posterum ei successere Francorum Reges innumeris Ordinem nostrum obstrinxerunt beneficiis, quorum aliqua sic recenset Choppinus : « Religiosissimi Principes nostri, inquit, effusa benignitate res auxerunt Cartusianæ familiæ. Nam Carolus V rex, Cartusiæ alumnos cunctis nummorum intributionibus vacuos sanxit, quocumque bellorum nomine aut bellorum occasione populo imponerentur, epistola aperta quarto decimo Cal. Februarii anno 1368 ; quam Carolus filius ratam habuit septimo Idus Februarii anno 1382, Carolus VII mense Septembri anno 1446, Ludovicus XI Novembri anno 61 ejusdem seculi, Carolus VIII Quintili anno 80 ejusdem seculi, Franciscus I Octobri anno 1520, Henricus II Octobri anno quadragesimo septimo ejusdem seculi. » Addidisset Choppinus, si nostris vixisset temporibus, Ludovicum Justum et Ludovicum magnum qui hæc eadem privilegia non semel confirmarunt et renovarunt, imo et auxerunt, ut suis locis Deo dante fusius exponemus. Pergit Choppinus : «Hæc autem Principum rescripta senatus promulgavit tertio Nonas Julias anno 1485, pridie Calendas Majas anno 1548. Postridie Calendas Martias anno sexagesimo sexto ejusdem sæculi, et 7 Idus Septembris anno 76 ejusdem seculi. Eorum quoque anteriora Summi vectigalium Juridici publicaverunt decimo Calendas Quintiles anno 1383, tertio Calendas Februarias anno 1521, ac pridie Iduum sextilium anno 1552. Principalium itidem Rationum Magistri pridie Idus Majas anno 1548.

QUANTA AB EJUS SUCCESSORIBUS EXPERTI SUMUS.

Choppin. lib. 2. Monast. tit. 2. num. 8.

« Enim vero Ludovicus XI rex monasticam illam vectigalium immunitatem ampliavit, diserte professus Cœnobitas non modo ipsos, sed eorum quoque familiares, servos et

ANNUS 1270

Donatos cuivis cartusiæ, liberos exemptosque plebeis indictionibus, portoriis mercium, ac nummariis in fiscum collationibus indiscriminatim; codicillis pridie Calendas Novembris anno 1465 quos Præfectis Ærarii placuit executioni demandari sexto Idus Novembris, ac supremis vectigalium Magistratibus 17 Calendas Januarias eodem anno. Verum in summa ista Fiscalium Indictionum Curia agitatum scio, illane patrimonialium munerum vacatio produceretur ad res solis recens partas monasteriis, post diplomaticum immunitatis beneficium. » Et post pauca : « Ast in superiore facti specie diversa sententia judicanti applausit Curiæ vectigalium Regiorum postridie Calendas sextiles anno 1585, Roberto cartusiæ Dionysianæ d'*Orgues* et Bossantio vicanorum loci causidicis. Nam favorabiliter indultum est ecclesiasticæ popularium Tributorum immunitati, ut futura, nedum præsentia complectatur ». Hactenus Choppinus qui ultimo loquitur de arresto sive decreto Curiæ Juvaminum die 2 Augusti anno 1585, in gratiam cartusiæ Parci edictum contra habitatores pagi Sancti Dionysii eidem cartusiæ vicino : unde et eam Dionysianam appellat. De quo decreto forsan plura dicemus eodem anno. Tandemque postquam plura adhuc disseruit Choppinus, concludit « haud æquiorem legem uspiam fuisse, quam ut spirituale æternumque Cœnobitarum in omnes munus temporario demererentur monarchæ, et sacras illorum ad Superos orationes profanis vitæ subsidiis vicissim remunerarentur. » Quod ipsum præstitum esse uberrime a Sancto Ludovico rege et ejus successoribus Christianissimis passim Historiæ loquuntur.

GUIGO DELPHINUS APUD PRATIMOL. PARTHENIUM SEPELITUR.

IV. Hoc etiam anno decessit Guigo delphinus, sepultus apud Moniales Pratimollis nostri Ordinis quas ejus mater fundaverat, ut suo loco diximus. Beatrix vero a Sabaudia illius uxor, alterius parthenii Cartusiensis (Melani videlicet) fundatrix, statim post mariti obitum totum Ordinem nostrum in suam suscepit tutelam, scripsitque litteras, iis quas idem Guigo ante duos annos dederat omnino similes, quibus etiam declarat « omnia bona ab antecessoribus inclytæ re-

Ejus vidua Ordinem tuetur.

cordationis domini G. dalphini Viennensis et Albonis comitis, quondam mariti sui, Cartusiensibus data, libera esse et quieta ab omni usagio et exactione, etc. Datum hoc anno, mense Junii, in vigilia beati Joannis. »

ANNUS 1270

RELIGIOSI DE MISERIACO CARTUSIENSIBUS RECONCILIANTUR.

V. Has litteras videtur Beatrix concessisse occasione Religiosorum Sancti Martini de Miseriaco quorum antecessores vidimus Cartusiæ Majori multa fecisse bona: sed hoc anno mota inter eos et Nostros satis gravi discordia cœperant hinc inde animi exasperari, quos tamen Guillelmus episcopus Gratianopolitanus ita compescuit ut ipsi Religiosi factæ Nostris injuriæ statim pœnituerint, sicut ipse Episcopus ad eorum petitionem his litteris declaravit:

« In nomine Domini, etc., anno ejusdem MCCLXX mense Decembris. Nos Guillelmus divina miseratione Gratianopolitanus episcopus, notum facimus quod cum gravis discordia viguisset inter religiosos viros G. Priorem et Conventum Domus Cartusiæ ex una parte, et Soffredum Priorem S. Martini de Misereaco et Capitulum ejusdem loci ex altera; super eo quod dicti Prior et Capitulum Sancti Martini asserentes ad se pertinere ab antiquo jus percipiendi decimas fructuum in parochiis, etc.; dictis Cartusiensibus proponentibus ex adverso sibi fore concessum privilegium a Summo Pontifice ne de fructibus possessionum suarum, etc., solvere alicui decimas tenerentur, etc. Tandem prædicti Prior et Capitulum Sancti Martini prædicto privilegio diligentius inspecto, et habito tractatu diligenti cum sapientibus, recognoverunt se in hac parte errasse; promiserunt per stipulationem solemnem et super sancta Dei Evangelia jurantes, etc., nunquam de cætero contra privilegium prædictum venire nec ipsos Cartusienses nec successores eorum inquietare per se vel per alios, etc. Quæ omnia et singula supra dicta nos Guillelmus prædictus episcopus loci diœcesanus, ad requisitionem et supplicationem dictorum Prioris et Capituli S. Martini approbavimus, et confirmavimus expresse, etc. »

BONIFACIUS CANTUAR. ARCHIEP. BIS CARTUSIÆ NOVITIUS MORITUR.

VI. Hoc pariter anno, die 14 (al. 18) Julii, pie obiit Bonifacius de Sabaudia, filius Thomæ comitis Sabaudiæ, tunc ar-

ANNUS 1270

chiepiscopus Cantuariensis in Anglia. Hic pridem valefaciens mundo omnique seculari pompæ, Amedeum fratrem ex Monacho Cartusiensi factum episcopum Maurianensem imitatus, se Deo in Cartusia Magna Principibus exemplo dicarat; sed nondum emissis votis, cogitur Prioratus Nantuacensis regimen capescere. Abdicato Prioratu ad Cartusiam revertitur, paucisque post mensibus eligitur episcopus Bellicensis circa 1234. Inde fit administrator Ecclesiæ Valentinensis ac tandem archiepiscopus Cantuariensis post sancti Edmundi mortem. Anno 1250, dum suam diœcesim lustraret, suaves ab Hugone Cartusiæ Priore litteras accepit quas suo loco retulimus, in quibus Hugo profitetur eum cum lacrymis e Cartusia quondam recessisse, « in qua, inquit, tam altum posueratis fundamentum virtutis. »

Molin. in hist. ms. Ord. Cart.

Vindicatur a calumniis hæreticorum.

Matthæus Paris, Principum commoda Summorum Pontificum honori sæpius præponens, Bonifacium insimulat quod Domino Papæ addictior esset quam Regi. Unde Godwinus, episcopus heterodoxus, in suo de Præsulibus Angliæ commentario nihil in eo præter generis nobilitatem commendat; fatetur tamen, etsi invitus, postquam illius administrationem invida dente carpsit, tria ab eo præstita fuisse memoratu non indigna. Primum quod bis et vicies millium marcarum æs alienum ab antecessoribus Archiepiscopis contractum exolverit totum. Secundum quod xenodochium amplissimum Maidestonæ in Anglia construxerit et prædiis locupletaverit. Denique quod aulam illam magnificentissimam palatii archiepiscopalis Cantuariensis ab Huberto inchoatam, magno sumptu perfecerit. Nec solum in Anglia sed præsertim in his Sabaudiæ regionibus in pauperes et monachos multa charitate conspicuum se reddidit; ita ut Philippus Ferrarius et Andreas Saussayus locum ei dare suis in Martyrologiis non dubitarunt. Guicheno quoque ipsum velut Præsulem sanctum a Sabaudis coli asserit, dicitque illius corpus ante triginta annos quam hæc scriberet (scribebat autem anno 1660) corruptionis expers in tumulo fuisse inventum.

Guichenon. Hist. Sabaud.

Quanta Nostris contulerit.

Præter beneficia pene innumera, quibus vivens nostri Do-

mos Ordinis cumulaverat, testamento suo anno 1264 condito, multa dedit quæ sic ibidem exprimit : « Domui Cartusiæ principali do, lego, centum libras viennenses pro anniversario meo, annis singulis ibidem faciendo. Singulis Prioribus cartusiæ, illis quibus specialiter est legatum exceptis, viginti libras viennenses relinquo pro anniversario meo in singulis eorum monasteriis annuatim faciendo ; » et paulo post : « Ecclesiæ Sylvæ Benedictæ, ecclesiæ de Portes, ecclesiæ de Arveria et ecclesiæ de Allione, cuilibet ad similem causam, quinquaginta libras viennenses, etc. ». Obiit in arce Sanctæ Helenæ. Jacet hodie Camberiaci, cum prius sepultus fuisset in abbatia Altæcombæ cum sequenti epitaphio : « Hic jacet Bonifacius de Sabaudia Cantuariensis archiepiscopus, operibus bonis et virtutibus plenus ; obiit autem apud S. Helenam anno Domini 1270, 14 die Julii. Magister Henricus Coloniensis fecit hanc tumbam. »

ANNUS 1270

VII. Injungitur hoc anno per Chartam Capituli generalis : 1. « Ut Missa de Beata Maria dicatur in sabbatis privatim in festis Capituli et Candelarum, exceptis diebus Natalis Domini et Sabbato sancto et quatuor festis Beatæ Mariæ ». Id jam diu ante constitutum fuerat, ut ex dictis anno 1171 et ex Statutis a Rifferio ante annos undecim editis constat ; sed in Comitiis hujus anni renovatum est, quod forsan in quibusdam Domibus non observaretur. Inde porro patet quam sit antiquus apud Nos iste mos celebrandi Missam de Sancta Virgine singulis sabbati diebus. Idem aliquot post annis constitutum videtur in synodo Nemausensi, ubi post multa circa Missarum celebrationem sancita hæc clausula subditur : « Hoc salvo quod de officio B. Mariæ singulis hebdomadibus celebrando a nobis noscitur constitutum. » Non nominatur his verbis Missa, sed etiam intelligendum esse satis patet ex verborum præcedentium contextu. Id apertius instituit Concilium Avenionense anno 1326 celebratum : « In primis statuimus et communiter ordinamus quod Missa de B. Maria, additis collectis *Ecclesiæ tuæ* et *Deus a quo sancta*, in die sabbati si festum novem lectionum non impediat, alioquin in

MISSA DE B. M. SINGULIS SABBATIS DICENDA PRÆCIPITUR PER CAP. GEN.

Stat. Ant. p. 1. c. 36. n. 1. et 2.

Syn. Nemaus. an. 1284. Concil. Labb. t. XI.

ANNUS 1270

alia vacante feria ipsius hebdomadæ, solemniter in singulis ecclesiis celebretur. » Easdem porro orationes ab eodem Concilio indictas etiamnum in hac Missa dicimus : unde fit evidens Ordinem nostrum nihil in officio divino et præsertim in celebrandis Missis immutasse, nisi juxta Ecclesiæ et Conciliorum decreta.

DECRETA CAP. GENER.

VIII. 2. Item fit admonitio ne « ullus præsumat contendere cum Superiore suo palam vel privatim, secundum quod dicitur in regula S. Benedicti imo et in omnibus Regulis.

3. « Vicarius absente Priore dicat *Benedicite* Prioribus extraneis supervenientibus.

4. « Pro Tricenario inchoando possit tranferri Anniversarium.

5. « Monachi qui non sunt sacerdotes dicant psalterium unum pro Tricenario concesso illis qui non sunt de Domo, et Conversi centum quinquaginta *Pater noster*.

6. « Loco trium personarum inutilium possint recipi tres utiles, ita quod numerus utilium non excedatur.

7. « Quando Professus Ordinis dimittit Ordinem et postea redit ad Nos, iterum non profitetur. »

Nihil in his Comitiis circa discordiam anno præcedenti motam actum est; tum quod Sedes Apostolica adhuc vacaret, tum maxime quod Humbertus de Romanis hujus negotii præcipuus arbiter tunc abesset, Ordinis sui rebus alio intentus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1271.

Inter-Pontificii	Ordin. Cartus.	Gerardi Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 188.	Ann. 5.

I. ANNUS agitur salutis humanæ millesimus ducentesimus septuagesimus primus, Indictione quarta decima, quo Patres nostri Romanam Ecclesiam videntes ob continua Cardinalium dissidia in sua, ut ita dicam, viduitate adhuc jacentem; ne res nostræ interim aliquod notabile ex controversia ab annis duobus inter se orta incommodum paterentur, arbitros rogant ut quam citius totum illud negotium dijudicent. Ad quod facilius expediendum, Prior Cartusiæ cum suo Conventu consentit suppressioni literarum quas a Clemente IV anno 1268 obtinuerat. Aderant tunc apud Cartusiam Guillelmus episcopus Gratianopolitanus nostri Ordinis amantissimus et cum eo duo ex arbitris, scilicet Guifredus Bozoselli et Arnaldus Sancti Salvatoris Priores, quorum potestatem eis ante biennium factam confirmaverunt Priores qui hujus anni comitiis intererant. Horum consensum præfatus Episcopus ad preces et instantiam Diffinitorum totiusque Capituli generalis accepit, litterisque ut sequitur mandavit : COMPROMISSUM ANNI 1269 RENOVATUR.

« Nos Guillelmus divina miseratione Gratianopolitanus episcopus, notum facimus universis, etc., quod anno MCCLXXI, die Martis post Dominicam qua cantatur *Cantate Domino*, in Capitulo generali Cartusiæ existentibus coram nobis G. Bozoselli et Sancti Salvatoris Prioribus arbitris, arbitratoribus seu amicabilibus compositoribus.... quondam electis a

ANNUS 1271

Priore Cartusiæ et sibi adhærentibus ex una parte; et Prioribus Ligeti et Luvigniaci et parte sua ex altera, una cum fratre Humberto de Romanis de Ordine Prædicatorum nunc absente, sicut in compromisso inde confecto plenius continetur : Priores quidem extrinseci infrascripti, qui non fuerunt præsentes Cartusiæ tempore compromissi in dictos Priores et fratrem Humbertum quondam facti, ratificaverunt ipsum compromissum in præsentia nostra et totius Capituli generalis, jurantes ad Sancta Dei Evangelia pro se et successoribus suis se contra dictum compromissum non venturos; quorum nomina sunt hæc : Henricus Montismerulæ, Martinus Sellionis, Lantelmus Sancti Pauli, Petrus Glanderii, Guido Vallis sancti Petri, Nicolaus Montis Dei, Dyonisius Portus beatæ Mariæ, Petrus Vallis sancti Georgii Priores. Posthæc vero Diffinitores præsentis Capituli infra scripti vice sua et totius Capituli generalis, sicut ex ordinatione dictorum arbitrorum sigillis eorum sigillata habetur, ratificaverunt et acceptaverunt ex certa scientia universaliter, sicut singulariter compromiserant, præfatum compromissum; supplentes de plenitudine suæ potestatis ad officium Deffinitionis sibi datæ defectum, si quis in dicto compromisso per negligentiam vel ignorantiam inveniri valeret; præbentes assensum expressum et ex certa scientia, vice omnium tam Priorum quam Conventuum totius Ordinis Cartusiæ, recipiendæ et acceptandæ ordinationi, constitutioni dictorum arbitrorum et in perpetuum tenendæ et observandæ; et vice et mandato omnium assensit Prior Cartusiæ et respondit. Nomina vero dictorum Diffinitorum sunt hæc : G. Cartusiæ, Willermus Portarum, Guillelmus Algionis, Hugo Vallisclusæ, Burno Luvigniaci, Bernardus Pomerii, Jocerandus Ligeti, Petrus Vallis sancti Hugonis Priores, et Guigo del Groing Monachus Cartusiæ.

PRIOR ET CONVENTUS CARTUSIÆ BULLÆ AN. 1268 OBTENTÆ NUNCIUM REMITTUNT.

II. « Postmodum Prior et Conventus Cartusiæ, sicut in dicta ordinatione continetur, renunciaverunt pro bono pacis, in quantum in ipsis est, tribus litteris Apostolicis de quibus pars adversa referebat quæstionem. Quarum una incipit : *Christi sponsam,* etc.; secunda : *Ad nostrum auditum pervenit,* etc.,

tertia: *Cum nuper dilectum*, etc. Nomina vero Monachorum Conventus Cartusiæ sunt hæc : Dominus Guigo prædictus, Richerius, Humbertus, Willermus de Briançon, Petrus de Layea, Anselmus, Joannes de Aquis, Petrus de Scalis, P. de Lugduno, Gaufridus, Antelmus sacrista, Petrus Sancti Roberti ; duo Novitii, Guigo de Ponte et magister Bozo. Deinde autem dicti Diffinitores et totum Capitulum generale constituerunt coram nobis procuratores suos, ad suscipiendum ordinationes et constitutiones dictorum arbitrorum seu statutariorum, G. Cartusiæ et Johan. Ligeti Priores, si in Domo Cartusiæ prædicta ordinatio a dictis arbitris fuerit tradita et oblata : sin autem alibi, Algionis et Ligeti Priores. Dantes ipsos duos Priores nihilominus præfatis arbitris pro consiliariis ad tractandum et perficiendum et complendum, secundum quod ipsis arbitris videbitur faciendum. Estque conventum inter eos quod si dicti duo Priores, Ligeti et Algionis, non possent interesse in loco dictæ ordinationis tradendæ ab ipsis arbitris, quod ipsi duo possint constituere alios duos procuratores et consiliatores ad faciendum prædicta, quilibet unum cum insinuatione suarum patentum litterarum. Volunt autem et statuunt dicti Diffinitores et totum Capitulum generale, quod quidquid cum dictis procuratoribus et consiliariis vel aliis substitutis ab eis, quoad tradendam et recipiendam prædictam ordinationem dictorum arbitrorum, ab ipsis arbitris actum fuerit, ratum ac firmum ab omnibus habeatur ac si esset actum cum toto Capitulo generali. Actum Cartusiæ anno et die supra dictis. In quorum testimonium nos dictus Episcopus ad preces et instantiam dictorum Diffinitorum et totius Capituli generalis sigillum nostrum tamquam autenticum, et nos dicti Diffinitores vice nostra et totius dicti Capituli generalis in robur, consensum et acceptationem omnium præmissorum, sigilla nostra apponi fecimus huic Chartæ. Et ego Guigo del Groing monachus, quia sigillum proprium non habeo, sigillo Prioris nostri contentus sum in hac parte. »

ANNUS 1271

III. Posthac, circa finem mensis Junii, Humbertus de Ro- ARBITRORUM SENTENTIA.

ANNUS 1271

manis et duo alii arbitri juxta præfatam potestatem sibi datam apud Cartusiam congregati, spatio circiter trium hebdomadarum auditis et ponderatis utriusque partis rationibus, visisque et examinatis instrumentis hinc inde prolatis, sequentem tulere sententiam, die Martis, 19 Julii :

« In nomine Domini. Nos frater Humbertus de Romanis de Ordine Prædicatorum et frater G. de Bozosello et A. Sancti Salvatoris Priores, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum controversia verteretur inter Fratrem G. Priorem et Conventum Domus Cartusiæ et Priores extrinsecos sibi adhærentes ex una parte : et fratres Jo. Majorævi, et B. Luvigniaci Priores et procuratores quorumdam Priorum sibi adhærentium tunc absentium, et fratres Jo. Sylvæ benedictæ, Jo. Apponiaci, R. Vallis viridis Parisiensis Priores ex altera : super modo et forma tenendi Capitulum generale apud Cartusiam ; et super quibusdam Statutis et innovationibus Statutorum anno præterito tunc et alias inter eos factis, et quibusdam etiam aliis faciendis, resecandis, minuendis, mutandis, declarandis et reformandis ; et super omnibus aliis quæstionibus et rancuris quas habebant et habere poterant ad invicem, quacumque causa vel qualibet occasione : tandem prædictæ partes super prædictis omnibus in nos tres prædictos, tamquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, Statutorum reformatores et statuendorum institutores, unanimiter compromiserunt ; compromisso in nos facto, vel per interpositas personas juramento vallato. Acto specialiter in dicto compromisso quod Capitulum Cartusiæ compellat Priores absentes, qui non miserunt Procuratores ad consentiendum ipsi compromisso et ad ratificandum ipsum : sicut in instrumento inde confecto, manu publica conscripto et signato, et sigillis venerabilium Patrum R. Dei gratia Tarent. archiepiscopi, et G. Gratianopolitani episcopi, Domus Cartusiæ et dictorum procuratorum roborato, plenius continetur. Traditisque a dictis compromissoribus in manibus nostris litteris compositionis olim initæ inter partes, per manus venerabilium Patrum R. Dei gratia

Viennensis archiepiscopi et Ph. tunc Lugdunensis electi, et dicti fratris Humberti tunc Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum et fratris P. Rocelins et Radulphi de Varey de eodem Ordine : traditisque etiam privilegiis seu litteris tempore Domini Clementis Papæ quarti a Sede Apostolica impetratis, quarum una incipit *Christi sponsam, etc.*, ut de omnibus nos minuendo, amplificando vel omnia tollendo, possemus facere pro nostræ libito voluntatis; sicut in litteris inde confectis sigillo Domini G. Gratianopolitani episcopi sigillatis plenius continetur. Ratificato confirmatoque prædicto compromisso per totum generale Capitulum Cartusiæ, anno Domini MCCLXXI, die Martis post Dominicam qua cantatur *Cantate Domino,* universaliter et singulariter tam per singulos Fratres in illo Capitulo congregatos, quam per Diffinitores existentes ibidem; præstitoque assensu expresso ab omnibus, ordinationi et constitutioni nostræ recipiendæ et acceptandæ et in perpetuum observandæ; et suppleto a dictis Diffinitoribus, si quis defectus in dicto compromisso inveniri valeret; constitutisque a generali Capitulo procuratoribus suis ad suscipiendas ordinationes et constitutiones nostras G. Cartusiæ et Jo. Ligeti Prioribus, si in Domo Cartusiæ nostra ordinatio traderetur : sicut in litteris inde confectis sigillo Domini G. Gratianopolitani episcopi et manu Diffinitorum ipsius Capituli sigillatis plenius continetur.

ANNUS 1271

« Tandem nos dicti arbitri, arbitratores, statutarii seu Statutorum reformatores, convenientes invicem in quindena dicta Apostolorum, compromisso prædicto recepto de licentia Prælatorum nostrorum, Dominum habentes præ oculis; habito cum dictis procuratoribus diligenti tractatu atque consilio, examinato negotio de plano, et perlectis antiquis litteris et novis constitutionibus Ordinis Cartusiensis, et aliis de quibus partes quæstionem inter se referebant; præsentibus prædictis procuratoribus apud Cartusiam, ordinamus, dicimus et pronuntiamus quod prædictæ partes specialiter compromiserunt et prædicti procuratores, et per ipsos totum Capitulum generale Cartusiense, tres Compilationes Statu-

ANNUS 1271

torum seu constitutionum (quibus appendent sigilla nostra), quarum prima est *de divinis Officiis*, secunda est *de Monachis et ad ipsos pertinentibus*, tertia est *de Conversis et Redditis*, per nos reformatas, declaratas, et in quibusdam mutatas et resecatas et additas, pro Statutis seu constitutionibus Ordinis Cartusiensis pro se suisque successoribus et conventibus recipiant, et observent, et faciant ubique ab aliis suis subditis observari : non obstantibus compositione et litteris Apostolicis supradictis ; reservantes nobis, nos dicti statutarii (prout ex compromisso prædicto nobis competit), plenariam potestatem interpretandi, exponendi, declarandi, super ambiguitatibus, additionibus, substractionibus, mutationibus dictarum Compilationum, si de ipsis quæstio vel dubitatio fieret inter partes. Has autem Compilationes tradimus dictis Procuratoribus recipientibus reformatas, exceptis titulis *de Fugitivis et Expulsis* tam Monachis quam Conversis et Redditis, et *de Monialibus* Ordinis Cartusiensis ; quos titulos relinquimus Capitulo generali Cartusiensi reformandos. Volentes et ordinantes quod procuratores prædicti et proximum Capitulum generale, præfatas compilationes recipiant et observent ex nostra pronunciatione seu dicto vel mandato ac si nos dictas compilationes eis de verbo ad verbum ordinando et diffiniendo totaliter legissemus ; assignataque die a nobis in quindena Apostolorum Petri et Pauli apud Cartusiam ad tradendum et recipiendum nostram ordinationem prædictam, de ista clausula transmutata plene constat nobis. Actum Cartusiæ, XIV Calendas Augusti, anno Domini MCCLXXI. In quorum testimonium nos dicti tres arbitratores, seu statutarii vel statutorum reformatores, sigilla nostra apponi fecimus huic chartæ ; præsentibus testibus fratre Willelmo de Chenureres de Ordine Prædicatorum, Fratre Dalmatio Chatene monacho Casæ Dei, A. Excubiarum, G. Angionis, Hu. Vallisclusæ, G. Portarum, et P. Vallis sancti Hugonis Prioribus, et pluribus aliis. »

DOMUS VERNÆ COMBURITUR.

IV. Hoc anno cartusia Vernæ in Provincia, ante annos centum fundata, vento vehementiori flammas in ædificia evi-

brante quorumdam tribulorum quos rustici in monte incendebant, tota combusta est. Verum extrema luctus gaudium occupavit : quamprimum siquidem Episcopi utriusque diœcesis Toloniensis et Forojuliensis sumptus compararunt, subditosque exhortatione et consilio usque eo perduxerunt ut quisque ad consumptæ structuræ reparationem contulerit. Hujus rei fidem facit bulla exhortatoria Guillelmi de Albussiaco episcopi Forojul. sequentis tenoris : ANNUS 1271

« F. Guillelmus miseratione divina Forojul. episcop., dilectis in Christo Prioribus, Capellanis et aliis ecclesiarum Rectoribus per civitatem et diœcesim Forojul. constitutis, ad quos, etc. Cum Domus de Verna per magnum incendium patiatur et passa sit damnum maximum, ita quod novæ Domus ædificia et molendina et paratoria ipsius Domus de Verna per dictum incendium sunt combusta, et ad restaurandum seu reparandum prædicta propriæ Domus non suppetant facultates, cum ipsa Domus (sicut vos scire credimus) multum indigens sit et pauper : charitatem vestram duximus esse exhortandam et in Domino rogandam, quatenus vestras eleemosynas pro reparando tanto damno, charitatis intuitu porrigatis, etc. Datum Forojul. anno Domini MCCLXXI, die XXVIII Septembris. » *Fit collectio ad eam instaurandam.*

Extant et aliæ litteræ ejusdem rationis, quas Episcopus Grassensis post quatuor annos sub sequenti forma concessit :

« Guillelmus sola Dei gratia Grassensis Ecclesiæ minister humilis, dilectis in Christo Prioribus, Vicariis, Capellanis, etc., per Grassensem civitatem et diœcesim constitutis... Cum Domus Vernæ Forojul. diœcesis, Ordinis Cartusiensis, tam in cellis Fratrum quam in bladis et alveariis apum et multis aliis passa sit incendium, et ob hoc magnum sustinuerit detrimentum, et ad prædictorum reparationem et sustentationem Fratrum propriæ non suppetant facultates; universitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, etc. Datum Antipoli, Nonis Februarii, an. MCCLXXV. »

V. Hoc etiam anno obiit Alphonsus comes Pictaviensis, ALPHONSUS COMES PICTAVIENSIS MORITUR.

ANNUS 1271

V. an. 1247.

Ex veteri Cartul. Maj. Cart. vol. 3. fol. 107.

Benefactor Cap. gen.

S. Ludovici regis frater et singularis Domus Portus B. Mariæ benefactor (ut alibi vidimus), qui præterea sancti sui fratris erga totum Ordinem æmulatus munificentiam, annuum septem librarum reditum ad sumptus Capituli generalis sustinendos concessit, incerto quidem anno; sed hujus donationis notitiam habemus ex literis P. Prioris et Conventus Vallis S. Mariæ, qui anno 1292 « confitentur habuisse et recepisse in bona pecunia numerata a Priore Vallis viridis tradente et solvente, nomine et ex parte totius Capituli generalis, octo viginti libras Turonenses pro emendis reditibus et possessionibus, ex quibus habeat et percipiat septem libras Turonenses annis singulis in perpetuum, in ipso Capitulo generali, pro eleemosyna quam olim fecerat felicis recordationis comes Alfonsus Pictaviensis toti Ordini in subsidium expensarum quæ fiunt in ipso Capitulo generali; quas etiam dicti Prior et Conventus confitentur conversas fuisse in utilitatem dictæ Domus Vallis S. Mariæ. Promittentes (inquiunt) per solemnem stipulationem et pactum expressum bona fide Priori Cartusiæ qui nunc est et pro temporibus fuerit, et ipsi Capitulo generali, solvere apud Cartusiam, propriis sumptibus et expensis, quolibet anno septem libras Turonenses, etc. Et si forte, quod absit, nos vel successores nostri tanquam immemores salutis æternæ deficeremus in aliquo prædictorum, pœnam decem librarum volumus incurrere quotiescunque inveniremur deficere in prædictis; et ad prædicta omnia observanda compelli possimus per ecclesiasticam censuram per Priorem Cartusiæ vel Diffinitores Capituli generalis, etc. Datum die Martis post festum beatorum martyrum Nerei et Achillei, anno MCCLXXXXII. In cujus rei testimonium sigillum nostrum unicum, quo utimur, præsentibus duximus apponendum. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1272.

Gregorii PP. X	Ordin. Cartus.	Guillelmi I Pr.Cart.
Ann. 1.	Ann. 189.	Ann. 1.

I. ILLUCESCIT annus Redemptoris millesimus ducentesimus septuagesimus secundus, Indictione decima quinta, quo Theobaldus natione Placentinus, Leodiensis archidiaconus, qui anno superiore mense Septembri post interpontificium duorum annorum et novem mensium, Summus Pontifex tunc absens nominatus fuerat, Romæ mense Martio consecratus est, dictusque Gregorius decimus. GREGORIUS X CONSECRATUR.

II. Hoc etiam anno vel obiit, vel cessit, Gerardus Prior Cartusiæ postquam quinque admodum annis ad Ordinis clavum consedisset, laudabiliterque Domui Cartusiæ præfuisset. Cui successit Guillelmus Fabri tunc Angionis Prior, quem Chronicon vocat « virum magnæ virtutis et religiositatis ». Qui de rebus nostris hactenus scripserunt, tempus quo Gerardus rexit producunt ad annum 1273 vel etiam 1274, sed Guillelmum regimen hoc præsenti anno jam tenuisse, certissima autoritate habemus ex cartulario Majoris Cartusiæ desumpta, ubi extat prolixum instrumentum coram Petro Anselini notario publico actum, quo dominus Petrus de Buccurione, filius et hæres Berlionis de Castronovo militis domini de Buccurione et Alisiæ, fundationem unius Monachi in Domo Cartusiæ anno 1221 a patre factam, et alias donationes ab Alisia et maxime a fratre suo Eynardo de Buccurione eidem Domui concessas confirmat. Et inter cætera sic loquitur

GERARDUS PRIOR CARTUS. VEL CEDIT VEL OBIIT.

Guillelmus I ei succedit ex Priore Angionis.

Accipit donationem Petri de Buccurione.

ANNUS 1272

notarius. « Eisdem anno (id est 1272) et Indictione (videlicet 15), nono Idus Octobris, coram testibus infra scriptis prædictus Petrus de Buccurione confitetur et recognoscit fratri Guillermo Priori dictæ Domus Cartusiæ præsenti et recipienti, quod Eynardus de Buccurione filius et hæres dicti domini Berlionis, pro anniversario dicti domini Berlionis quondam annis singulis in Domo Cartusiæ faciendo, etc., assignaverat duos solidos, etc. Actum hoc apud Cartusiam in domo Monachorum infra domum Hospitum. Testes fuerunt vocati frater Boso Prior Vallis sancti Hugonis, frater Guillelmus Fabri Conversus Cartusiæ et Bernardus Guillenes, etc. Et ad majorem hujus rei firmitatem, nos Guillermus Dei gratia Gratianopolitanus episcopus, ad preces et ad instantiam prædicti Petri de Buccurione et Prioris Domus Cartusiæ, sigillum nostrum una cum sigillo dicti Petri præsenti chartæ duximus apponendum. » Quæ quidem omnia approbavit, laudavit et confirmavit Beatrix ejusdem domini Petri de Buccurione uxor.

DOMUS PORTÆ CŒLI FUNDATUR.

Alfaura in origin. Cartus.

III. Hoc anno Domus Portæ Cœli, Beatæ Virgini Mariæ dicata, in valle *Lullen* et tesquis devotissimis in regno et diœcesi Valentiæ in Hispania erecta, ab ipsa metropoli quatuor leucis in meridie posita, et totidem a Segobriensi ad septemtrionem vergente distans, primum ac præcipuum fundatorem agnoscit Andream Albalat Ordinis Prædicatorum et tertium Valentinum archiepiscopum, qui sequens fundationis instrumentum sexto Novembris hujus anni confici curavit :

Charta fundationis.

« Noverint universi quod cum sit pium et animarum saluti congruum ac etiam fructuosum, cultum divinum augere per quem Dei omnipotentis clementia potius excitatur, peccatorum contagio ac delictorum labes diluitur, venia sive remissio obtinetur : ideo nos frater A. divina miseratione Valentinus episcopus, attendentes quod animarum salus ab iis maxime quibus ipsarum cura commissa dignoscitur, debet præcipue procurari ; attendentes etiam quod Deus omnipotens, sine quo nihil est validum, nihil stabile, de illorum manibus plura requiret quibus plura committenda decrevit ; nostræ et aliarum

animarum saluti, quarum curam suscepimus, providere volentes ac nostros supplere seu relevare defectus : ad honorem Dei et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti ac beatissimæ ac gloriosæ virginis Mariæ matris Christi, ob remedium animæ nostræ et inclyti ac magnifici D. Regis Jacobi, et illustris Infantis Petri ipsius primogeniti, et fælicis memoriæ dominæ Elisabeth quondam reginæ Franciæ filiolæ nostræ, ac bonæ memoriæ domini Petri quondam archiepiscopi Tarraconensis Reveren. Patris ac beatissimi germani nostri, et Domini Eximeni Perez de Arenoso quondam defuncti, parentum nostrorum, benefactorum, ac omnium fidelium defunctorum ; de assensu et expressa voluntate nostri Capituli, statuimus, ordinamus ac ædificamus monasterium Ordinis Cartusiensis in loco vocato hactenus *Lullen,* Valentinensis diœcesis, quem deinceps vocari decrevimus « Monasterium Sanctæ Mariæ de Porta cœli », ubi sit Prior et conventus ejusdem Ordinis, super quo gratiam obtinuimus a Priore et Capitulo generali Cartusiensi ; quod quidem monasterium dotare intendimus juxta possibilitatem et gratiam a Domino nobis datam. Qui Prior et Conventus prædicti monasterii S. Mariæ de Porta cœli, præsentes et futuri, pro vivis et defunctis et specialiter pro Domino Papa ac universæ Ecclesiæ Dei Prælatis Ecclesiam ac fidem Catholicam sustinentibus ac etiam defendentibus, et potissime pro animabus prædictorum et nostra, quotidie divina officia debeant celebrare ; nobis ac successoribus nostris Ecclesiæ Valentinensis Episcopis tamquam Patronis ipsius Monasterii debitam reverentiam exhibentes, salvis in omnibus Ordinis sui privilegiis, statutis ac de cætero statuendis, etc. Actum Valentiæ, VIII Idus Novemb., anno Domini MCCLXXII. Ego frater Andreas Valentin. episcopus subscribo, et decem Canonici subscriptiones etiam suas apposuerunt. »

ANNUS
1272

Qualis fuerit fundator.

Fuit Albalatius magnæ religionis antistes, quem clerus Valentinensis propter illius eximiam pietatem et doctrinam ad hanc dignitatem evexerat anno 1248, consensu atque permissu Innocentii IV. Suæ Ecclesiæ præfuit annis circiter 28,

Bzov. ad an. 1248.

ANNUS 1272

Vincent. Fontana in sac. Theatro Domin. p. 1. c. 4.

profectusque Viterbium ad Joannem XXI ibidem pie defunctus est anno 1276; condito prius cum licentia Summi Pontificis testamento quo legavit huic cartusiæ quingenta scuta. Deinde corpus ejus Viterbio Valentiam translatus, in Cathedrali sepulturam accepit, opera maxime Prioris hujus Domus qui propterea Viterbium accesserat.

UNDE NOMEN HUIC DOMUI INDITUM.

IV. Huic Domui speciosum nomen Portæ cœli indidit fundator ex ipsa loci natura et situ, qui adeo amœnus et aspectantibus suavis ut cœlestium mentium potius quam hominum sedes videatur. Cœli ibi magna temperies, æstatis et hyemis mira clementia, sed quod majus est, tot et tam egregios edidit filios, ut eorum merita ad justum volumen conficiendum suppeditarunt Domno Joanni Baptistæ Civera qui Domus hujusce Chronicon anno 1629 composuit, ex quo eruemus quæcumque hanc Domum spectantia his Annalibus inserentur; sed maxime de viris pietate et doctrina tam insignibus ut merito exclamare liceat : Non est hic aliud nisi domus et porta cœli. Unde et sanctus Ludovicus Bertrandus Dominicanus, Nostrorum in hac Domo degentium pietatem demiratus dicere solebat : « Nescio quæ divina virtus et efficacia moratur in loco illo ; nam montes, arbores, parietes monasterii, Religiosi, cellæ et reliqua omnia spirant devotionem, redolent pietatem, mentem colligunt et spiritum accendunt et inflammant. » Sanctissimus quoque vir, F. Nicolaus Factor, Ordinis Sancti Francisci, ad hanc Domum cum venisset, statim ad cœmeterium accedens, genibus flexis cœpit colligere ossicula, quæ summa cum veneratione per os et oculos ducens aiebat : « O quanti Sancti hic requiescunt, qui canonizari merebantur. »

Virorum sanctorum de hac Domo sententia.

Ex Chronico cap. 4.

Fundatore Nostris citius erepto, quippe qui parvo post fundationem tempore obierit, hæc Domus in magna paupertate et angustia diu remansit, donec benefactores nancisceretur qui ejus inopiam sustentarent.

BENEFACTORES.

V. Margarita de Luria, comitissa Terrænovæ, anno 1325 ecclesiam ædificari jussit, quæ fuit tantum consecrata anno 1400 ab Antonio Athenarum archiepiscopo; præsentibus Mar-

tino Aragonum rege, Petro de Serra cardinali et episcopo Cataniæ, et ingenti procerum multitudine. ANNUS 1272

Franciscus Aranda, vir nobilissimus, cum sex Monachos anno 1395 fundasset et dotasset, ibidem induto Donatorum habitu sancte defunctus est, de quo multa suis locis occurrent dicenda. Nullum alium benefactorem autor Chronici recensuit, licet perplures fuisse constet ex Chartis Capituli generalis in quibus sequentes recensentur :

In Charta anni 1457 preces indicuntur « pro nobili et magnifico domino Joanne Castella, barone Fabariæ in regno Siciliæ, magno benefactore Portæ Cæli. »

Isabella de Both dicitur magna benefactrix in Charta ejusdem anni in qua ejus obitus denunciatur. In aliis Chartis recensentur Jacobus Eparch[a] canonicus et præpositus Ecclesiæ Valentiæ. [a] Ex ch. 1480.

Catharina[b] de Leon et Andolea de Boil, Francina[c] Bertrand, forsan ex familia B. Ludovici; Beatrix de Cornell[d] habens Missam de Beata Maria per totum Ordinem. [b] Ex ch. 1491. [c] Ex ch. 1522. [d] Ex ch. 1523.

Philippus Joannes de Monterde[e] utriusque juris Doctor, consiliarius Catholici Regis Hispaniarum in Parlamento Valentiæ, præcipuus benefactor Portæ Cœli et Vallis Christi, habens Missam de B. Maria. [e] Ex ch. 1592.

Chrysostomus Foix, subsacrista Sedis Valentinæ, habuit singulare tricenarium, Missam de B. Maria per totum Ordinem et anniversarium in hac Domo. [f] Ex ch. 1606.

Joannes a Ribera archiepiscopus Valentinus et Patriarcha Antiochenus, Ordinis amicus et benefactor Portæ cœli dicitur in Charta anni 1611. Sunt et plures alii in eisdem Chartis, quos præterire cogimur eo quod ipsorum nomina corrupte scripta appareant.

VI. Hoc anno, vel sequenti secundum quosdam scriptores, obiit Henricus hujus nomini tertius, rex Angliæ, cum regnasset annis quinquaginta sex et amplius. Fundationes Domorum Withamiensis et Hentoniensis et donationem quinquaginta marcarum argenti Majori Cartusiæ ab Henrico II factam confirmavit, anno ut diximus 1235. HENRICUS III REX ANGLIÆ MORITUR.

ANNUS 1272

LICENTIÆ EX CHARTA CAP. GEN.

VII. Hoc præsenti anno in Comitiis Ordinis « permittitur Clericis Redditis, ut possint ecclesiam sine cappa intrare ; et Conversis et Redditis ut possint mitti extra terminos infra annum probationis. » Ita ex Charta Capituli generalis, cujus fragmentum tantum habemus.

Gregorii PP. X	Ordin. Cartus.	Guillelmi I Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 190.	Ann. 2.

I. ADEST annus Christi septuagesimus tertius supra millesimum ducentesimum, Indictione prima, quo Gregorius Papa ad Eboracensem Archiepiscopum et ad duos alios Angliæ Episcopos in Majoris Cartusiæ gratiam litteras scripsit, ut ad Eduardum novum regem, pensionem quinquaginta marcarum argenti Nostris ex scaccario ejus attributam persolvere recusantem accedentes, persuaderent vel reliquias ejusdem pensionis reddere, vel eam in aliquo fundo collocare unde facilius posset singulis annis recuperari. Autographum bullæ Gregorii habemus cum sigillo plumbeo sub sequenti tenore : GREGORIUS IN GRATIAM ORDINIS AD REGEM ANGL. SCRIBIT.

« Gregorius, etc. Venerabilibus fratribus Eboracensi Archiepiscopo, Wintoniensi et Bathoniensi Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Ad ea quæ carissimi in Christo filii nostri E. regis Angliæ illustris animæ salutem respiciunt, tanto confidenter celsitudinem Regiam salutaribus exhortationibus invitamus, quanto specialiter Regem ipsum inter alios orbis Principes circa quælibet pietatis opera credimus promptum et facilem invenire. Ex parte siquidem dilectorum filiorum Prioris et Fratrum Domus Cartusiens., Gratianopolitan. diœcesis, fuit propositum coram nobis quod dudum claræ memoriæ Henricus rex Angliæ, providenter attendens quod cum intuitu omnium Creatoris aliquid de bonis temporalibus ab ipso collatis pauperibus erogatur, ejus immensa Ex Tabul. Maj. Cart.

ANNUS 1273

pietas bonorum munifica muneratrix illud in bonis temporalibus et æternis cum adjectione multiplici recompensat, eisdem Priori et Fratribus ac eorum Domui quinquaginta marcas argenti de regia camera in eleemosynam liberaliter contulit, eis annis singulis in perpetuum exolvendis. Et licet præfati Prior et Fratres a tempore collationis hujusmodi, a progenitoribus Regis ipsius prædictas quinquaginta marcas per longa temporum spatia perceperint annuatim; postmodum tamen per plures annos eis non sunt, ut asserunt, persolutæ. Unde prædictum E. regem per nostras litteras rogandum duximus attentius et exhortandum, ut dictis Priori et Fratribus de subtractis ex præfatis quinquaginta marcis plenam satisfactionem impendat, et eas percipiendas ab eis annis singulis in aliquibus certis redditibus in loco tuto, quos de facili sine onere expensarum habere valeant, assignare procuret : ita quod exinde apud Deum gratiam et gloriam mereatur, nosque devotionis suæ promptitudinem non immerito commendare possimus. Quo circa fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo, aut unus vestrum, præfatum E. regem ad id monere prudenter et inducere procuretis. Datum Lugduni, X Calend. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio. »

RODULPHUS COM. HABSPURGENSIS ELIGITUR IMPERATOR.

II. Eodem anno Rodulphus comes Habspurgensis in Regem Romanorum electus est, postea in Imperatorem consecrandus; Princeps numeris omnibus absolutissimus, cujus pietatem et magnificentiam uno ore ab omnibus autoribus merito laudatam noster Ordo expertus est, ut anno 1277 videbimus. De eo vetus Cartusiæ Chronicon hæc habet : « Hujus (Guillelmi Prioris Cartusiæ) tempore, multi Reges et Barones cum Rodulpho noviter in Regem Romanorum procreato, a Papa Gregorio decimo cruce signati fuerunt pro subsidio Terræ Sanctæ, transieruntque ultra mare circa ducenta millia Christianorum. » Hæc Chronicon; quæ occasione electionis Imperatoris hic retulimus, licet ad hunc annum non pertineant.

PHILIPPI SABAUD. COM. BENEFICIA ERGA CARTUSIAM.

III. Hoc etiam anno Philippus, Sabaudiæ et Burgundiæ

comes, concedit Priori et Domui Cartusiæ, quod quæcumque animalia ejusdem Domus transire possint libere et sine aliqua exactione pedagii per pontem suæ villæ Sancti Laurentii de Deserto. Suntque litteræ hujus exemptionis datæ hoc anno apud Voironem in festo B. Thomæ Apostoli.

ANNUS 1273

Item Joannis Delphini et Guillelmi episcop. Gratianopolitani.

Joannes vero dalphinus Viennensis et Albonis comes ac dominus Fulciniaci, sive potius Joannes de Goncellino delphinalis judex nomine ejusdem Joannis, quosdam Domui Cartusiæ injuriam facientes compescuit. Guillelmus quoque Gratianopolitanus episcopus pacem Nostris conciliare totis viribus studens, plures cum vicinis Cartusiæ motas controversias sedavit; maxime cum Guillelmo capellano sive curione ecclesiæ S. Petri Cartusiæ, quem ad restituendas quasdam possessiones a Joanne episcopo Gratianopolitano Cartusiæ pro suo anniversario olim concessas et ejusdem curionis antecessoribus elocatas lata sententia coegit, ita ut ab eo tempore magna inter hujus Guillelmi successores et Nostros concordia intercesserit. Lata fuit hujusmodi sententia in claustro Cartusiæ die Jovis post B. Mariæ Purificationem, et in ea religiosus vir, frater Guillelmus, Prior Domus Cartusiæ nominatur; unde nullum restat dubium quin ab anno præcedente præfuerit. Huic sententiæ non solum ipse curio, sed et Bertrandus S. Laurentii Prior, tamquam patronus, ad ejus preces et instantiam se subjecerunt, datis propterea litteris anno sequenti, 7 Calend. Maii.

Renovantur instrumenta Cartusiæ.

Deinde idem Episcopus, ab nobili viro Petro Aurucii domino castri Montis Bonodi et Priore Cartusiæ in arbitrum electus, nascentes contentiones cum utriusque partis probatione composuit. Dumque adhuc apud Cartusiam moraretur, plura veterum Instrumentorum apographa oblata ad eorum archetypa exegit, suoque sigillo pendente munivit; quod etiam annis sequentibus de cunctis fere Cartusiæ tabulis fecit, ita ut illius tempore tabularium penitus fuerit renovatum.

AN HOC TEMPORE CARTUSIA EXTITERIT IN SICILIA.

IV. Narrat Roccus Pirrus in *Sicilia Sacra* quosdam monachos monasterii Bellimontis in suum Episcopum, videlicet

ANNUS 1273

Sic. Sac. Notit. 3. sub 23. Ep. Agrigent.

Agrigentinum, quod quamdam ecclesiam ab eis revocasset, hoc anno rebellantes, ipsum ejusque comitatum cum armis invasisse. Ubi fuerit hoc monasterium ignorat Pirrus, ignoramus et nos. Fuisse vero Ordinis Cartusiensis scriptum legisse dicit ille, sed recte veretur ne error irrepserit ex scriptorum vitio, ac legendum esse « Cassinensis ». At quod ille timens ac titubans dicit fuisse, constanter asseveramus cum nullum monasterium in Sicilia ante annum 1368 habuerimus. Imo etsi daremus quamdam tunc extitisse in eadem insula cartusiam, vix credibile foret hujusmodi tumultuarios monachos ex eadem prodiisse, aut impune tantum scelus in Episcopum perpetrasse, cum semper et ubique judicia apud Nos caleant.

JESU CHRISTI

ANNUS 1274.

Gregorii PP. X	Ordin. Cartus.	Guillel. I Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 191.	Ann. 3.

I. ANNO Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, œcumenicum Concilium Lugduni celebratur præcipue contra Græcorum errores, de quo Concilio Chronicon Cartusiæ hæc habet quæ recte cum autoribus coævis consentiunt: « Hujus (scilicet Prioris Cartusiæ) tempore Græci ad unitatem Ecclesiæ redire promiserunt, in cujus rei signum Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere professi sunt, Symbolum in generali Concilio solemniter decantando. Nuntii vero Tartarorum infra dictum Concilium baptisati, ad propria redierunt, etc. » CONCILIUM LUGDUN. CELEBRATUR.

II. Lugduni dum degeret Gregorius Pontifex, literas hoc præsenti anno, octavo Calendas Februarii, sui Pontificatus anno secundo, in gratiam Majoris Cartusiæ concessit, testificans primum eam « ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere; » deinde confirmat omnes libertates et immunitates a Romanis Pontificibus concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a Regibus et Principibus ac aliis Christifidelibus rationabiliter indultas. GREGOR. X IBIDEM CONFIRMAT PRIVILEGIA CARTUSIÆ. Extant inter privil. nu. 67.

III. Alias quoque litteras scripsit Tarentasiensi Archiepiscopo, mandans ei ut quosdam homines compesceret, molestias nostris Angionis Domus monachis inferentes. DOMUM ANGIONIS PROTEGIT.

« Gregorius, etc., venerabili fratri Archiepiscopo Tarentasien. salutem et Apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis Ex originali.

40 c

ANNUS 1274

Prior et Conventus monasterii Angionis Cartusiensis Ordinis, quod Giroldus de Nunduna-matio, Joannes et Humbertus filii ejusdem Giroldi, Haymo Passerat de Guirins, Jacobus dictus capellanus de Coinsen et Joannes filius Nostevenon de Albona laici, Gebennensis diœcesis, super terris, debitis, possessionibus, et rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam, et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Lugduni, XV Calend. Maii, Pontificatus nostri anno tertio. »

HUMBERTUS QUONDAM PRÆDICATORUM GENERALIS MORITUR.

Bzovius ad hunc an. n.21.

Cartusiense Institutum amplecti voluit.

Mich. Pius lib. I, de Viris illust. Ordin. Præd.

IV. In hunc annum Annales Prædicatorum referunt obitum beati Humberti Burgundi, sui ex-Generalis, quem quidam Viennensem cognominant. Hic Lutetiæ Parisiorum jura et Theologiam juvenis discens, pietatisque operibus interea incumbens, Cartusiensium et Prædicatorum Instituta præcipue ambiebat : neque aliud quippiam a Deo quam ut in alterutra earum sodalitatum vitam instituere posset, precibus ardentissimis flagitabat. Accidit ut aliquando cum in parœciæ suæ ecclesia officio Mortuorum præsens esset, præcentor chori versum illum decantaret : « Heu mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea; quid faciam miser, ubi fugiam nisi ad te Deus meus ? » Quæ verba adeo alte in ejus pectus descenderunt, ut nihil aliud aut cogitaret aut proloqueretur, quam illud solemne : « Quid faciam miser ? ubi fugiam ? » Cumque interius a divina inspiratione audiret : « Non aliorsum, quam inter Fratres Prædicatores » ; relictis et distractis omnibus, ei Religioni nomen dedit, in qua tantum profecit, ut in ea quam de Innocentio IV Pontifice Max. Patres deliberabant electione, inter candidatos fuerit propositus ; et tandem propter ingentia ornamenta universo Prædicatorum Ordini prælatus. Quem cum novem integris annis sanctissime informasset, eam curam præ humilitate, quemadmodum et Patriarchatum

Quomodo factus Dominicanus.

Hierosolymitanum a Nicolao III oblatum, abdicavit. Undecim quos postea vixit annos jejuniis, orationibus, contemplationi et reliquis operibus sanctitatis consecravit; et tandem Lugduni, die 15 Januarii, vitæ cursum consummavit; verum exemplar virtutum et speculum religionis. Hæc Bzovius ex Michaele Pio. Quantum vero nostrum Ordinem Humbertus semper dilexerit, et a Nostris dilectus fuerit, satis patet ex his quæ diximus anno 1269 et sequentibus.

ANNUS 1274

Ambros. Allamur. in Biblioth. Dominic. ad an. 1274.

A Nostris semper dilectus.

V. Inter plures ordinationes quæ hoc præsenti anno promulgatæ sunt in Capitulo generali duas tantum reperio notatu dignas.

AN LICEAT A NOVITIIS QUIDQUAM EXIGERE PRO INDUMENTIS.

« Novitii qui venient ad nostrum Ordinem provideant sibi de vestimentis, si habent unde sibi possint providere. » Hoc decretum anno sequenti confirmatum est. Olim quippe, circa finem regiminis Basilii, cautum fuerat in comitiis Ordinis « ne ullus ex Nostris de rebus Novitii aliquid postulet; » et iterum sub initium Prioratus Jancelini, decretum legimus « ut a Novitiis cum venerint nihil penitus exigatur; » sed quia dubium erat an hujusmodi Statutum vestes complecteretur, paulo post declaraverunt Patres ut « qui vestes vel aliud exegerit a Novitio, sit extra sedem quadraginta diebus et totidem abstinentias faciat sine misericordia. Si jam exactio ad effectum venerit, Prior amittat obedientiam. » Quæ omnia Rifferius inseruit suis Statutis : unde prædicta opus fuit ordinatione qua licet vestes exigere a Novitiis, « si tamen habent unde sibi de iis provideant ». Et ita observatum esse colligimus ex Statutis Novis a Guillelmo Raynaldi compactis, in quibus eadem statuuntur. Imo etiam tempore Jancelini quando aliqua Domus recens fundata necessariis carebat, si quis admitti petebat, exposita ei humiliter Domus paupertate, monebatur ut sibi vestimenta compararet. Hujus rei exemplum habemus in vita Hermanni monachi Bellilarici quam dedimus anno 1229. Hic enim, ut ibidem videre est, interrogatus a Priore et Procuratore si quem nosset qui de eo bonum ferret testimonium; cum quemdam suum avunculum monachum Cluniacensem nominasset, hæc a Priore audivit : « Nos

ANNUS 1274

libenter propter Dominum vos recipiemus ad illius testimonium, sed novit Dominus, vestimenta quibus indui debeatis sufficienter non habemus. » Ille vero ad suum avunculum pergens, obvium habuit Guillelmum tunc episcopum Antissiodorensem a quo vestimenta ipsi data sunt. Quid posthac in Compilatione facta a R. P. Francisco de Puteo circa hæc statuta sunt, habes tomo I horum Annalium, cum observatione quæ satis exprimit quæ sit super his mens Ordinis nostri.

To. I. pag. 229.

NULLUS ELIGENDUS IN PRIOREM NISI POST BIENNIUM A SUA PROFESSIONE.

VI. Altera ordinatio hoc præsenti anno evulgata, digna quæ hic exponatur, hunc habet tenorem : « Statutum est ut Novitius non possit præfici prioratui quousque per duos annos a tempore professionis in Ordine nostro fuerit laudabiliter conversatus. » Hoc videtur ita sancitum occasione magistri Bosonis, viri in seculo doctissimi, qui facta professione anno 1271 in Majori Cartusia, Prior Vallis sancti Hugonis anno sequenti institutus est; quem etiam videbimus post tres annos ad totius Ordinis regimen evectum. Ne igitur alii hoc exemplo abuterentur, præfata ordinatio edita est et sequenti anno confirmata.

VII. Denique haud diu post celebrata comitia, Guillelmus Prior Cartusiæ cum quodam villæ Cartusiæ incola transegit, cujus transactionis fragmentum ad probandam ejusdem Guillelmi regiminis prorogationem lubet hic adjicere.

« Anno Domini MCCLXXIV, Indictione secunda, XVII Calendas Julii. Cum Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, et Albertus Vacherii haberent res communes et contiguas in parochia S. Petri de Cartusia : de quibus rebus inter Domnum Guillelmum Priorem Cartusiæ prædictæ, de consensu et voluntate, ut ipse Dominus Prior dicebat, Capituli sui et conventus Domus prædictæ ex una parte; et dictum Albertum Vacherii pro se et hæredibus suis ex altera; in hunc modum talem fecerunt divisionem, etc. Actum apud Cartusiam infra terminos Domus Cartusiæ, in horto retro domum de ponte Cartusiæ, ubi testes fuerunt Petrus de Mantona capellanus ecclesiæ de Geyrio, Johannes scutifer, frater Petrus de Ponte Domus prædictæ Conversus, etc. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1275.

Gregorii PP. X Ann. 4.	Ordin. Cartus. Ann. 192.	Guillelm. I Pr. Cart. Ann. 4.

I. ANNO, a Virginis partu septuagesimo quinto post millesimum ducentesimum, Indictione tertia, Philippus Sabaudiæ et Burgundiæ comes Fratribus Cartusiæ, vel habentibus causam eorum, perpetuo concessit liberum transitum pro his quæ ducent, etiam si ea vendiderint, « per totum ejus dominium et ressortum (ut habent literæ ejus) ; et quod gaudeant libertatibus suorum terminorum, prope quos nullus domum-fortem ædificet. » Confirmatque eis eleemosynas quas sub ejus habent fœdis, et quidquid eis datum fuerit in futurum. PHILIPPUS COMES SAB. BENEF. CARTUSIÆ. Ex Tabular. Maj. Cart.

II. Eodem tempore Dominus d'Ornaceu, frater Beatricis quæ tunc in cartusia Permaniæ cum sanctitatis opinione florebat, Domum Majoris Cartusiæ ab omni tributo per totum dominium suum exemit. Extant hujus exemptionis litteræ in Cartulario sub sequenti tenore : ITEM DOMINUS D'ORNACIEU.

« Noverint universi, etc., quod ego B. dominus d'Ornaceu, intuitu et amore Dei ac pro mea meorumque parentum salute, dono et concedo in perpetuam eleemosymam Deo et Domui Cartusiæ et Fratribus ejusdem tam præsentibus quam futuris, plenam securitatem et immunitatem per omnem terram meam et locum dominii et potestatis meæ, dictam Domum et Fratres recipiendo sub fideli protectione ac defensione mea ; absolvendo etiam ipsam Domum et Fratres et liberos faciendo ab omni pedagio et omni præstatione quod

ANNUS 1275

vel quæ modo currit vel in perpetuum currere poterit, quandocumque in posterum ipsa Domus faciet portari, duci vel reduci, sive per terram sive per aquam, sub omni dominio et pòtestate mea, etc. In quorum omnium testimonium et munimen, præsentem chartam roboratam sigillo meo trado sæpedictæ Domui perpetuo conservandam. Datum anno MCCLXXV, mense Octobris. »

MONACHI LIGETI TENENTUR SUIS SUMPTIBUS REDITUS CAPIT. GENER. COLLIGERE.

Ex Tabular. Maj. Cart.

III. Sanctus rex Ludovicus quadraginta libras Turonenses quondam, anno videlicet 1237 ut ibidem diximus, Majori Cartusiæ ad sublevandas Capituli generalis expensas annuatim largitus fuerat, super præpositura Turonensi assignatas. Has hactenus Prior Domus Ligeti, in Turonensi diœcesi sitæ, pro Cartusia receperat, licet ad id minime esset obligatus. At cum præsenti anno Domus Ligetana quasdam immunitates a Capitulo generali accepisset, Jocerandus illius Prior nomine sui Conventus, gratiæ causa, sese suosque successores obligavit ad prædictam summam suis sumptibus requirendam reddendamque. Extant hujus cautionis codicilli sequentis tenoris : «Universis ad quos præsentes litteræ pervenerint Jocerandus Prior Ligeti ejusdemque loci Conventus salutem in Domino. Cum Capitulum generale Ordinis nostri nobis et Domui nostræ talem gratiam fecerit et concesserit, ut pretium seu æstimationem totius nemoris Domus nostræ liceat nobis et successoribus nostris ponere in possessionibus seu reditibus extra terminos Domus nostræ ; item dilatationem terminorum Domus nostræ per G. Vallis Dei et P. Vallis sancti Georgii Priores factam confirmaverit, prout in litteris inde confectis et sigillis Diffinitorum dicti Capituli sigillatis plenius continetur : nos specialiter propter dictam gratiam nobis et Domui nostræ factam, promittimus et nos obligamus et successores nostros in perpetuum, quod quadraginta libras Turonenses, quæ debentur singulis annis nostro Capitulo generali in Præpositura Turonensi de eleemosyna domini Regis Francorum, cum expensis nostris quolibet anno fideliter requiremus, et receptas reddemus nostro Capitulo generali. Datum anno Domini MCCLXXV, feria sexta post

festum B. Nicolai. In quorum omnium testimonium, sigillum Domus nostræ apposuimus huic chartæ. » ANNUS 1275

Posthac quidam Ligeti Prior hujus obligationis ignarus, cum expensas in hujuscemodi reditus recuperationem factas sibi a Cartusia refundi peteret, tale per Chartam responsum habuit : « Ordinamus quod Prior Ligeti integre persolvat annuatim Capitulo generali 40 libras, sicut prædecessores sui facere consueverunt et solvere promiserunt, quibuscumque expensis pro recuperatione factis minime computatis. » Et anno sequenti : « Constat nobis quod Prior et Conventus Ligeti sunt per litteras suas ad recuperandum cum expensis suis eleemosynam 40 librarum Turonensium efficaciter obligati. »

Ex ch. 1332.

IV. Hoc anno in solitudine Portarum pie decessit Henricus quondam Prior ejusdem Domus, ab anno circiter 1253 ad annum 1257, quo in Episcopum Genevensem videtur electus vel certe anno 1260 ut habent Sammarthani ; qui præterea scribunt eum anno 1261 pactum iniisse cum Simone de Joinvilla domino de Gex et Lioneta de Gex ejus uxore, mediante Domina Fucigniaci uxore Petri de Sabaudia; et eodem anno cartusiam Pomerii sub sua protectione suscepisse, charta apud Piney data ; Gregorium vero Papam X executionem cujusdam bullæ in favorem Cartusiensium Arveriensium datæ, ei commisisse anno 1271. Hæc Sammarthani. Sed quando hoc ei mandatum delegavit Summus Pontifex, jam in Portarum solitudinem Henricus se receperat. Aymonem enim ejus successorem in episcopatu, jam sedisse anno 1270, 4 Calend. Maii, reperimus ex quodam Instrumento sub die et anno prædictis scripto, quo ipse Aymo concordat cartusiam Angionis cum Willelmo capellano ecclesiæ de Brussinez. Noster etiam Henricus, an. 1264, 17 Calendas Aprilis, interpositu discretorum virorum P. decani de Albona et G. decani Damillyonay, Priorem ejusdem cartusiæ reconciliavit cum Jacobo et Petro fratribus, vicedominis de Satignie; qui in signum sinceræ reconciliationis Nostris cesserunt quidquid juris et dominii habere poterant in grangiam de Saconay. Aymo nostri Henrici successor, ex quodam religioso Ordine

HENRICUS EPISCOPUS GENEVEN. EX MONACHO CARTUS. MORITUR.

Ex documentis Dom. Angion.

ANNUS 1275

ad hanc dignitatem videtur evectus; nam in citato concordiæ instrumento « fratris » titulum sibi sumit, et in orbiculari sigilli ambitu scriptum legitur: « Sigillum fratris Haymonis, episcopi Gebennensis ». Eadem habentur in literis datis anno 1275, 14 Calendas Julii, quibus frater Haymo episcopus ejusdem Ecclesiæ, recipit quandam recognitionem monachis Angionensibus factam per Joannem, dominum de Genollye, domicellum, filium quondam Cononis, ex fundatoribus eorum. Ex ejusdem Aymonis successoribus alterum Aymonem reperio qui anno 1305, die Martis, in festo S. Laurentii quasdam decimas dedit Petro Priori cartusiæ de Oujone sive Angione; quam donationem sive cessionem Capitulum Gebennense Calendis Septembris ejusdem anni approbavit. De eodem Aymone adhuc dicemus ann. 1306. Petrus post eum episcopus, ann. 1333, Indictione I, die 19 Augusti, fautorem Nostrorum se præbuit, sicut et illius proximus successor Alamandus, ann. 1364. Guillelmus quoque, qui nullo intermedio locum ejus accepit, amicus et benefactor nostri Ordinis fuit, quamobrem post suum obitum qui accidit die prima Januarii 1378, per Chartam capitularem ejusdem anni tricenarium defunctorum in omnibus cartusiis celebrandum obtinuit.

DECRETA CAP. GEN. HUJUS ANNI.

V. Data est in comitiis præsentis anni omnibus Domibus Ordinis licentia vendendi possessiones a terminis remotas, et alias intra terminos emendi ex earum pretio.

Præterea declaratur per eamdem Chartam quod « Priores non tenentur ad psalteria dicenda pro Fratribus Domorum in quibus sunt professi, sed quod dicant duas Missas tantum. » Hinc patet hujusmodi defunctorum beneficia a Capitulo generali vel a Priore Cartusiæ posse aliquando commutari.

Concessum olim vidimus Clericis Redditis ut possent in chorum Monachorum intrare sine cappa, sed hoc præsenti anno Capitulum Generale eisdem præcipit ut eam semper in eodem gestent choro. Denique in ipsis comitiis monentur Priores « ut caveant de cætero, ne tempore Capituli generalis, faciant venire mercatores ad Domum Cartusiæ causa venditionis vel mercationis seu persolutionis. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1276.

Innocentii V	Ordin. Cartus.	Petri III Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 193.	Ann. 1.

I. CREBRIS Romanorum Pontificum funeribus luctuosissimus extitit annus a Christo nato millesimus ducentesimus septuagesimus sextus, Indictione quarta. Vidit enim quatuor Pontifices : Gregorium X qui eo ineunte, die videlicet decima Januarii, e mortalibus ereptus est; Innocentium V, ejus successorem, antea dictum Petrum de Tarentasia, Ordinis Prædicatorum, archiepiscopum Lugdunensem et cardinalem Ostiensem, qui Romæ obiit die 22 Julii; Adrianum V, cui quadraginta post diebus extincto, Joannes XXI successit, Idibus Septembris creatus.

QUATUOR PAPÆ EODEM ANNO.

Raynald. ad hunc an.

II. Is statim a sua inauguratione bullam in Majoris Cartusiæ favorem scripsit, qua confirmat omnes libertates et privilegia ei tam a Summis Pontificibus quam a secularibus Principibus hactenus concessas. Estque tenoris prorsus ejusdem ac bulla Gregorii X de qua ante duos annos.

JOANNES XXI CONFIRMAT PRIVILEGIA CARTUSIÆ.

III. Hoc etiam ineunte anno Guillemus Fabri Prior Cartusiæ, postquam per quatuor annos « alarum suarum virtute (ut legitur in Chronico) et doctrina » dictam Domum et totum Ordinem laudabiliter gubernasset, diem extremum clausit. Fere omnes Autores nostri ejus mortem rejiciunt post duos annos, quia ejus successorem immediatum non noverunt, quem falso dicunt Bosonem fuisse. Sed constat Guillelmo successisse Petrum « de Montiniaco ex Priore Glanderii ; hac-

GUILLELMUS PRIOR CARTUS. MORITUR.

Chron. Cart. ms.

Petrus de Montiniaco succedit.

ANNUS 1276

Ex Tabular. Glanderii.

tenus quidem omnibus rerum nostrarum scriptoribus ignotum, sed quem ex certissimis autoritatibus Priorem Cartusiæ hoc præsenti anno et sequenti extitisse facile est probatu. Ad calcem enim vetusti codicis Evangelia totius anni continentis (quem modo præ manibus habemus), ad nos e Domo Glanderii transmissum, hæc de Petro legimus : « Ad mandatum Dompni Petri de Monthinac Prioris Cartusiæ, misimus eidem de Glanderio per fratrem G. de Castaneto Priorem Portus Sanctæ Mariæ, Bibliam manualem, Decretales et Apparatum, Summam Gaufridi, Concordantias Majores, librum fratris Bonaventuræ *de Exemplis,* et duas Summas quæ erant in dicta Domo Portus. Item tradidimus eidem G. Priori Portus duas Summas, videlicet *de Vitiis* et *de Virtutibus* et aliam Dominicalem de opere Willelmi de Peyratis et aliam compilatam de diversis. Anno Domini MCCLXX... » Parvus numerus corrosus legi non potuit.

Cui conceditur plenus monachatus.

Ex Chart. Cap. gen.

Deinde in comitiis hujus anni eidem Petro Priori Cartusiæ concesserunt Patres, ut post illius mortem plenus monachatus pro ejus requie persolveretur ; sic autem habet Charta : « Domno P. Priori Cartusiæ plenus monachatus per totum Ordinem conceditur etiam in Domibus Monialium, et scribetur in martyrologiis singularum Domorum ». De illo adhuc dicemus anno sequenti.

ORDINATIONES CAP. GEN.

IV. In eadem Charta sequentes inter alias leguntur ordinationes :

1. « Gratiæ reddantur alta voce per totum Ordinem etiam in Capitulo generali. Et Priores in reddendo gratias eant ad ecclesiam. Et Prior Cartusiæ tempore Capituli generalis comedat in refectorio, si placuerit ei. » Hæc omnia etiamnum vigent.

2. « Conceditur ut Redditi laici possint comedere in refectorio cum Conversis, tamen ultimi.

3. « Item ordinamus ut quicumque professus fuerit in Domo aliqua Ordinis, transferens se ad aliam Domum quocumque modo, ad aliam professionem faciendam minime teneatur; sed intra octo dies, postquam receperit eum illa

Domus, promittat obedientiam, et illa obedientia sit pro professione. » ANNUS 1276

Juxta Regulam S. Benedicti, monachi in alio quam suæ professionis monasterio commorantes poterant ibidem « stabilitatem suam firmare ». Unde postea apud quosdam usus invaluit, ut hujusmodi stabilitatis promissio chirographo promittentis confirmaretur; quæ fuit quasi species quædam iteratæ professionis. Sed Bernardus Cassinensis ad hunc Regulæ locum scribens, putat satis esse ad stabilitatem firmandam si monachus ille obedientiam Abbati monasterii ubi hospitatur promittat. Idem igitur apud Nos sufficere declarat præfata ordinatio : verum merito dubitare quis posset, num antea nostri hospites primam professionis formulam repetierint, ut jus professi in ultima ubi morabantur Domo obtinerent.

Reg. S. Ben. cap. 61.

Edm. Marten. in cap. 61.

4. « Item Monachi non teneantur de cætero facere coquinam. » Rationes rescisionis hujus Statuti habes tomo I, p. 146.

5. « Item ordinatur ut Novitii, recitata lectione in Capitulo et propositis quæ proponenda sunt a Priore, statim recedant a Capitulo; et a Capitulo generali de cætero excludantur. » Nam antea vocem habebant in tractatibus, ut ex diversis constat instrumentis Novitiorum nominibus et chirographis consignatis; unde verisimile est Statuta Guigonis omnes Monachos tum professos tum Novitios comprehendere, dum præcipiunt « omnes in unum monachos convenire, si quid magnum vel grave tractandum fuerit. » Et id forsan ita fieri voluit Guigo autoritate S. Benedicti, qui in sua Regula (cap. 3) decernit ut etiam juniores ad consilium vocentur : « quia sæpe juniori Dominus revelat quod melius est. » Sed propter varia inde emergentia incommoda, sapienter per hanc ordinationem Novitii a capitularibus tractatibus excluduntur.

6. « Item conceditur singulis Domibus ex gratia speciali, ut unum secularem possint semel tantummodo sepelire. » Hæc concessio non spectat fundatores; nam sub Basilio declaratum fuerat « esse consuetudinis nostræ ut Domorum nostrarum ædificatores sepeliamus in cœmeteriis nostris. » Et sub Jancelino ante annum 1222 tale decretum circa fundatores

ANNUS 1276

editum fuit : « Nihil pacto aliquo fundatoribus Domorum nostrarum, seu nostras ædificantibus ecclesias promittatur. Eos tamen, sed non eorum hæredes, consuevimus in nostris cœmiteriis sepelire. » Idque adeo religiose observabant, ut ipsis etiam fundatorum filiis hanc gratiam non concederent, nisi prius obtenta a Summo Pontifice licentia; ut videre est ex bulla Alexandri IV quam habes anno 1210, n. 4.

7. « Item conceditur cuilibet Domui ut possit habere tria altaria, et unum facere inter chorum Monachorum et Conversorum. » Post hanc concessionem plures inventi sunt benefactores qui sacella nova suis sumptibus et ædificarent et dotarent. Sit pro exemplo Domus Parisiensis in qua circa annum 1340 sex jam erant sacella.

Histor. ms. Dom. Vallis viridis.

JESU CHRISTI

ANNUS 1277.

Joannis PP. XXI	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 194.	Ann. 1.

I. ANNO Christi Salvatoris millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta, Petrus Prior Cartusiæ, ut suo tempore pacem videret per universum Ordinem bene radicatam, Guillelmum Priorem Parci et Jacobum de Secusia monachum Cartusiæ, tamquam ipsiusmet Cartusiæ Prioris et Capituli generalis procuratores in Comitiis anni præcedentis nominatos, ad Joannem XXI delegavit. Hi, juxta sibi datas instructiones, rem a Summo Pontifice petierunt ad eum statum et ordinem revocari, in quo per Joannem episcopum Portuensem tituli S. Laurentii in Lucinis cardinalem, et per Archiepiscopos Lugdunensem et Viennensem et eorum collegas, olim constituta fuerat. Totum hoc negotium permisit Summus Pontifex Guillelmo cardinali S. Marci qui sententiam pro omnium Nostrum votis pronuntiavit, scriptis Pontificis nomine sequentibus litteris :

FORMA CAP. GEN. CONFIRMATUR IN STATU ANTIQUO.

Vid.an.1255.

« In nomine Domini, amen. Miseratione divina Guillelmus Sancti Marci presbyter cardinalis, viris religiosis providis et discretis, in Christo nobis carissimis Priori et Conventui monasterii Cartusiæ ac Generali Capitulo Cartusiensis Ordinis, salutem in omnium Salvatore. Immacula Ordinis vestri Religio, quæ velut lucerna non accensa sub modio sed in vertice montium tamquam super candelabrum posita perlucide radios claritatis ostendit, Apostolicæ Sedis fastigium ad honestas

Ex Tabular. Maj. Cartus.

ANNUS 1277

petitiones vestras inclinat, ut vitis cultori suo desideratum fructum reddat in tempore ac lucernæ succensæ oleum non deficiat charitatis, sed magis ac magis superabundet et crescat, ut qui ingrediuntur lumen videant et in vestris operibus glorificetur Altissimus qui est in secula benedictus. Lecta itaque coram sanctissimo Patre Domino Joanne vigesimo primo vestra petitio, continebat quod dudum inter quondam Priorem monasterii Cartusiæ et vos Conventum ex parte una, et nonnullos Priores Ordinis ejusdem ex altera, super modo celebrandi Capitulum generale et diffiniendi quæ diffinienda occurrerent in eodem, materia quæstionis exorta fuerat. . . . . Quæ inter partes, per quamdam providam ordinationem bonæ memoriæ Archiepiscopi Viennensis et Philippi primæ Lugdunensis Ecclesiæ electi, ac virorum religiosorum fratris Humberti Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum, et fratris Radulphi de Varey et fratris Petri Rocelini Ordinis Fratrum Prædicatorum in quos extitit compromissum de consensu partium, sopita extitit et decisa; in hujusmodi ordinatione insertis articulis ordinationis ab Joanne Portuensi episcopo tunc tit. S. Laurentii in Lucinis presbytero cardinali ultimo editæ, quos Archiepiscopus Viennensis et collegæ prædicti voluerunt in suo statu firmissime permanere, factis tantum quibusdam additionibus. Quam utique ordinationem Archiepiscopi et collegarum ipsorum, partes ipsæ, juramentis præstitis, promiserunt pro se suisque successoribus inviolabiliter observare. . . . Sicque hujusmodi ordinatio ultima, continens prædictam aliam ultimam Cardinalis ejusdem per litteras Alexandri Papæ quarti ad instantiam omnium professorum dicti Ordinis Cartusiensis, ex certa scientia confirmata extitit; et ex tunc in toto eodem Ordine usque ad tempus felicis recordationis Domini Gregorii Papæ X irrefragabiliter observata. Porro nonnullis professoribus dicti Ordinis sive aliis prædictas ordinationes taliter confirmatas, approbatas et ut præmittitur diutius observatas infringere contra statum ejusdem Ordinis pacificum molientibus. . . . . Nonnulli Priores, Conventus et Fratres attendentes Statuta et laudabiles obser-

vantias immutari, ac privilegia ac Indulgentias concessa eidem Ordini a Sede Apostolica enervari, ad Sedem appellarunt eamdem.

ANNUS 1277

II. Comparentibus itaque coram prædicto sanctissimo Patre Domino Joanne Papa XXI viris religiosis, fratre Guillermo Priore de Parco vestri Ordinis, Cenomanensis diœcesis, et fratre Jacobo de Secusia monasterii Cartusiæ monacho, nostri dilecti filii Petri nunc Prioris Cartusiæ Conventusque ejusdem loci ac totius Capituli generalis Cartusiensis Ordinis procuratoribus, prædicto Joanni Papæ XXI ex parte vestra humiliter supplicarunt ut vobis et universo Ordini providere paterna sollicitudine misericorditer super his dignaretur. Idem vero Dom. Joan. Papa XXI, vobis ac universo Ordini vestro affectu paterno compatiens, nobis Guillermo tituli S. Marci presbytero cardinali prædicto, vivæ vocis oraculo, summarie sine figura aut judicii strepitu, ipsum examinandum negotium, statuendum, disponendum, etc. commisit, etc. Nos igitur visis et diligenter inspectis omnibus ordinationibus antedictis. . . . . . factaque super his prædicto Domino Joanni Papæ XXI relatione fideli, habitisque super his pluribus tractatibus cum procuratoribus antedictis; solum Deum habentes præ oculis, et totius Ordinis pacem et tranquillitatem zelantes, de ipsius Domini Papæ speciali licentia et mandato. . . . sed etiam sicut iidem procuratores asserebant ad hoc totius Ordinis prælibati vota concurrunt, vestris supplicationibus favore dignissimis annuentes... ; vos et eumdem Ordinem et omnes ac singulos professores ipsius ad statum pristinum et supradictas ordinationes domini Joannis cardinalis, Archiepiscopi Viennensis et collegarum prædictorum totaliter reducentes, etc. Ad hæc pro conservando eodem Ordine in sancto contemplationis otio et salutari quiete, de certa scientia ipsius Domini Papæ, districtius inhibemus ne aliqui vel aliquis de Ordine sæpe dicto, ab eadem Sede seu legatis ipsius, contra supra dictas ordinationes Cardinalis et Archiepiscopi Viennensis et collegarum ipsorum, seu contra tenorem præsentium, absque consensu Capituli generalis ve-

PETRUS PRIOR CARTUSIÆ.

ANNUS 1277

stri Ordinis litteras aliquas impetrare præsumant. Nos enim tales litteras et processus, si quos per eas vel per alias revocatas de cætero haberi contigerit, autoritate prædicta omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis, etc. In cujus rei confirmationem et testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Viterbii, IV Calendas Martii, anno Domini MCCLXXVII, Pontificatus Domini Joannis Papæ XXI anno primo. »

SUMMUS PONTIFEX PROHIBET NE QUIS NOSTRUM LITTERAS A SEDE APOSTOLICA IMPETRET SINE LICENTIA.

III. Juxta ultimum harum litterarum articulum, quibus Cardinalis de certa scientia Summi Pontificis inhibet ne quis contra hujusmodi ordinationes litteras ab ipsa Sede Apostolica impetrare audeat, Capitulum generale post quinque annos celebratum hanc renovavit ordinationem sic statuens : « Præcipimus sub pœna Ordinis scripta et in virtute obedientiæ expressa, ne quis ad Romanam Curiam ire, mittere vel scribere præsumat contra Ordinis instituta ; et si quis, a duobus annis citra impetratis vel sine licentia Ordinis impetrandis quibuscumque privilegiis vel litteris, contra formam et libertatem Ordinis *. . . . . ex nunc prout ex tunc supponimus Interdicto ; dato, loco monitionis, termino peremptorio viginti dierum. » Hæc ibi : quæ etiam circa aditum ad Romanam curiam ab aliis Pontificibus Romanis, iterum approbari post centenos et centenos annos videbimus, et præsertim anno 1587, quo sacra Regularium Congregatio novo decreto sanciet ne quis Regularium in posterum, temere levive ex causa, almam Urbem sive Curiam absque sui Superioris licentia adire præsumeret. Verum quod spectat litteras: « Cum providentia Summi Pontificis plurimum circumspecta (ut loquitur Pius V in quadam bulla), nonnunquam ea quæ certis suadentibus causis per ejus Prædecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis alterat ; » idcirco visum est quibusdam Summis Pontificibus præcipere, ut deinceps cuilibet liberum esset ad Summum Pontificem litteras dirigere ; de quo exemplum exhibebimus anno 1607.

Ex ch. 1282.

* *Videtur ibi legendum esse,* non renunciaverit.

V. an. 1376.

IDEM PRIVILEGIUM CONCEDIT CARTUSIÆ.

IV. Sed redeamus ad nostros procuratores qui post obtentas a præfato Cardinali supra scriptas litteras, ab eodem

Joanne Papa bullam in gratiam Majoris Cartusiæ impetrarunt, qua Summus Pontifex prohibet ne quis in personis vel rebus Cartusiæ molestiam inferat, aut de bonis illius contra justitiam aliquid retineat. Est autem talis : ANNUS 1277

« Joannes, etc. Dilectis filiis Priori et Conventui monasterii Cartusiæ, etc. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod nonnulli clerici et laici asserentes se in vos aliquid quæstionis habere, aliquando Monachos, interdum Conversos et nonnunquam animalia et alia bona monasterii vestri, prætextu cujusdam pravæ consuetudinis, temeritate propria vadiare, invadere, ac tamdiu detinere præsumunt, donec sit eis de hujusmodi quæstionibus contra ipsorum beneplacitum satisfactum, quamquam jurisdictionem, qua hoc possint, in vos non habeant ordinariam seu etiam delegatam. Cum itaque judicialis rigor sit ideo in medio constitutus, ut nemo sibi audeat præsumere ultionem ; et ob hoc id tamquam nullo jure subnixum, non sit aliquatenus tolerandum : Nos volentes quieti vestræ consulere ac prædictorum maliciis obviare, autoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis prædictæ consuetudinis occasione vobis memoratas inferre molestias ac bona monasterii vestri absque juris ordine occupare, vadiare seu quolibet modo detinere præsumat. Datum Viterbii, 3 Nonas Martii, Pontificatus nostri anno primo. » Extat inter privil. n. 71.

V. Interea dum hæc in Curia Romana a Nostris aguntur, Petrus Cartusiæ Prior in gravem incidit morbum quo e vivis eripitur die Februarii 28, ut habet Calendarium matris Cartusiæ his tantum verbis : « Petrus Prior Cartusiæ » ; sed in necrologio Domus Glanderii ejus cognomen ponitur : « D. Petrus de Montinhac Prior Glanderii et postea Prior Cartusiæ Majoris. » Et alibi in eodem necrologio : « D. P. de Montinhaco Prior Cartusiæ et primo noster. » Ad eumdem quoque diem reperitur in Calendario Domus Luvigniaci : « D. Petrus, Prior Cartusiæ. » Post tot testimonia nullus restat ambigendi locus de Petri prioratu, qui cum vix uno anno præfuisset, hactenus ignotus scriptoribus nostris remanserat. PETRUS PRIOR CART. OBIIT.

VI. Eo mortuo, eligitur Boso tunc Prior Vallis sancti Hu- BOSO EX PRIOR VALLIS S. HUGONIS SUCCEDIT.

ANNUS 1277

gonis, ut asserit noster Molinus, et constat ex Catalogo Priorum ejusdem Domus et ex iis quæ scripsimus antea. Hunc omnes rerum nostrarum scriptores dicunt ad culmen totius Ordinis ascendisse tantum anno sequenti vel etiam 1279, sed ex subjiciendis binis litteris apparet eum præsenti hoc anno jam præfuisse.

Ex veteri Cartular. t. 2.

Quœstiones cum Nobilibus componuntur.

Ab Odone Priore Sylvæ Benedictæ.

« Anno ab Incarnatione Dom. MCCLXXVII, VI Idus Junii, Indictione V, sede Imperatoria, ut dicitur, vacante. Notum sit omnibus modernis hominibus ac futuris, quod cum discordia verteretur inter religiosos viros fratrem B. Priorem Domus Cartusiæ et Conventum ejusdem ex una parte ; et nobiles viros Rodulphum dominum de Intermontibus, et Berlionem Vacherii et Petrum Vachi domicellos ex altera. . . . Tandem dicti Nobiles pro se, et dictus Prior nomine suo et Conventus sui, compromiserunt in religiosum virum fratrem Odonem Priorem Sylvæ Benedictæ, et in discretum virum dominum G. Veteris præpositum ecclesiæ S. Andreæ Gratianop. tanquam in arbitros. . . . Promittentes dicti Nobiles pro se et suis, præstito juramento ; ac dictus Prior nomine suo et in animam sui Conventus, verbo sacerdotali et sub virtute sui ordinis, fide data. . . . stare, obedire et obtemperare diffinitioni prædictorum arbitrorum. Post hæc eodem anno, V Idus Junii, dicti arbitri dixerunt et ordinaverunt. . . . . quod dicti Nobiles cedant, solvant et guerpiant dictis Cartusiensibus omnes tallias, et complaintas, operas, manoperas, corvatas, cavalgas, saysinas, laudes et venditiones. . . . Item dixerunt et ordinaverunt, quod dicti Cartusienses faciant et procurent quod prædicti Petrus Vachi et Berlio Vacherii sint absoluti cum suis participantibus a sententia excommunicationis qua ad instantiam dictorum Cartus. sunt ligati, infra triduum si commode fieri possit, etc. Testes interfuerunt Nantelmus corriarius Cartusiæ, Michael capellanus ecclesiæ S. Petri de Cartusia, Aynardus de Cordoue, Guillelmus Bochardi domicelli, etc. »

Aliæ literæ ab Episcopo Gratianop. datæ, nomen Bosonis integrum habent, suntque hujus sententiæ :

« Nos Guillel. divina miseratione Gratianop. episcopus, et Soffredus Prior de Barcino Ordinis S. Augustini, notum facimus quod cum quæstio verteretur inter Dom. Bosonem Priorem Cartusiæ ex una parte, et nobilem virum Syboudum de Castro novo ex altera. . . . Tandem dictis partibus apud dictam Domum Cartusiæ in nostra præsentia constitutis. . . . in nos fuit super dictis quæstionibus tanquam in arbitros seu amicabiles compositores alte et basse compromissum : juramento a parte Syboudi præstito corporali, et fide simplici a parte dicti Prioris subsecuto de stando diffinitioni nostræ, etc. Actum in prædicta Domo Cartusiæ, anno MCCLXXVII, tertio Idus Septembris. »

ANNUS 1277

Ex Tabular. Cartusiæ.

A Guillelm. Ep. Gratian.

Vir erat confirmatæ ætatis Boso quando nostrum Ordinem est amplexatus, aliquot vero tantum elapsis mensibus post suam professionem Domui Vallis sancti Hugonis præfectus est ; unde fatemur esse corrigenda quæ non levi conjectura ducti in sancti Brunonis Vita scripsimus, eum scilicet nostro se Proposito devovisse circa præsens medium seculum.

VII. Hoc præsenti anno, infra octavas Pentecostes, Joannes Papa inopino casu misere extinguitur; cui successor, nisi post sex menses, non datur. Hic fuit Nicolaus tertius, ex Ursinorum familia, die sanctæ Catharinæ martyri et virgini sacro electus.

JOANN. PAPA MORITUR.

VIII. Hoc anno nostri Seizenses Rudolphi Imperatoris beneficia primum cœperunt experiri, obtenta ab eo confirmatione fundationis et privilegiorum ab utroque Ottocharo fundatore concessorum. Hujus gratiæ diploma tale est : « Rudolphus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis sacri Romani Imperii fidelibus præsentes litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Regalis excellentia tunc præcipue autori suo per quem sumpsit plenitudinem potestatis, devotionis suæ rependit meritum, cum ob ejus reverentiam Religiosarum personarum justis supplicationibus se inclinans, venerabilia ipsorum loca et in eis Domino famulantes, pia studet providentia in suis justis petitionibus et juribus confovere. Venientes itaque ad nostræ Majestatis

RUDOLPHUS IMPERATOR CONFIRMAT PRIVILEGIA NOSTRIS CONCESSA.

ANNUS 1277

præsentiam honorabiles et religiosi viri Prior et Fratres monasterii de Seitz Ordinis Cartusiensis, Celsitudini regiæ devote et humiliter supplicarunt ut privilegium sibi ab illustribus Ottocharo quondam duce Styriæ et Ottocharo patre ejusdem, quondam marchione terræ ejusdem, gratiose concessum, cujus rescriptum sub inclyti regis Ottochari Bohemiæ Principis nostri dilecti sigillo nobis exhibitum vidimus, eis de benignitate dignaremur regia confirmare, cujus rescripti tenor talis est : Nos Ottocharus Dei gratia rex Bohemiæ, etc, (ut habentur). Nos igitur pietate solita qua profectum et utilitatem omnium Ecclesiarum amplectimur, prædictorum Prioris et Fratrum devotis supplicationibus annuentes, divinæ retributionis intuitu et pro salutis nostræ augmento, prædictum privilegium et contenta in ipso de regalis gratiæ plenitudine confirmamus. Collationem duarum villarum, etc., prædictis Fratribus in recompensationem octo marcarum per inclytum Ottocharum regem Bohemiæ factam, ratam habentes nihilominus et acceptam. Si quis autem hanc nostræ confirmationis et ratihabitionis paginam infringere vel eidem in aliquo ausu violento præsumeret contraire, gravem nostræ Majestatis offensam se noverit incursurum. In cujus rei testimonium et perpetui roboris firmamentum, præsens scriptum prædictis Fratribus tradimus, Majestatis regiæ sigilli munimine roboratum. Datum Viennæ, pridie Idus Januarii, Indictione quinta, anno MCCLXXVII, regni vero nostri anno quarto. »

SUIS MINISTRIS EOS COMMENDAT.

IX. Hæc Rudolphus, qui paulo ante Judicibus Styriæ eamdem Domum commendaverat ut eam ab injustis gravaminibus defenderent. Sunt autem litteræ hujusmodi : « Rudolphus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, nobilibus viris Comiti de Phannenberch et Friderico de Petovia judicibus Styriæ, cæterisque universis qui ad hujusmodi officium ipsis pro tempore fuerint substituti, dilectis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Volentes religiosos viros Priorem et Fratres monasterii de Seitz Ordinis Cartusiensis, velut benedictionis æternæ filios sub stricti Ordinis observantia regulari, cælibis vitæ fragrantia, sanctisque operibus mirifice coru-

scantes, divinæ remunerationis intuitu sub regiæ protectionis umbraculo, quo altissimo securius valeant famulari, perpetuo respirare : ipsos vobis ducimus perpetualiter committendos, vobis universis et singulis injungentes firmiter et districte quatenus prædictos Fratres, una cum personis et rebus necnon suis possessionibus universis, manutenere et defendere curetis autoritate regia favorabiliter et benigne ; non permittentes eosdem Fratres ab aliquibus capitaneis et officialibus Styriæ ulla exactione seu steura de cætero fatigari, sed ipsos in libertate, gratia sive jure, in quo temporibus fælic. memor. Ottochari, Leopoldi et Friderici ducum Styriæ, illustrium prædicti monasterii fundatorum, pacifice fuisse noscuntur ; contra injuriatores quoslibet defendite et fovete, contradictores et rebelles pœna plectendo condigna. Datum Viennæ, IV Idus Januarii, Indictione V, an. Domini MCCLXXVII, regni vero nostri anno quarto. »

ANNUS 1277

JESU CHRISTI

ANNUS 1278.

Nicolai PP. III Ann. 1.	Ordin. Cartus. Ann. 195.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 2.

BOSO PRIOR CARTUSIÆ PACEM INIT CUM PETRO DE BUCCURIONE.

I. ANNUS exoritur Salvatoris nostri septuagesimus octavus post millesimum ducentesimum, Indictione sexta, quo Boso Cartusiæ Prior, 17 Calendas Januarii, per procuratores suos fratrem Petrum Gacheti Priorem Domus Monialium Pratimollis et fratrem Guillelmum Fabri Cartusiæ Majoris Conversum, quamdam controversiam composuit pactumque iniit cum nobili viro Petro domino de Buccurione domicello, cujus antecessores quædam bona Cartusiæ concesserant. Quæ quidem omnia quinto Idus Februarii anno sequenti coram Michaele Ranulpho notario publico confirmata sunt, interventu Guillelmi episcopi Gratianopolit. et Guillelmi de Seyllo decani S. Andreæ, in Cartusia tunc præsentium ; adstanteque toto conventu Cartusiæ, videlicet Bosone Priore, Petro des Adreys, Anselmo de Tarentasia, Joanne de Aquis sacrista, Joffredo de Viviaco, Lantelmo de Domena, Petro de Augusta Procuratore, Petro de S. Eugendo et Hugone de Lupino Monachis : vocatis vero tamquam testibus Gonterio de Turre, Thoma de Tarentasia et Juvene de Vallenavigio Novitiis Monachis ; et f. Nicolao coquinario et f. Guillelmo Fabri Conversis. Hinc etiam innotescit eorum error qui Bosonis regimen ad annum sequentem rejiciunt. Sunt et alia instrumenta in veteri cartulario, hoc anno data, ubi nomen Bosonis reperitur.

ASSOCIATIO FRATRUM SANCTÆ TRINITATIS

II. Hoc anno Religiosi sanctæ Trinitatis, vulgo dicti Mathu-

rini, associationem bonorum spiritualium nostris Vallis Dei monachis concesserunt, scriptis in eorum Capitulo generali sequentibus codicillis : ANNUS 1278

« Frater Joannes, Major Minister totius Ordinis sanctæ Trinitatis et Captivorum, cæterique Ministri et Fratres apud Cervumfrigidum in Capitulo generali congregati, dilectis sibi in Christo Priori Vallis Dei cæterisque Fratribus Cartusiensis Ordinis, salutem et orationes in Domino salutares. Attendentes vestræ piæ devotionis affectum quem erga Ordinem nostrum vos habere comperimus; ad petitionem Ministri et Fratrum S. Eligii juxta Mauritaniam, omnium bonorum quæ fiunt in toto Ordine nostro et fient in futurum, vobis tam in vita quam in morte plenariam participationem duximus concedendam. Addentes etiam de gratia speciali, quod cum obitus vestri in nostro Generali Capitulo sub præsentium testimonio litterarum fuerint nuntiati, tantum fiet pro vobis quantum pro unoquoque Nostrum ibidem fieri consuevit. Datum apud Cervumfrigidum in dicto generali Capitulo, an. 1278, mense Majo. »

III. In Charta Capituli generalis una Missa de Spiritu Sancto injungitur « pro domina Comitissa Sabaudiæ relicta domini Thomæ comitis Sabaudiæ et liberis ejus, » et pro quibusdam aliis. Hæc videtur esse Beatrix de Fiesque uxor Thomæ comitis Mauritaniæ, quem vidimus olim de fundanda prope Pinerolium nova cartusia cogitasse. EX CHARTA CAP. GEN. — V. an. 1248.

De ordinationibus in eisdem Comitiis factis, hæc locum in nostris Annalibus merentur.

1. « Bonum est ne Priores multiplicent in suis Domibus Conversos seu Monachos nec Redditos de uno sanguine et confinio.

2. « Item statutum quod quando Prior cedens ad Domum suam redit, non locum vacantem reperit, possit in hospitio ponere* vel in cella, alium de Monachis removere* de cella sua, cum pace tamen monachorum, approbatur : et in hoc casu possunt esse quindecim Monachi.

* Poni.
* Removeri.

3. « Ordinatio de jejunando sexta feria extra terminos reprobatur. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1279.

Nicolai PP. III Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 196.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 3.

ECCLESIÆ VIVARIENSIS BENEFICIA ERGA NOS.

I. EXURGIT annus ab ortu Christi millesimus ducentesimus septuagesimus nonus, Indictione septima, quo Boso novos nactus benefactores, ab Episcopo Vivariensi tam pro Domo sua quam pro quibusdam aliis exemptionem ab omni vectigali obtinuit, ut ex litteris apparet sequentibus :

« Hugo divina miseratione Vivariensis episcopus, universis pedagiatoribus per terram et loca sua constitutis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Ex parte Domorum Cartusiæ et Sylvæ benedictæ et Portarum Ordinis Cartusiensis, nobis fuit per fratres Hugonem de Lacu et Petrum de Ponte humiliter supplicatum, quod cum ad proprium usum earumdem Domorum velint de mari sal per aquam superius facere deportari, eisdem divino amore per terram nostram pedagium quietaremus. Unde cum nobis videatur dignum, justum et æquum propter religiositatem et devotionem dicti Ordinis nullum pedagium debere exigi ab eisdem. . . . . . vobis mandamus, quatenus a dictis Fratribus ducentibus dictum sal per aquam, præsentes Litteras deferentibus, nullum pedagium pro ipso sale exigatis. . . . . . Datum et actum anno Domini MCCLXXIX, die Martis post octavas festi Beati Michaelis, apud Castrumnovum ad Rhodanum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris, etc., duximus apponendum. »

II. Similiter Ademarus de Pictavis, Valentinensis comes, plenam securitatem, ut loquitur in suis litteris, et immunitatem Domui Cartusiæ impertivit. Litteræ datæ sunt anno præsenti, mense Julio, suntque ejusdem prorsus tenoris ac aliæ de quibus anno 1261, exceptis testibus ibidem nominatis.

ANNUS 1279

ITEM ADEMARI COMITIS VALENTINENSIS.

III. Circa hæc tempora Domum habuimus in Hibernia fundatam, cujus primam notitiam eruimus ex vetusto quodam Antiquorum Statutorum codice, ad cujus calcem quædam extant Capitulorum generalium ordinationes, inter quas sequens recensetur, quæ videtur facta circa præsentem annum vel certe ante annum 1300. Sic autem habet : « Concessum est Domibus Scalæ Dei, Angliæ, Sancti Bartholomæi, *Hiberniæ* et Sclavoniæ, quod Vicarius cum Antiquiore possit confirmare electionem Prioris factam a Conventu, si Prior non fuerit in partibus illis qui pro confirmanda electione possit vocari. » Quandonam vero, vel a quo aut quo in loco fundata fuerit, omnino me latet ; cum jam ab annis ferme quadringentis a Nostris penitus fuerit derelicta, ut suo dicemus loco.

CARTUSIA IN HIBERNIA PER ALIQUOT ANNOS EXTRUITUR.

IV. Generalis Capituli hujus anni Chartam habemus in qua sequentes legimus ordinationes :

ORDINATIONES HUJUS ANNI

1. « Exhortatio quæ fiebat quod Monachi et Conversi de uno sanguine vel confinio non multiplicentur, reprobatur.

2. « Noviter celebrantes non descendant gradus altaris pro recipiendis oblationibus.

3. « Nullus appellet nisi ad Capitulum generale, et si juste appellaverit ad Curiam Romanam et cessare noluerit ab appellatione, incarceretur. »

Quomodo liceat ad Curiam Romanam appellare.

Perpulchre hanc quæstionem deducit Emmanuel Rodericus : « Utrum deceat Religiosos appellare ? » et respondet certum esse ipsos Religiosos posse appellare. Sed distinguit idem autor inter justum, et id quod decens est ; ac præcedente quidem articulo quærit : « Utrum licitum sit Regularibus appellare a gravaminibus illatis ? » et respondet affirmando. At ne aliunde hujus quærámus quæstionis resolutionem, consulendæ sunt Bullæ Clementis III superius anno 1190, et Cœlestini III anno 1192 commemoratæ, quibus datur potestas

Rod. tom. I. q. reg. q. 29. art. 3.

43c

ANNUS 1279

Navar. to. 1. consil. tit. de appellat. consilio 4 et 5.

Prioribus et Fratribus nostri Ordinis appellandi; cum licentia tamen Capituli suæ Domus, vel majoris et sanioris partis ejusdem. Navarrus quoque pluribus probat appellationem Religioso esse licitam, quia appellatio est defensio, et defensio quæ jure naturæ debetur, nemini deneganda.

Roder. ubi supra.

Verum Summi Pontifices considerantes incommoda quæ toti Religioni ex privatorum appellatione solent evenire, cognoscentes præterea et considerantes inconsideratione aliquorum Religiosorum; ipsis sub pœna excommunicationis injungunt ne a mandatis et ordinationibus prælatorum appellare valeant (prout pluribus articulo præcedente docuit idem Rodericus). Et licet concedatur ipsis ut possint ad Dominum Protectorem recurrere et ad sacram Cardinalium Congregationem et ad Summum Pontificem et ad ejus Legatos habentes potestatem super Regulares; hoc tamen debet in negotiis gravibus et cum debita consideratione fieri. In minimis autem negotiis ad eos accedere, redundat in maximum Religionis nocumentum, cujus augmentum debemus omnes pro viribus procurare.

JESU CHRISTI

ANNUS 1280.

Nicolai PP. III	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 197.	Ann. 4.

I. ANNO Christi octuagesimo supra millesimum ducentesimum, Indictione octava, obiit Nicolaus summus Pontifex mense Augusto, remansitque Sedes Apostolica per sex menses Pastore orbata. NICOLAUS PAPA MORITUR.

II. Hoc etiam anno obiit venerabilis mater Domna Jana, sive Joanna, Humberti de Bellojoco connestabilis Franciæ, et Margaretæ de Balgiaco fundatorum Domus Poletensis filia; virgo omni virtutum genere exornata, quæ in primam hujus parthenii Priorissam instituta, sanctitatis exemplar apparuit, de qua luculentum extat testimonium. Cum duo Nobiles hortum monasterii deambulatorium secreto ingressi, virgines duas sibi rapere equisque ad hoc paratis imponere cogitassent; ferunt vigilantissimam Matrem divinitus id edoctam, ad illos constanter descendisse eisque miserandam intra annum mortem prædixisse, quod parum memores quid ore suo dicat Dominus: Mea est ultio et ego retribuam in tempore, ausi essent scelus tam immane meditari. Anno igitur nondum revoluto, sicut illa prædixerat, ambo juvenes misere extinguntur.

ITEM JOANNA DE BELLOJOCO PRIORISSA POLETENSIS.

Ex mss. ejusdem Dom. et Hist. ms. Ord. Cartus. Molini.

III. Eodem anno sancti Hugonis episcopi Lincolniensis corpus sacrum fuit elevatum atque translatum. Cujus translationis series ad ejus Vitæ ms. calcem in nostro codice sic describitur :

CORPUS SANCTI HUGONIS LINCOLN. TRANSFERTUR.

« Congruum est et decens ut Sanctos et Electos Dei Ecclesia

ANNUS 1280

militans speciali in terris prosequatur honore, quos post consummatum certaminis boni cursum, insigniis dignitatum attollit triumphans Ecclesia gloriosa. Ingredientes namque domum Dei ad glorificandum qui in cœlis est Deum Patrem, eorum viso lumine devotius advocentur ; et fidem Catholicam quam iidem Electi Dei servabant in vita, veram fuisse ex gloria eis adhibita perpendens, eam firmius amplectetur. Congruitatem nempe et decentiam hujusmodi honoris advertentes viri Deo devotissimi Episcopus et Capitulum Ecclesiæ Lincolniensis, ac etiam attendentes specialiter sanctæ recordationis Hugonem quondam Lincolniensem episcopum multorum miraculorum, tam in vita quam etiam post vestem mortalitatis exutam insignius effulsisse; ipsum primum autoritate Apostolica Sanctorum ascribi catalogo Confessorum, et postmodum corpus ejus a loco humili Ecclesiæ Lincolniensis (quo velut lucerna latebat sub modio) ad locum eminentem gloriose transferri, auro gemmisque includi honorifice procurarunt. Et tam festum ipsius quam translationis solemniter celebrarunt et celebrant annuatim, eumdem Dei Electum sonoris præcordiis efferentes.

Archiepisc. Cantuarien. et Episc. Lincol. eam celebrant.

« Cujus gloriosi Principis translatio insignis pridie Nonas Octobris, anno videlicet Domini Incarnati 1280, anno autem a die quo corpus ejus traditum fuerat sepulturæ octogesimo fere completo, eximie facta fuit per insignem veritatis Doctorem Joannem Cantuariensem tunc archiepiscopum totius Angliæ Primatum, et Oliverum Lincolniensem episcopum miræ probitatis et sapientiæ magnæ virum; assistentibus eis venerabilibus viris Canonicis Lincolniensis Ecclesiæ supradictæ. Qui omnes per devotæ orationis instantiam et abstinentiæ voluntariæ observantiam, ad tam sacri operis executionem præparati; noctis ad hoc notato congruo tempore adveniente, post Matutinas devote cantatas, ad tumbam sancti Præsulis marmoream accedentes, corpus ipsius, quod fere octoginta annis, ut præmittitur, jacuerat tumulatum, quasi integrum repererunt.

Integrum corpus reperitur.

Caput vero gloriosi corporis cum cœpissent palpare, a corpore discingebatur, et collum rubeum velut hominis recenter

mortui apparuit. Quod quidem dicebatur a pluribus miraculose evenisse, eo quod capsula ad conservationem perpetuam dicti corporis cum capite mirifice præparata, solum corpus sine capite poterat continere. Idcirco caput ipsum auro decenter inclusum, separatum ostenditur populo venerandum. Corpori siquidem integre sic reperto, suppositi sunt in tribus partibus panni mundissimi, illudque taliter levaverunt in altum et in loculo ad hoc artificialiter præparato cum reverentia posuerunt, non permittentes ad illum quemquam manum apponere qui non fuerat per veram cordis contritionem, oris confessionem, satisfactione præstita seu cum proposito satisfaciendi a peccatorum suorum maculis emundatus.

ANNUS 1280

« Deinde hujusmodi corpus venerabile in dictæ Ecclesiæ revestiarium cum hymnis et canticis spiritualibus detulerunt, caputque levaverunt ac desiccaverunt, sicque illud ibidem usque in diem sequentem sub custodia dimiserunt. In tumba autem qua corpus jacuerat prælibatum, oleum purissimum invenerunt usque ad largifluam quantitatem, et habitum regularem quo Vir sanctus utebatur in vita, et cum quo corpus ejus traditum fuerat sepulturæ, integrum similiter repererunt. Die vero sequenti Pontifices et Canonici memorati, ad locum in quo corpus venerabile dimiserunt revertentes, ad exequendum ulterius officio tam eximio convenientia se præparaverunt, inter quos Lincolniensis episcopus Oliverus prædictus caput dicti Sancti arripiens, illud tenebat in manibus reverenter. Ex cujus capitis maxilla nocte præcedente desiccata, et sicca in mane reperta, in manus Episcopi tenentis stillavit oleum purissimum abundanter, et a stillatione non cessavit, donec idem Pater reverendus eamdem maxillam deposuit in pelvi argentea ad deportationem capitis in populo ordinata.

Item vestis illius Cartusiensis.

Oleum ex ejus capite exsudat.

« Subsequenter processione solemniter juxta morem Ecclesiæ ordinata, dicti Patres per ecclesiam processerunt præsentibus Clero et populi multitudine copiosa, præfato Domino Archiepiscopo caput sanctum in pelvi argentea deferente, aliisque deferentibus sanctum corpus usque ad locum quo sita fuit

ANNUS 1280

capsula auro, argento et lapidibus pretiosis ornata, ad conservationem perpetuandam corporis præparata. Infra quam dictum corpus venerabile posuerunt, et super fabricam marmoream decentis structuræ altitudinisque competentis hujusmodi capsulam honorifice collocaverunt; capsulam fabricæ marmoreæ conjungi firmiter facientes.

« Dictus autem Episcopus et Capitulum suum, caput præfatum auro et argento ac lapidibus pretiosis includi, et juxta altare sancti Joannis Baptistæ in ecclesia Lincolniensi non longe a capsula prælibata collocari fecerunt. In quibus locis tam caput quam corpus a clero et populo adoratur, ipsiusque Sancti auxilium apud Altissimum imploratur, et Dominus qui actus dicti Sancti remuneravit tam in cœlestibus quam in terris devotissime collaudatur.

FESTUM TRANSLATIONIS INSTITUITUR.

IV. « Deinde dictus Episcopus Lincolniensis et Capitulum, festum translationis hujusmodi annuatim fore celebrandum tam in ecclesia Lincolniensi quam in ipsius diœcesi statuerunt. Translationem itaque gloriosi corporis sancti Pontificis Hugonis inclytæ recordationis, dominus Eduardus illustris rex Angliæ, quondam regis Henrici tertii natus, et domina Helionora consors ejus regina, multique alii regni Nobiles et magnates sua venerabili præsentia decorarunt. Inter quos bonæ memoriæ Thomas Beckius electus Menevensis eodem die translationis in ecclesia Lincolniensi præfata, a dicto domino Cantuariensi Archiepiscopo munus consecrationis accepit, et convivium splendidum in domo Episcopi Lincolniensis celebravit ad honorem Dei et gloriosi Confessoris sui cumulum et augmentum. Porro præter Archiepiscopum Cantuariæ, et Episcopum Lincolniensem ac Electum Menevensem in episcopum consecratum (ut præmittitur), interfuerunt hujusmodi translationis festo dominus Ragensis Archiepiscopus, et septem Episcopi infulati, Abbatesque plurimi; necnon præter dominum Regem Angliæ et Reginam prædictos, domina Regina Navarræ, Comites quatuor et Lincolniensis Comitissa, Baronesque ac Milites, et multitudine copiosa suam exhibentes præsentiam in solemniis antedictis, Domi-

Præsentibus Rege et Regina Angliæ et Regina Navarræ.

Episc. Meneven. ibidem consecratur.

numque qui famulos suos talibus attollit insigniis collaudantes, etc. »

ANNUS 1280

V. Hactenus ex nostro codice, ex quo arguendi sunt qui translationem hanc scripserunt factam anno ab obitu beati Viri octogesimo sexto. Si enim id ita esset, mors illius vel ad annum Christi 1194 revocanda esset vel ad annum 1206 rejicienda : cum tamen certissime constet ex omnibus fere Angliæ scriptoribus, ac præsertim ex Autore anonymo coætaneo ex quo Acta ejus descripsimus, eum anno 1200 obiisse. Hic error a Raynaldo diserte etiam exploditur in suis Annalibus ; licet in suo Indice translationem istam referat ad annum 1222 quo quidem anno corpus S. Hugonis Gratianopolitani in honorificentiorem locum transferri debuit, ut diximus anno 1222 et ipse Raynaldus ad eundem annum meminit ; in quo certe secum pugnat. Sed hujusmodi error nimis crassus est, ut tanto viro tribui possit. Unde credendum est hunc Indicem ab alio scriptum fuisse, qui Hugoni Lincolniensi incaute adscripsit quod Gratianopolitanum Hugonem spectabat.

TEMPUS HUJUS TRANSLATIONIS DISCUTITUR.

Rayn. ad an. 1200, nu. 18. et 1222, n. 49.

Nostri Dorlandus et Surius ejusdem translationis meminerunt, alii quoque ut Benedictus Honorius in *Chronico Deiparæ*, Smitheus etiam et Godwinus, qui ambo perperam perhibent eam fuisse factam anno 1282. Thomas Stubbs in *Pontificibus Eboracensibus*, sub Willelmo Wykwane, scribit factam fuisse expensis magistri Thomæ fratris Antonii de Bek episcopi Dunelmensis. Hic autem Thomas is esse videtur qui Menevensis episcopus in nostro codice dicitur electus, quem revera Godwinus habet ad hanc sedem consecratum fuisse Lincolniæ hoc præsenti anno 13 Octobris, id est diebus octo post prædictam translationem. Sed idem Godwinus hunc Thomam non fuisse Antonii fratrem contendit, sed ejusdem nominis alium qui anno 1319 Ecclesiæ Lincolniensi præfectus fuit. Hic tamen non Thomas, sed Antonius ab Harpsfeldio nominatur.

Harpsfeldius seculo 14. c. 27

VI. Hoc anno cœpit cartusia S. Crucis in Jaresio in agro Segusiano et diœcesi Lugdunensi, duabus leucis cum dimidia distans ab oppido Condriaco, quod Lugduno in meridiem

CARTUSIÆ S. CRUCIS IN JARESIO INITIA.

ANNUS 1280

septem leucis abest. Fundatricem agnoscit religiosissimam dominam Beatricem de Turre, Guillelmi de Rossilione domini Annoniaci viduam, ad tantum opus aggrediendum cœlitus monitam et excitatam ut ipsamet contestando denuntiavit Priori Vallis viridis, data ad eum sequenti epistola quam ex tabulario Domus erutam Molinus noster suæ Historiæ inseruit :

Beatrix de Turre ad eam fundandam divinitus excitatur.

« Religiosæ personæ et devotæ in Domino nostro Jesu Christo, fratri Joanni Priori Vallis viridis prope Parisios Ordinis Cartusiensis, Beatrix de Turre, conjux quondam nobilis militis domini Guillelmi de Rossilione domini Annoniaci, domicella, Jesu Christi et gloriosæ virginis Mariæ salutem ; et omnibus ejusdem amicis recommendatis orationibus ejus gloriosis et Fratrum religiosorum virorum in eodem Jesu Christo et gloriosa Matre ejus. Noveritis magnum gaudium nobis adfuisse quando ad nos venientes prius litteras vestras videramus ; nam revera large vobis mandavimus quomodo in visione recepimus a Domino ut fundaremus Domum vobis, voluntate Dei nostri Jesu Christi et gloriosæ ejus Genitricis. Ad hæc non ignoretis quod post domini Guillelmi conjugis nostri decessum, multis mundi hujus occupationibus vexatæ fuimus, et maxime quia nostri carnales amici excitabant nos ad secundas nuptias transire ; quod quidem nobis erat admodum dolorosum et amarum, cum in primordiis nostræ juventutis firmassemus cor nostrum in Deo et in sua Matre gloriosa quod nunquam alium ab illo, cui Jesus Christus nos copulaverat, susciperemus maritum. In hac ergo tribulatione tantaque conturbatione laborantes, deprecatæ sumus Dominum ut a doloribus prædictis nos liberare dignaretur.

CRUCEM STELLIS CIRCUMFUSAM IN SOMNIS VIDET.

VII. « Itaque inde accidit quod quadam nocte nobis lecto decumbentibus apparuit in somnis quædam nobilissima crux argentea, admodum splendens et clara, et in circuitu ejus stellæ pulchræ valdeque lucidæ, quarum una præ cæteris propinquior cruci videbatur. Quadam insuper alia nocte inter quintam et sextam feriam, cum in eadem positæ tribulatione

ANNUS 1280

rogaremus Dominum nostrum Jesum Christum ut daret nobis per suam pietatem ex tanto dolore nostro consolationem, respexit iterum verax Deus et Mater ejus gloriosa ad orationem nostram; et visionem supra narratam iterato vidimus, ita quod crux et stellæ in tantum nobis appropinquarent, quod tangere nos velle viderentur; et cœperunt ire versus locum ubi fundanda erat Domus nostra. Diluculo itaque surgentes perreximus ad ecclesiam, et ibi reddentes officia nostræ devotionis, de sancta et vera Cruce Missam fecimus celebrare; expletaque Missa, accersito militi diximus ut nostrum suumque properare faceret palafredum, equos etiam domicilii, quia equitare disponebamus. Nobis igitur iter arripientibus et celeriter alios præcedentibus equitando, ecce crux et stellæ quas videramus antecedebant nos quousque venientes starent in loco ubi erat dicta Domus nostra construenda, in quo quidem loco nos nunquam fueramus; nulli præterea hominum nostrum propositum de ædificanda nostra prædicta Domo revelaveramus.

Eadem crux stat ubi domus erat construenda.

VIII. « Cum igitur pervenissemus ad locum, venit ad nos ille cujus erat possessio loci dixitque nobis : o Domina, ad quid huc venistis ! Ego, inquit ille, somniavi quod vos volebatis emere eamdem possessionem. Quibus auditis cognovimus hæc venisse voluntate Domini nostri Jesu Christi et benedictæ Matris ejus, et emimus dictam possessionem per duos viros prudentes et sapientes. Erat enim terra dictæ possessionis libera ab omnibus usagiis; dictus vero possessor ab antiquo debebat nobis homagium. Cum ergo esset dies pœnitentiæ, videlicet feria sexta, nostram ibidem corporalem recepimus refectionem. Casuque fortuito illuc venit ad nos quidam latomus magister, qui tunc serviebat Comiti Sabaudiæ, et a nobis interrogatus quo tenderet, respondit in hæc verba : Domina mea, ego ad vestram accessi præsentiam, propter hoc quod mihi venit in mentem vestræ esse voluntatis unam fundare Domum Ordinis Cartusiensis. Quo audito, quamvis paucas pro tunc haberemus pecunias, nihilominus pactum cum eo fecimus assignando pro ædificiis ipsius nostræ Domus pecuniarum quantitatem certam. Et licet liberis multisque aliis

LOCUM SIBI A POSSESSORE SPONTE OBLATUM EMIT FUNDATRIX.

ANNUS 1280

essemus oneratæ; tamen reditu et proventu, Deo miserante, abundavimus. Super his igitur gratias Deo agimus quantas valemus, quia dedit nobis velle tale opus aggredi et operari. Ipse enim omnia fecit et perfecit usque in finem, et omnium ipse est principium et finis, qui nos ad finem bonum perducat, amen.»

Pontius de Sableria creatus primus Prior.

Hactenus epistola Beatricis, ad cujus calcem antiqua manu legebatur scriptum : « Anno igitur Domini MCCLXXX, in festo beati Matthiæ apostoli, per Domnum Pontium de Sableria primum Priorem Domus Sanctæ Crucis in Jaresio Ordinis Cartusiensis, fuit recepta possessio tam de loco in quo ædificata extitit dicta Domus quam de aliis possessionibus, redditibus et cæteris obventionibus per dictam dominam Beatricem de Turre fundatricem concessis, quo anno inchoata fuere ipsius Domus ædificia. Deus qui tam salubre opus faciendum inspiravit, cum Sanctis suis animam fundatricis animasque suorum et omnium fidelium in gloria æterna adlocare dignetur. Amen. »

LITERÆ FUNDATIONIS.

IX. Litteræ quibus pia fundatrix locum Ordini concessit, extant in *Historia Genealogica Comitum Arverniæ* a Christophoro Justello edita; suntque sequentis tenoris :

« Noscant tam præsentes quam futuri ad quorum notitiam præsens scriptum pervenerit, quod ego Beatrix de Turre domina Rossilionis et Annoniaci, relicta bonæ memoriæ domini Willelmi de Rossilione, pro remedio animæ ipsius et meæ et omnium parentum meorum, amicorum et benefactorum, dono donatione pura et irrevocabili inter vivos Deo, Beatæ Mariæ et Ordini Cartusiæ Domum quam ego construxi in parochia de Laversin, Lugdunensis diœcesis, ita quod possim habitare in ea quotiescumque mihi placuerit toto tempore vitæ meæ. Item dono locum ibidem contiguum prout cingitur a duobus rivis et protenditur usque ad molendinum cum ingressibus et egressibus et aquarum decursibus, ut ibidem in honore sanctæ Crucis Domus dicti Ordinis construatur. Item dono Deo et beatæ Mariæ et Fratribus ibidem pro tempore Domino famulantibus, quidquid emi vel acquisivi in dicta parochia vel acquiram ex quacumque causa in futurum. Item quidquid

habeo in villa de Treves cum omnibus juribus et pertinentiis universis, sive sint terræ cultæ sive incultæ, homines, census et usagia quocumque nomine censeantur, et breviter omnia quæ habebat in dicta villa dominus Arthaudus de Laviaco, a quo prædicta emi; exceptis bannis, clamoribus personalibus, mero et mixto imperio, quæ Arthaudo filio meo et successoribus conceduntur. Item dono eisdem Fratribus quidquid habeo seu acquisivi in mandamento Rossilionis, specialiter vineas quas ibi habeo et ea quæ emi ab Andrea del Molard. Item ea quæ habeo apud Suiriacum, sive sint terræ cultæ vel incultæ, census seu usagia et specialiter ea quæ emi a Petro Bernardi; bannis, clamoribus, mero et mixto imperio, prædicto Arthaudo filio meo et ejus successoribus reservatis. Item dono eisdem Fratribus medietatem villæ de Versieu, quam Albertus dominus de Turre pater meus dedit mihi in dotem, cum juribus, pertinentiis et usagiis quocumque nomine censeantur. Actum in claustro de Tallues in festo B. Matthiæ apostoli, anno Domini MCCLXXX, præsentibus venerabilibus Patribus A. Valentinensi et Diensi Episcopo, Stephano Saviniensi abbate, et H. Sancti Theuderii electo, Hismione Priore Vallis sancti Joannis in Sclavonia, Stephano de Meyseriaco monacho et Petro Flotta domicello. »

ANNUS 1280

X. Eodem anno Patres Ordinis pro Comitiis congregati, recentem Beatricis in nos benevolentiam in animo sicut in oculis habentes, qualescumque gratias acturi, eam precibus totius Ordinis commendarunt per Chartam; quod etiam postea aliquoties quoad vixit, fieri curarunt. Tandemque ea mortua, ejus obitum toti Ordini denuntiarunt per Chartam quæ sic habet: « Dominæ Beatrici dominæ de Rossilione fundatrici Domus sanctæ Crucis nuper defunctæ, conceditur tricenarium per totum Ordinem. » Ejus obitus signatur in Calendario Domus ad diem 18 Maii, unde patet quod obierit anno 1306; nam Capitulum generale anni 1307 celebratum fuit in Aprili. Ejus corpus sepultum fuit in Capitulo hujus cartusiæ ad sinistram altaris partem. Porro benevolentiam hanc, qua nostrum Ordinem tam intime complectebatur, quasi successio-

BEATRIX SÆPE COMMENDATUR IN CHARTIS CAP. GEN.

Ex ch. 1307.

Quando defuncta.

ANNUS 1280

Antecessores ejus Nobis semper benefecerunt.

nem hæreditariam adepta fuerat a suis parentibus cum lacte infusam. Avus enim maternus Hugo dominus de Coligny Domum Siligniaci fundaverat. Albertus de Turre Pini et Beatrix de Coligny parentes ejus totum Ordinem suis sibi beneficiis devinxerunt. Patruos, avunculos, fratresque suos habuerat diversarum cartusiarum benefactores et maxime Humbertum delphinum Viennensem, fratrem germanum, quem videbimus autorem parthenii Saletarum, ac tandem monachum Cartusiensem, in Domo Vallis sanctæ Mariæ indutum sepultumque.

BENEFACTORES S. CRUCIS.

XI. Benefactores hujus Domus sunt : Amedeus de Rossilione episcopus Valentinensis, memoratus in præfatis litteris hujus fundationis, promotor hujus novæ plantationis et nostri Ordinis fautor et amicus. Quamobrem per Chartas Capituli generalis annorum 1279 et 1281, commendatur precibus Ordinis ; Missam habuit de Spiritu Sancto per omnes Ordinis Domos. Primus Diensem Ecclesiam Valentinensi unitam possedit. Obiit diem extremum Diæ, anno 1281, die 16 Septemb.

Amedeus Episc. Valentin. et Diens.

Beatrix de Anio, consors quondam Aymari domini de Rossilione et Annoniaco, sepulta jacet sub eadem tumba ubi et reconditum corpus fundatricis fuit.

Joannetta de Montluel, filia Guidonis et Margaretæ filiæ et hæredis Guillelmi domini de Coloniaco veteri, dedit hujus Domus Cartusiensibus, de consensu matris et Joannis de Montluel fratris sui, mediam terræ de Versieu partem, justitia excepta. Litteræ hujus donationis datæ anno 1319, 21 Aprilis, extant in *Bibliotheca Sebusiana* Guichenonis. Paulo post obiit Joannetta, quæ et Joanna dicitur in Capituli generalis ejusdem anni Charta ubi obitus illius his verbis legitur : « Dominæ Joannæ sororis illustris viri Joannis domini Montis Lupelli nuper defunctæ, conceditur tricenarium per totum Ordinem ».

Joannes de Montluel, prædictæ Joannæ frater, justitiam terræ de Versieu quam in suæ sororis donatione exceperat, litteris anno 1323, die 29 Septemb. datis, concessit.

In Charta anni 1332 quorumdam mentio fit benefactorum his verbis : « Joanni de Urmo civi Viennensi et Guillelmæ uxori ejus, munificis Domus S. Crucis benefactoribus, fraternitas

Ordinis impertitur. Et conceditur Priori ut possit recipere in Donatum quemdam hominem pro quo rogavit, qui dedit eis omnia bona sua, et hoc faciat de consilio Conventus sui. » ANNUS 1280

Isabella de Haricuria, filia Joannis comitis de Haricuria et Catharinæ a Borbonio, uxor Humberti domini de Thoire et de Villars, huic Domui legavit centum florenos suo testamento, anno 1441, 20 Novembris condito; quod habetur inter probationes *Historiæ Genealogicæ Comitum de Haricuria* autore Ægidio Andrea de la Roque.

Antonius d'Ars, quondam Præpositus et Canonicus in majori ecclesia Lugdunensi, dicitur benefactor hujus Domus et habuit tricenarium per Chartam anni 1461. Alii quoque recensentur in nostris Chartis quorum hæc sunt nomina : Magister[a] Ludovicus Vitonis. Magister Antonius Barcionis et Anna uxor ejus ex eadem Charta. Honorabilis Anemundus[b] Chavelli. Honorabilis[c] Joannes Paulat. Dominus Antonius Roy[d]. Magnifica domina Anna de Laberge domina Sancti Danosii, fautrix dicitur in eadem Charta. Nobilis Domina[e] de Castellis. Illustr. dom. Margareta de Lestand, relicta domini Gabrielis de Fay baronis de Malleval, Virieu et Chavanay, obiit 3 Januarii 1575.

[a] Ex ch. 1505.
[b] Ex ch. 1531.
[c] Ex ch. 1532.
[d] Ex ch. 1540.
[e] Ex ch. 1542.

IGNIS ÆDIFICIA DOMUS INVADENS NON SINE MIRACULO EXTINGUITUR.

XII. Ignis aliquando ædificia Domus hujus invadens, cuncta jam consumpserat a claustri porta usque ad fœnile. Ad aquas nonnulli, ad alia remedia currebant alii. Sed et Prior ad locum incendii præsto adfuit, afferens Creatorem omnium, stipantibus Angelis et comitantibus Religiosis. Mirabile dictu ! Cum signum Crucis versus flammas cum sacro vasculo Prior edidisset, intercessori cito paruit ignis, suæ virtutis oblitus, flammaque subito disparuit, amarum fumum ibidem tantum relinquens et fervidos cineres. Alia ejusmodi prodigiorum exempla afferri possent ad purgandum præfati Prioris factum. Verum cum hodie Præsules id prohibeant suis synodalibus decretis, satius existimamus ad preces coram augustissimo altaris Sacramento in ecclesiis fundendas recurrere, quam illud ad incendia deportare, vel etiam, quod nonnulli ausi sunt, in ipsum ignem immittere.

Molin. Histor. ms.

Thiers in tractatu de Expositione SS. altaris sacramento.

JESU CHRISTI

ANNUS 1281.

Martini PP. IV Ann. 1.	Ordin. Cartus. Ann. 198.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 4.

MARTINUS IV ELIGITUR.

I. ANNO Christianæ salutis octogesimo primo post millesimum ducentesimum, Indictione nona, mense Februario, Martinus IV vir cunctis ornatus virtutibus, universalis Ecclesiæ Pastor eligitur.

DUBITATUR AN SENTENTIA CARDINALIS S. MARCI LEGITIME LATA FUERIT.

Ex litteris cap. gen. super interpretatione ordinationis per sancti Marci Cardinalem factæ.

Quatuor Prioribus datur examinanda.

II. Hoc anno, cum quidam Priores dubitarent utrum sententia per Cardinalem sancti Marci ante quatuor annos lata legitimam haberet autoritatem, quod de commissione eidem Cardinali facta a Joanne XXI per bullatas litteras non constaret, aliis in contrarium asserentibus ipsam pro more Romanæ Curiæ validam esse : quo quidem more, sive consuetudine (ut dicebant), fides plenaria datur et adhibetur litteris Cardinalium suis sigillis munitis, licet de commissione per bullatam litteram alias non constaret. Tandem utraque pars volens hujusmodi altercationis materiam salubri consilio amputare, in religiosos fratres Hugonem Sylvæ benedictæ, Burnonem Luvigniaci, Jacobum Montis benedicti, et Pontium sanctæ Crucis in Jaresio Priores compromisit, ut de dicta dubitatione intra festum Omnium Sanctorum cognoscerent ac diffinirent. Quibus præterea plenaria ac omnimoda potestas facta est dandi et concedendi nomine totius Capituli generalis Domui Cartusiæ aliquas gratias seu prærogativas, prout eis videbitur expedire; volentes omnes Priores Ordinis in aliquibus gratiis et prærogativis eam præ cæteris honorare.

Extant hujusmodi potestatis amplæ litteræ datæ hoc anno, feria quinta Capituli generalis, omnium Priorum qui iisdem Comitiis adfuerant sigillis munitæ. ANNUS 1281

Post celebrationem Capituli generalis præfati Priores Commissarii in Cartusia remanentes, totum negotium sollicite examinatum sequenti sententia pronuntiata definite deciderunt :

ET AB EIS DECLARATUR LEGITIMA.

III. « Nos B. Luvigniaci, Jacob. Montis benedicti et Pon. sanctæ Crucis Priores, notum facimus universis præsentem paginam inspecturis, quod nos autoritate nobis commissa a Capitulo generali, prout in compromisso exinde confecto anno MCCLXXXI feria quinta Capituli generalis plenius continetur, habito diligenti tractatu et communicato nihilominus jurisperitorum consilio de dubitatione. . . . sic sententiamus et arbitrando definimus, revocationem per dominum Guillelmum tituli sancti Marci presbyterum cardinalem de mandato Domini Joannis Papæ factam, habere roboris firmitatem et debere jure subsistere. Et ob hoc reducimus Capitulum generale et totum Ordinem ad illum statum in quo erat tempore Gregorii Papæ decimi. Et præcipimus sub virtute fidei præstitæ et juramenti, Priori et Domui Cartusiæ et cæteris Prioribus dicti Capituli generalis, ut deinceps Capitulum generale celebrent juxta formam et secundum modum illum quo ante . . . . consueverat celebrari.

Prior et Conventus Cartusiæ laudantur de servata concordia.

« Et quia Priorem et Conventum Domus Cartusiæ zelatores pacis et concordiæ potissime reperimus in hac parte, dictam Domum Cartusiæ volumus, arbitramur, et sententiario concedimus, infra scriptis prærogativis gaudere amodo autoritate Capituli generalis. In primis concedimus autoritate supra scripta Priori Cartusiæ qui nunc est, et qui pro tempore fuerit, omnimodam potestatem in foro pœnitentiali audiendi confessiones Priorum et absolvendi eosdem qui ei voluerint confiteri. Item ut possit facere misericordiam Prioribus super annum eam petentibus, si ex juxta causa vel utili eam viderit faciendam. Item concedimus eidem ut ubique in tractatibus Ordinis duplicem vocem habeat ad rigorem Ordinis

ANNUS 1281

observandum. Item concedimus quod quilibet Prior qui pro tempore fuerit in Domo Cartusiæ, duos ex Monachis suis ad alias Domos ipsius Ordinis possit mittere, si contingeret quod aliqua persona veniens ad Domum Cartusiæ non posset ibi recipi propter multitudinem Monachorum. Hanc autem missionem volumus posse tantum fieri cum pace mittendorum et Conventus Cartusiæ. . . . Hæc omnia supradicta universa et singula concedimus perpetuo Priori Cartusiæ qui nunc est et qui pro tempore fuerit, autoritate supradicta. In cujus rei testimonium, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Actum in Domo Cartusiæ anno MCCLXXXI, die Lunæ post festum omnium Sanctorum. » Sed postea crescente Ordine necessario augenda fuit potestas Reverendi Patris, ut facilius diligentiusque negotiis emergentibus consuleret ac prospiceret.

PHILIPPUS COMES SABAUD. PRIVILEGIA CARTUSIÆ CONFIRMAT ET AUGET.

IV. Eodem anno Philippus comes Sabaudiæ concessit, sive potius confirmavit, privilegium a suis antecessoribus Majori Cartusiæ concessum, quo inter cætera fit prohibitio ne ulla mulier ullusque vir armatus infra illius terminos incedant; ac propterea conceditur ut porta Pontis clausa teneatur.

« Nos Philippus Sabaudiæ comes confirmamus pro nobis et nostris successoribus perpetuo, carissimis nostris Fratribus Cartusiæ, omnia pascua de quibus, ut per inquisitiones factas reperimus, usi libere fuerunt usque nunc pro suis animalibus grossis et minutis, etc. Similiter omnes possessiones infra suos terminos existentes in nostro dominio et ressorto, a mandamentis cunctis undique separatos et a Summis Pontificibus confirmatos, quos libere et pacifice tenuerunt; nihil in his juris, usus, jurisdictionis vel dominii ..... retinentes, sed sic immunitatibus ampliantes, quod non sint infra terminos viæ publicæ vel communes; imo perpetuo inhibentes, ne cui liceat ibi hominem capere vel punire, piscationem, venationem, seu avium captionem habere, pascuave aut cum præda vel domesticis animalibus, seu gladiis, vel cujuscumque generis armis transire, aut fœminis intrare. Ideo januam Pontis eorum subtus clusam poterunt ipsi Fratres, cum eis placuerit, clausam tenere. Nec quis etiam nostrorum succes-

sorum valeat contra prædicta facere, seu hoc aliquo tempore impedire, etc. Datum anno MCCLXXXI, mense Julio, in colle Pleyneti. » ANNUS 1281

Hanc Philippi immunitatem tanta cum religione successores ejus observarunt, ut et ipsi ad Cartusiam accedentes ensem suum ad Pontis januam dimitterent, ut quandoque præclaro Amedei Viridis exemplo probabimus. V. an. 1358.

DONATIO PELLIUM A CAN. ULCIENS. CONFIRMATUR.

V. Hoc pariter anno Canonici ecclesiæ Ulciensis Majoris Cartusiæ monachos sibi cupientes demereri, eleemosynam a suis antecessoribus olim Nostris factam sequentibus confirmarunt tabulis :

« Noverint universi præsentem paginam inspecturi, quod nos Amius* nonus Dei gratia præpositus Ulciensis, et ejusdem loci Conventus, ex certa scientia, errore aliquo non decepti vel illecti, confitemur et recognoscimus nos debere religiosæ Domui Cartusiæ annuatim dare et tradere triginta pelles bonas et sufficientes de agninis, prætextu piæ eleemosynæ quondam a prædecessoribus nostris eidem Domui misericorditer factæ ob reverentiam Redemptoris, et solutæ etiam Fratribus dictæ Domus temporibus retroactis. Quas quidem pelles pro nobis et successoribus nostris bonas et omnimode præparatas promittimus singulis annis dare et tradere in festo S. Michaelis dictæ Domui, seu Fratribus dictæ Domus. In cujus rei testimonium præsentem litteram eisdem Fratribus concessimus nostrorum sigillorum munimine roboratam. Datum Ulcii in Capitulo, XVI Kal. Decembris, anno Domini MCCLXXXI. »

*Al. Annus.

In quibusdam transumptis annus designatur 1271, sed in ipso autographo diserte scriptum legimus annum præsentem. Eadem donatio a pluribus posthac ex Anni successoribus approbata fuit et confirmata.

PARTICIPATIO BONORUM SPIRITUALIUM CONCEDITUR ECCLESIÆ LUGDUNENSI.

VI. In Comitiis hujus anni visum est Patribus Ordinis totum Canonicorum majoris ecclesiæ Lugdunensis collegium, ad petitionem, ut verissimile est, quorumdam tam illustris corporis membrorum, particeps omnium bonorum spiritualium reddere quæ in toto nostro Ordine fiunt. Quod quidem

ANNUS 1281

per Chartam his verbis denunciatum est : « Canonicis et Beneficiatis primæ Lugdunensis ecclesiæ, et omnibus vivis et defunctis quibus tenentur, concedimus plenam participationem omnium bonorum quæ fiunt et fient de cætero in toto Ordine nostro ; et pro omnibus defunctis quorum nomina nobis ex parte ipsorum scripta sunt, in singulis Domibus Ordinis nostri tres Missæ celebrentur ». Et inferius : « Item pro domino Episcopo Valentinensi et Lugdunensi Ecclesia et omnibus nobis recommendatis, in qualibet Domo una Missa de Spiritu Sancto celebretur ». Episcopus Valentinensis hic commemoratus vocabatur Amedeus de Rossilione, de quo anno præterito diximus in descriptione Domus sanctæ Crucis in Jaresio ; eratque frater vel certe consanguinitate proximus Aymari de Rossilione quem Gregorius X anno 1274 Lugdunensem archiepiscopum consecraverat, quemque anno 1279 preces Ordinis postulantem sic per Chartam Nostri commendaverant : « Pro Domino Archiepiscopo Lugdunensi et aliis recommendatis orationibus Ordinis, conceditur a quolibet sacerdote in qualibet Domo una Missa de Spiritu Sancto, et a non sacerdote septem psalmi cum Litania, et a Conversis et Redditis L *Pater noster* et L *Ave Maria*. » Porro ex Charta præsentis anni conjicimus eum jam obiisse ante Ordinis Comitia, quando quidem solus Episcopus Valentinensis in ea commendatur cum « Ecclesia Lugdunensi », quasi tunc esset orbata Pastore.

Vacabat tunc pastore eadem Ecclesia.

PRIORI CARTUSIÆ CONCEDITUR MONACHATUS.

VII. In eisdem Comitiis « conceditur Domno Bosoni Priori Cartusiæ per totum Ordinem monachatus, » persolvendus scilicet post illius mortem. Et inter ordinationes leguntur istæ :

1. « In Missis, ad *Gloria in Excelsis* et ad *Credo,* ad nomen Jesu modice inclinetur ». Noster Vernerus Roelewinkius in suo *Temporum Fasciculo* scribit Clementem IV, ad petitionem sancti Ludovici Francorum regis, anno 1268 tres Indulgentiarum annos concessisse omnibus legentibus seu pronuntiantibus hæc verba : « Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Jesu Christi et gloriosissimæ virginis Mariæ Matris ejus, in æternum, amen. Nos cum prole pia benedicat virgo

Quando cœpimus ad nomen Jesu inclinari.

Spond. ad an. 1268. n. 14.

Maria, amen ». Gregorius vero decimus, qui sedit ab anno 1271 ad annum 1276, per sacrum constitutionis oraculum (ut loquitur Concilium Avenionense) quoslibet invitavit Christianos ut Nomen illud quod est super omne nomen, videlicet Jesu Christi, exhibitione reverentiæ spiritualis, præcipue dum sacra mysteria agerentur, devota capitis inclinatione attollerent. Unde videntur Nostri præfatam edidisse ordinationem, qua volunt ut modice caput inclinemus quoties nomen Jesu ad *Gloria in excelsis* et *Credo* pronuntiamus. Clemens V in bulla qua quædam Statuta Ordinis Grandimontensis confirmat et quædam edicit, inter cætera recens edita præcipit « ut quotiescumque nomen Jesu Christi in Missa profertur, inclinet humiliter quilibet caput suum ob reverentiam Salvatoris ». At postea Concilium Avenionense sub Joanne XXII anno 1326 habitum, Constitutioni Gregorii Indulgentias addidit : « Nos, inquiunt Patres illius Synodi, singulis in illius gloriosi nominis Jesu memoriam se inclinantibus reverenter, utique vere pœnitentibus et confessis, decem dierum concedimus Indulgentiam ». Quamobrem per Chartam anni 1343 præfata ordinatio extenditur : nam ibi jubetur ut « inclinemus modice quoties pronunciatur nomen Jesu in conventu ». Item ad nomen Mariæ. Hanc vero pietatem paulo post Guillelmus Raynaldi luculentius amplificans, non solum in conventu sed etiam extra, tum Jesu, tum Mariæ hanc reverentiam præcipit a Nostris exhiberi. « Quoties, inquit, et ubicumque nomen Jesu vel beatæ Mariæ matris ejus, sive in conventu sive extra pronunciamus vel audimus, modice et reverenter inclinamus ». Quod quidem ab eo tempore religiosissime apud Nos semper fuit observatum. Id vero quoad nomen Jesu a Pio V renovatum fuit in bulla data anno 1566, quæ continet ordinationes circa observantiam divini cultus in ecclesiis. Ibi enim decernit ut « ad nomen Jesu Christi Domini nostri cum exhibitione reverentiæ caput inclinent ». Sed ad ordinationes Chartæ redeamus.

ANNUS 1281

Bullar. Ordin. Grandim. part. 3.

Stat. Nov. part. 1. cap. 5. num. 15.

2. « Statutum quod Conversi se vocent ad invicem Fratres confirmatur.

ANNUS 1281

3. « Sententia excommunicationis quæ fertur in Ramis Palmarum a Priore, assistentibus Monachis, in scriptis proferatur. »

Sed modo forma in Statutis designata servanda est.

JESU CHRISTI

ANNUS 1282.

Martini PP. IV Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 199.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 6.

I. ANNO Jesu Christi millesimo ducentesimo octogesimo secundo, Indictione decima, Boso Prior Cartusiæ bona Domus suæ a multis vicinis usurpari cernens, Principum opem implorat et ab eis tabulas tutelares obtinet. Primus eas concessit Humbertus delphinus sub sequenti tenore :

HUMBERTUS DELPHINUS CARTUSIAM TUETUR.

« Humbertus dalphini, miles, Viennensis et Albonis Comes, dominus de Turre et de Cologniaco, universis et singulis Castellanis, Præpositis, Mistralibus et familiaribus suis salutem et dilectionem sinceram. Vobis universis et singulis damus per has nostras patentes litteras in mandatis, quatenus Domum Cartusiæ, Fratres, familiares, bona et res quascumque dictæ Domus Cartusiæ, ubicumque sint et undecumque sint, custodiatis, manuteneatis et defendatis pro posse vestro et viribus vestris, a quibuscumque malefactoribus dictæ Domus et a quibuscumque personis aliis, sicut bona nostra et res nostras proprias speciales : facientes nomine nostro præconizari et edici in foris et ecclesiis vobis subditis ex parte nostra, sub pœna corporis et averii, ne quis de cætero sit tam audax qui dictæ Domui Cartusiæ, Fratribus vel familiaribus, bonis et rebus ipsius Domus aliquam injuriam sive molestiam inferre præsumat. Quod si quis contra hujusmodi edictum nostrum aliquam in dictam Domum Cartusiæ, Fratres, familiares, bona et res ipsius Domus injuriam seu molestiam facere seu

ANNUS 1282

attemptare præsumpserit, in ipsum ultionem severam infligere nullatenus differatis; et nihilominus dictæ Domui factam injuriam emendari rationabiliter faciatis omni dilatione postposita et remota, et ad hoc faciendum alter vestrum alterum non expectet. Datum die Dominica post festum sancti Hilarii, anno Domini MCCLXXXII. » Forsan juxta calculum antiquum.

Item Domum Portarum.

Alias ejusdem prorsus tenoris, eisdem die et anno, Domui Portarum Humbertus concessit, mutato solum nomine Cartusiæ in Domus Portarum nomen.

LUDOVICUS BUGESIÆ DOMINUS IDEM PRÆSTAT DOMIBUS SUI DOMINII.

II. Ludovicus a Sabaudia, Thomæ quondam Mauriennæ et Flandriæ comitis filius, Bugesiæ dominus, suum quoque tutelare diploma in gratiam non solum matris Cartusiæ sed et aliarum Domorum Ordinis in suo dominio sitarum, in hunc modum scribi jussit :

« Ludovicus de Sabaudia Videttis suis universis et singulis ad quos præsentes Litteræ pervenerint, salutem et sinceræ dilectionis affectum. Cum inter cætera charitatis opera nobis pium videtur Religiosos Ordinis Cartusiæ, divinis obsequiis jugiter insistentes, manutenere favorabiliter et tueri ita quod per aliquos circa prædicta obsequia minime perturbentur : idcirco nos volentes in his et aliis bonis actibus imitari vestigia prædecessorum nostrorum, et specialiter illustris viri Philippi comitis Sabaudiæ patrui nostri charissimi qui ipsos Religiosos pura affectione diligit et custodire et defendere consuevit, prædictos Religiosos et specialiter Domum quæ est caput dicti Ordinis Cartusiæ et Domum de. . . . . , eorum Conversos, familiares, nuncios, homines, domos, cellaria, grangias, nemora, pascua, et omnia bona et res earumdem Domorum, pro nobis et hæredibus seu successoribus nostris, recipimus, in quocumque statu simus et nos esse contigerit, in nostra speciali protectione et custodia sive garda : mandantes universis et singulis ad quos præsentes Litteræ pervenerint, ut prædictos Religiosos et Domos ac eorum Conversos, familiares, nuncios, homines, domos, cellaria, grangias, nemora, pascua, et omnia bona et res prædictas,

ANNUS 1282

tamquam nostras proprias diligenter custodiant et defendant; nec ipsos sustineant ab aliquibus indebite opprimi vel gravari. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Sancto Genesio, anno MCCLXXXII ». Obiit ille Princeps anno 1302 relictis pluribus liberis, quorum primogenitus Ludovicus multa bona multis Ordinis nostri Domibus contulit, ut suis locis dicemus.

NANTELINUS DOM. DE MIOLANS DONATA A PATRE CONFIRMAT.

III. Mense Aprili præsentis anni, Nantelinus dominus de Miolans et Sancti Cassini in Sabaudia, donationem a patre suo « Religiosæ Domui Cartusiæ factam de pascuis per totum mandamentum suum confirmavit, ac de novo concessit libere et absolute ac sine ullo servitio. Præterea (inquit in suis litteris) pio devotionis affectu quem ad memoratam Domum habemus, pro nobis et nostris promittimus eidem Domui nostrum juvamen et auxilium semper et in omnibus impartiri, et ipsam Domum pro posse nostro ubicumque ab injuriis et violentiis defensare, etc. Datum hoc anno, mense Aprili. »

RECTOR COMITATUS VENASCINI PRO PAPA CONFIRMAT PRIVILEGIA CARTUSIÆ.

IV. Eodem etiam tempore frater G. de Villareta, Prior humilis Hospitalis sancti Joannis Jerosolymitani sancti Ægidii Prioratus et Rector comitatus terræ Venayssini pro Domino Papa, mandat vicariis de Mornacio et de Palude et aliis pedageriis, ut juxta tenorem privilegiorum Comitum Tolosanorum transire permittant libere et sine præstatione pedagii res ad Fratres Cartusiæ pertinentes. Datæ sunt litteræ Massiliæ, IV Calendas Martii, anno præsenti.

PARTHENIUM MELANI FUNDATUR.

A Beatrice Delphini vidua.

V. Hoc anno cartusia Monialium Melani, in statu Fossiniaci et diœcesi Genevensi, ab oppido *Cluse* duabus distans leucis et quatuor a S. Mauritio sive Agauno (unde et Agaunenses Martyres), ortum habuit; fundata et dotata a Beatrice Petri Sabaudiæ comitis filia et Guigonis XII delphini vidua, quæ in suo diplomate dotali inter cætera sic loquitur :

Literæ fundationis.

« Noverint universi quod nos Beatrix, filia inclytæ recordationis domini Petri quondam comitis Sabaudiæ, necnon domina Fucigniaci, attendentes circa situm humani generis..... pro remedio animæ nostræ et Joannis dalphini quondam charissimi filii nostri, et quondam comitis Petri charissimi

ANNUS 1282

patris nostri, et illustris dominæ Agnetis quondam dominæ Fucigniaci charissimæ matris nostræ, et omnium parentum nostrorum : in baronia nostra Fucigniaci, in castellania castri nostri Castellionis, in loco qui vulgariter *Melan* appellari consuevit, de Ordine Cartusiensi monasterium sic duximus ordinandum. Videlicet quod in dicto loco de Melan sint perpetuo et esse debeant quadraginta Monachæ et septem Monachi sacerdotes, qui et quæ ibidem omni tempore Deo serviant secundum Statuta et instituta Ordinis Cartusiensis. Et ne prædictæ Monachæ et Monachi, ob defectum ecclesiæ et aliarum domorum, et victualium et aliarum rerum necessariarum, eisdem necesse vacare habeant a divino cultu propter rerum temporalium indigentiam ; de ecclesia et domibus et aliis necessariis . . . . . . tenore præsentium sic duximus providendum. Videlicet quod habeant et habere debeant ecclesiam nostram quam fabricavimus in dicto loco de Melan, domos omnes. . . . Item insulam, etc. Item viginti octavas frumenti quæ debebantur olim domino Petro de Pressier in granerio nostro, et affectatæ sunt et donatæ dictæ Domui pro jure hæreditatis Catharinæ monialis dicti loci, filiæ quondam dicti domini Petri. Item ligna necessaria. . . . . Donantes pura et mera et irrevocabili donatione inter vivos sorori Margaritæ Priorissæ, et Fratri Guillelmo Vicario dicti monasterii, omnia et singula superius declarata. . . . In quorum omnium testimonium nos præfata Beatrix sigillum nostrum duximus præsentibus literis apponendum. Rogantes charissimum filium nostrum Humbertum dalphinum Viennensem et Albonensem comitem et dominum de Turre, et charissimam filiam nostram dominam Annam ejus conjugem comitissam. . . quod prædictam donationem confirment, etc.

HUMBERTUS DELPHIN. FUNDATIONEM CONFIRMAT.

VI. « Nos vero prædicti Humbertus et Anna prædictam donationem ratificamus. . . . Supplicantes humiliter nos supradicta Beatrix sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Summo Pontifici ut hanc præsentem nostram ordinationem, donationem. . . . confirmet, custodiat et servet. Rogantes insuper nos dicta Beatrix venerabilem Patrem dominum Guil-

lelmum Dei gratia episcopum Gebennensem ut hanc donationem confirmet..... Nos vero prænominatus Episcopus ad preces dictæ dominæ Beatricis prædicta omnia approbamus, promittentes ea servare et facere observari, si opus fuerit, censura ecclesiastica mediante.... In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus literis apponendum. Datum et actum pridie Idus Aprilis, anno Domini MCCLXXXXII, Indictione quinta, gubernante Ecclesiam sanctam Dei sanctissimo et reverendissimo Domino Papa Nicolao IV. »

ANNUS 1282

Item Guillelmus Episcop. Geneven.

Annus in his litteris signatus, videlicet 1292, tempus est confirmationis factæ ab Episcopo Genevensi, non dati ab ipsa Beatrice diplomatis. Constat enim ex Domus tabulario, prout nobis scripserunt, eam fuisse præsenti anno inchoatam. Et revera præfatum diploma legentibus, liquet jam Moniales ad professionem fuisse receptas quando datum est. Et Duchenius inter probationes *Delphinorum Genealogiæ,* dicit in veteri Cancellariæ Franciæ registro fieri mentionem literarum Annæ Viennensis et Albonensis comitissæ, quibus « de assensu Humberti delphini viri sui, volens subvenire animæ Joannis delphini fratris sui, dat et concedit Domui de Melans Cartusiensis Ordinis, Gebennensis diœcesis, centum solidos Viennenses annuales, etc. Datum apud Contaminam, die Lunæ ante festum B. Joannis, anno Domini 1289 ». Idem Duchenius aliarum meminit literarum quibus ipsi Humbertus et Anna, « concedunt religiosæ Domui de Melano decem libras annuales habendas super pedagio Gratianopolis, nomine et ex parte Beatricis delphinæ Vienn. et Albon. comitissæ, dominæ de Fauciniaco, matris suæ; quas decem libras dicta Beatrix ob redemptionem animæ suæ et antecessorum ac Joannis filii sui, fratris dictæ Annæ, dare voluit. Actum Gratianopoli, die Jovis ante Ramos Palmarum, anno Domini 1291 ». Eodem quoque anno quidam Monachus hospes in hoc parthenio, per Chartam Cap. general. mittitur ad Domum Pomerii suæ professionis ; et Visitatores delegantur ad hanc cartusiam. Ex quibus omnibus satis manifestum fit, eam diu ante 1292 extitisse.

Tempus disquiritur.

ANNUS 1282

QUANDO ECCLESIA CONSECRATA.

VII. Ecclesiam præterea, quam Beatrix in præfato suo diplomate dicit se jam fabricasse, consecraverat Episcopus Gebennensis anno 1290, festo sanctorum Innocentium die: ad quam translatum fuit e cœnobio de Six, et in ea sepultum cadaver Joannis delphini ejus filii, qui sine liberis anno præsenti obierat die Septembris 24. Porro præfatum fundationis diploma etsi datum a fundatrice ante annum 1292 dixerimus, eodem tamen anno ab ipsa tantum confirmatum, et ejus sigillo munitum fuisse legimus in Charta Cap. gen. ejusdem anni his verbis : « Oretur pro illustri domina Delphina (Beatrice) quæ Domum Melani Monialium Ordinis nostri ædificavit, et literas confirmavit, sigillavit, et sigillari fecit; et pro domino Delphino (Humberto) et pro domina Delphina (Anna) uxore ejus et liberis eorum ; et pro Comite Sabaudiæ et uxore ejus et liberis eorum, et pro pace omnium. » Et iterum per Chartam anni sequentis preces decernuntur per totum Ordinem « pro domino Delphino, et utraque Delphina et liberis eorumdem, et pro omnium pace. »

Ex ch. 1293.

Fundatricis cum Humberto genero discordiæ.

Orant Nostri pro pace eorum, nam inter Beatricem et Humbertum illius generum magna et diutina interfuerat discordia super Beatricis dote. Et notandum quod ab anno præsenti quo Joannes delphinus Beatricis filius obiit, usque ad annum 1292 quo de pace inter ipsos agi cœpit, in Chartis nostris quando Patres Ordinis pro eisdem Principibus orationes edicebant, Humbertus sub nomine solummodo Domini de Turre designabatur. Sic enim habent Capitulares Chartæ : « Oretur pro domina Delphina (Beatrice) et filia sua (Anna) et pro Domino de Turre (Humberto). » Anno vero 1285, nominata Beatrice delphina, additur : « et pro domino Gastone viro suo. » Nam Beatrix nostra ad secundas convolarat nuptias cum Gastone Bearriensi vicecomite, unde et major dissentio inter socrum et generum. Sed de his lector autores consulat.

Anno 1287 petiit ipsa Beatrix et obtinuit a Capitulo generali Fraternitatem Ordinis, quem summa colebat observantia, et maxime Majorem Cartusiam cui multa beneficia contulit.

Anno quoque 1301, datis feria secunda post Assumptionem literis, primæ Melani fundationis Monialibus alias decem addidit, quas antea fundaverat in loco *le Rosay* vocato, a Melano uno tantum milliari distante, sub habitu et instituto Cluniacensium, sed sub quibusdam conditionibus; quas cum animadverteret non observari, Moniales earumque bona et reditus ad Melanensem cartusiam transtulit. Anno denique 1310, duodecimo ut habet liber Anniversariorum Domus, sive undecimo Calendas Maii ut legitur in ejusdem anni Charta, moritur et in ecclesia a se ædificata sepelitur prope filium, habuitque monachatum per totum Ordinem.

ANNUS 1282

Moritur Beatrix.

VIII. Anna fundatricis filia, Humberti de Turre uxor, anno 1289 huic Domui dedit centum solidos annuales pro salute fratris sui Joannis. Eadem quoque Anna et maritus ejus, anno 1291 dederunt decem libras annui reditus.

MELANI BENEFACTORES.

Ex aliis benefactoribus sequentes in nostris Chartis reperiuntur : Nobilis vir Joannes de Bona[a] et nobilis Guigona ejus uxor, religiosæ sororis Beatricis Melani progenitores.

Catharina[b] Grangin vel Grangerii.

Domina Maria[c] uxor domini Joannis de Gebennis domini Lullini, magna benefactrix. Joannes Michallet du Pas singularis benefactor, obiit 21 Septemb. anni 1634 et signatur in Charta anni sequentis cum Anniversario per totum Ordinem.

Egregius vir dominus Claudius[d] nobilis benefactor.

[a] Ex ch. 1449.

[b] Ex ch. 1463.

[c] Ex ch. 1477.

[d] Ex ch. 1654.

IX. In Comitiis præsentis anni preces indicuntur « pro Regina Franciæ et liberis ejus, et Episcopo Lingonensi, et pro Domina Delphina et liberis ejus, et pro Domina de Luriaco*, et pro omnibus aliis qui se orationibus nostris recommendaverunt; et pro his omnibus dicatur in qualibet Domo Ordinis una Missa de Spiritu Sancto. »

COMMENDATI PER CHARTAM CAPITULI GENERALIS.

* *Luyrieux in Sebusia.*

« Item domino Thomæ de Sabaudia conceditur Fraternitas Ordinis. » Hic erat filius Thomæ comitis Mauritaniæ et Flandriæ de quo diximus anno 1248, et de matre ejus anno 1278. Ille vero paulo post celebratum Capitulum obiit, die videlicet 15 Maii.

ANNUS 1282

Ordinationes hujus anni.

Ordinationes vero hujus anni tales sunt: 1. « Quicumque faciunt professionem in Ordine, eam faciant in scriptis et coram altari.

2. « Item, Priores dare possint Vicariis potestatem in absentia sua absolvendi de quolibet peccato; tamen de mortali iterum teneantur confiteri Priori.

3. « Personæ laicæ non morentur amodo in superiori Domo, nisi de intelligentia Capituli generalis. » Subaudiendum tempore Capituli generalis.

Festum S. Silæ instituitur.

4. « Quando festum S. Silæ apostoli erit in vigilia S. Andreæ, dicatur bis oratio *Quæsumus* continue. » In veteribus Calendariis Majoris Cartusiæ, Repausatorii et Portus B. Mariæ, festum S. Silæ notatur quarto Calendas Decembris, id est in vigilia S. Andreæ; et ita celebratum fuit usque ad annum circiter 1580. Tunc enim ejus commemoratio cœpit fieri 3 Idus Julii.

Item S. Magdalenæ.

5. « Festum B. Mariæ Magdalenæ fiat *cum candelis,* et dicatur in primis Vesperis antiphona super psalmos *Maria ergo,* et secundum Responsorium, et propria Oratio, scilicet *Largire.* »

Anno vero 1285 declaratur « quod in Festo B. M. Magdalenæ non dicitur *Credo* ». Tempore R. P. Guigonis Prioris Cartusiæ quinti, festum hoc sub trium lectionum ritu celebrabatur.

6. « Habeant omnes Ordinis Domus Constitutiones sicut habentur in Cartusia, infra duos annos, sub pœna viginti solidorum Capitulo generali reddendorum. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1283.

Martini PP. IV Ann. 3.	Ordin. Cartus. Ann. 200.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 7.

PHILIPPUS COMES SABAUD. CARTUSIAM PROTEGIT.

I. ANNO Christianæ salutis millesimo ducentesimo octogesimo tertio, Indictione undecima, Philippus comes Sabaudiæ suam erga Nostros benevolentiam constanter exhibens, quædam pascua Majori Cartusiæ olim concessa confirmat, eamdemque Domum suo rursum tegit præsidio, suorum secutus antecessorum exemplum ut ipsemet sic testatur :

« Nos, inquit, Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Domum Cartusiæ ac Fratres Domus ejusdem, speciali gratia recommendatos habere volumus ; affectantes quantum in nobis est ipsos tranquilla quiete foveri, ut per hoc liberius, præstante Domino, suum sanctum propositum exequantur. Cum igitur nobis constet ad plenum quod Domus Cartusiæ habet ab antiquo pascua gregibus suis et armentis, etc., volentes et affectantes quod Domus Cartusiæ, seu Fratres et familiares ejusdem, memoratis pascuis et omnibus aliis bonis suis utantur libere, etc., Domum ipsam Cartusiæ, Fratres, res et bona eorum, etc., sub manutenentia et protectione nostra habere volumus, ipsosque manutenere et defendere promittimus justitia mediante, etc. Datum anno MCCLXXXIII, mense Augusti, die sabbati post Assumptionem B. Mariæ Virginis gloriosæ. »

HUMBERTUS DELPHIN. IDEM FACIT ERGA DOMUM PORTARUM

II. Humbertus vero delphinus quosdam suos subditos, spretis litteris tutelaribus quas anno superiori Nostris imper-

ANNUS 1283

tierat, Portarum monachis molestos esse eosque in judicium vocasse audiens, suo forensis rei primario Prætori (quem Ballivum vocamus) ad Nostrorum instantiam injunxit intentatas lites, juris solemnitate non servata, extra forum statim dirimere. Extant in Cartulario Portarum hujus mandati litteræ quarum apographum, quia nobis indicant quantum Patres ab omni litium disceptatione animum haberent alienum, hic proferimus :

« Humbertus delphinus Viennensis et Albonis comes, dominus de Turre et de Cologniaco, dilectis et fidelibus suis Ballivo et Judici suis præsentibus et futuris, salutem et dilectionem sinceram. Cum Religiosi Prior et Conventus Domus Portarum, Cartusiensis Ordinis, causas habeant in præsenti vel habituri sint in futurum aliquoties coram vobis ; inde est quod nos volens eorum parcere laboribus et expensis, vobis præcipiendo mandamus quatenus causas seu quæstiones eorum motas et movendas, juris solemnitate non servata, simpliciter et de plano et sine strepitu advocatorum, non ad assizias sed alio tempore, quantocyus poteritis fine debito terminetis. Nam nostra interest lites abbreviare quantum possumus, maxime religiosarum personarum quas publice utile est a strepitu causarum esse quietas, ut liberius orationi vacare valeant, et quietius in omnibus aliis gratum et debitum omnipotenti Domino pro se et aliis impendere famulatum. Et tantum super præmissis faciatis quod dictos Priorem et Conventum, ob defectum vestrum ad nos non oporteat habere recursum ; in cujus rei testimonium præsentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXIII, die Veneris in vigilia Natalis Domini. »

Quidam vir eruditissimus his litteris inter multa alia antiquitatis monumenta quæ nuper edidit locum tribuens, existimavit « hoc primum tempore Cartusienses ad fora secularia trahi cœpisse ; » sed jam ostendimus, anno videlicet 1141, tantum malum esse vetustius, nec tamdiu Nostris per vitilitigatores licuisse sacro solitudinis otio perfrui.

PETRUS COM. ALENCONII BENEF. ORDINIS.

III. Hoc anno defunctus est Petrus comes Alenconii filius

sancti Ludovici, maritus Joannæ comitissæ Blesensis secundæ fundatricis Domus Parisiensis, ut suo loco dicemus. Ipse vero condito suo testamento anno superiori, legavit « Capitulo generali Ordinis nostri centum solidos; Domui Vallis viridis quinquaginta, Domui vero Vallis Dei triginta pro pitantia, et decem libras pro eorum necessitatibus. »

ANNUS 1283

Inter probationes Cangii ad historiam S. Ludovici.

ANNALES

SECULUM TERTIUM

1284 — 1384.

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM TERTIUM

JESU CHRISTI ANNUS 1284.

Martini PP. IV Ann. 4.	Ordin. Cartus. Ann. 201.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 8.

VIRORUM EGREGIORUM DE ORDINE SENTENTIÆ.

I. APERITUR cum anno tertii decimi seculi octogesimo quarto, Indictione duodecima, tertium Ordinis Cartusiensis seculum ; quo eadem in eo apparet facies, idemque decor ac duobus prioribus seculis. Hinc est quod anno sequenti Summum Pontificem videbimus speciali gratia et favore Patres nostros prosequentem, quia « eos toto cordis affectu ad hoc sciebat semper intentos, ut per sanctæ conversationis et vitæ studium in conspectu Dei et hominum placerent ». Neque id mirum, cum teste Henrico de Segusia cardinali Ostiensi, paulo ante mortuo, ipsi « Cartusienses Fratres Religiosi, evangelica apostolicaque lege et dictis Sanctorum regerentur ». Unde Guillelmus Durantus præfati Henrici discipulus, quique hoc præsenti anno florebat in Galliis, Cartusiensium fidem apud judices volebat tanti valere, ut eorum testimonia in sua pro-

Henr. de Segus. in Prologo Summæ super titulis Decretalium.

ANNUS 1284

pria causa (ut jam in Vita S. Brunonis annotavimus) reciperentur. Utinam tantorum Patrum indigni filii virtutes imitemur. « Hi enim sunt, ut verbis pii nostri Dorlandi utamur, hi sunt, inquam, o Cartusiana pubes (si dignaris agnoscere), Patres tui verique Pastores. Hi propagatores sunt et propugnatores tui, a quibus tibi illuxit pietatis cultus, disciplinæ rigor, justitiæ norma, abstinentiæ decus, paupertatis possessio, frugalitatis insigne, pudicitiæ cœlibatus. Ab iis didicisti in humilitate gloriari, in charitate fervere, in penuriis cœli divitias computare ; et quidquid morum est, quidquid virtutis, pacis, pietatis diligenter amplecti. Quod omnia silentio premis, quod inanes mundi illecebras aspernaris, quod nil nisi divinum aut cogitas aut agis, habeto gratias ; a locupletibus his es Patribus assecuta. Hi te docuerunt Deum metuere, Deum diligere, et in Dei lumine obtutum mentis defigere ; quem Deum spem tibi facias, finem, gaudium, vitam, et præsidium salutare. Hos igitur libens amplectere, dilige, venerare, imitare ; hinc fiet ut horum patrocinio Justorum, vitam merearis æternam, per quos tantarum virtutum gloriam meruisti. »

Dorlandus in Prologo lib. 3. Chron.

Horum sanctæ conversationis bono odore attracti, Principes certatim eis beneficia conferebant. Philippus comes Sabaudiæ quem jam non semel de nostro Ordine bene meritum sensimus, hoc iterum anno Majorem Cartusiam immunem fecit ab omni vectigali ex eorum rebus per terram suam evehendis invehendisque. Litteræ hujus privilegii, datæ tantum anno sequenti, sunt hujusmodi tenoris :

« Philippus comes Sabaudiæ dilectis suis universis baillivis, castellanis, mistralibus et pedagiatoribus suis, salutem et dilectionem sinceram. Vobis mandamus quatenus religiosos viros Priorem et Fratres ac famulos Domus Cartusiæ, et eos qui portabunt vel ducent res eorum per terram nostram, transire quiete et libere sine pedagio et quacumque exactione alia permittatis, ipsos ab omni turbatione et molestia defendentes. Datum apud Montem Melianum cum appositione sigilli nostri, Dominica carnisprivii veteris, anno sumpto in Paschate MCCLXXXIIII. »

Designatur quidem præsens annus 1284, qui revera fuit annus 1285 juxta calculum nostri temporis.

ANNUS 1284

BERLIO DE BELLACOMBA BENEFACTOR CARTUSIÆ.

II. Berlio de Bellacomba, vir nobilis, unum hominem dedit Cartusiæ; cujus donationis Instrumentum in gratiam curiosi lectoris, ex veteri Cartulario ab annis trecentis sexaginta collecto erutum subjicimus.

« Anno MCCLXXXIIII, Indictione 12, die Mercurii ante festum B. Michaelis, coram testibus infrascriptis, ad instantiam et requisitionem mei Notarii infrascripti, petentis nomine et ad opus Cartusiæ et totius Ordinis dictæ Domus. Berlio de Bellacomba domicellus et Johannetus et Roletus dicti Berlionis filii, non decepti, non coacti, neque aliquo dolo inducti, sed scientes et spontanei, pro se et eorum hæredibus in perpetuum dederunt, donaverunt et concesserunt prædictæ Domui Cartusiæ, pura et irrevocabili donatione inter vivos, pro remedio ac succursu animarum suarum et omnium antecessorum et successorum suorum, videlicet Petrum *della Playnni* hominem suum ligum, ut ipsi asserebant; et quidquid juris, actionis, seu requisitionis habebant seu habere videbantur et poterant in dicto Petro et in persona ipsius, de jure vel de facto. De quo jure, actione seu requisitione sibi in dicto Petro et in persona ipsius competentibus, prædicti Berlio et filii ejus se devestierunt, et me Jacobum notarium infrascriptum nomine dictæ Domus Cartusiæ recipientem investiverunt, et in vacuam possessionem induxerunt vel quasi ; prædictum jus et actionem nomine prædictæ Domus Cartusiæ, quousque per ipsam vel per quemlibet ejus nomine corporalis possessio fuerit apprehensa ; in quam intrandi licentiam sibi dederunt et concesserunt, propria autoritate sua cedendo, mandando, præstando ipsi Domui et omnibus Rectoribus dictæ Domus, etc., omnes actiones sibi competentes vel competituras in dicto Petro et in persona ipsius. Solventes atque quittantes prædicti Berlio et ejus filii prædictum Petrum in perpetuum de omni homagio, seu fidelitate qualibet, quo, qua, vel quibus dictus Petrus ipsi Berlioni suisque hæredibus tenebatur, seu teneri videbatur aliquo jure vel ali-

ANNUS 1284

qua ratione. Mandantes atque præcipientes prædicti Berlio et filii ejus eidem Petro per præsens Instrumentum, ut amodo ipsi Domui Cartusiæ et omnibus Rectoribus dictæ Domus de prædicto homagio seu fidelitate teneatur atque respondeat, sicut eidem Berlioni suisque liberis et hæredibus hactenus respondebat. Promittentes ipse Berlio et ejus filii antedicti, solemni stipulatione interposita, juramentoque super sancta Dei Evangelia præstito corporali mihi notario infrascripto, etc., contra prædictam donationem et investituram de cætero non venire, etc. Renunciantes exceptioni doli et mali, etc. Actum est hoc publice apud Buxiam ante domum Jacobi notarii, ubi interfuerunt testes, etc., Petrus Pueta, Johannes Orselli de Buxia, Andreas Guaballardi. Et ego Jacobus de Buxia, Sacri Palatii notarius, omnibus interfui et rogatus hanc chartam scripsi et tradidi, et tanquam persona publica signo vel signis meis propriis consignavi. » Ille homo Petrus della Playnni, cognominatus etiam Magnus, habitum Conversi postea in eadem Domo Cartusiæ induit; an vi hujus cessionis, dubitandum.

DECRETA HUJUS ANNI.

III. Hoc anno per Chartam capitularem declaratur :

1. Quod « Ordinem tenere, est feriis secunda et quarta esse contentum pane, vino et aqua; feria sexta, pane et aqua; sabbato vero, pane, vino et coquina; pitantia festis 12 lectionum; et feria quinta, sicut alii Monachi ex debito.

2. « Quamcito *Sanctus* in Missa incipitur, caputium induitur, et ad elevationem Corporis Christi extrahitur. Calix post lotionem a servitore reversatur.

3. « Quia sine causa declarata Priori Cartusiæ, Prior Domus N. et Procurator ejus et Conventus dictæ Domus expulerunt a se D. Jacobum : sit Prior in ecclesia extra sedem suam usque ad adventum Visitatorum, Procurator vero et Conventus taliter inde per Visitatores puniantur, quod de cætero talia non attentent ». Hunc Monachum non ab Ordine, sed *a se,* id est a Domo sua, ad quam (ut verisimile est) a Priore Cartusiæ missus fuerat, expulerat præfatus Conventus, causa non declarata; et ideo merito puniuntur.

4. « Quando in festo S. Trinitatis commemorationem fieri contigerit, fiat de officio paschali. » Festum S. Trinitatis cœpit tantum celebrari sub Jancelini regimine, sed tantum quoad Missam Conventualem quæ dicebatur de Sanctissima Trinitate : nam ad utrasque Vesperas, ad Laudes et ad Tertiam dicebatur oratio de Sancto Spiritu, quæ in Missa pro commemoratione post orationem S. Trinitatis dicebatur ; unde videtur colligendum quod cæteræ Horæ erant de octavis Pentecostes.

ANNUS 1284

Ex Compilatione ms. facta an. 1222, et ex Ant. Stat. p. 1. c. 19. n. 10.

5. « Statutum quod nullus Monachus nec Conversus custodiat denarios, approbatur. » Statutum hoc debuit fieri anno superiori, cujus Charta est.

6. « Statutum de non recipiendo Novitios de alia Religione sine licentia, etc., infirmatur. » Hoc Statutum debuerat etiam promulgari anno superiori. Est modo in usu ; nec ullus Religiosus in alio Ordine professus admitti potest sine licentia Capituli generalis vel Reverendi Patris.

JESU CHRISTI

ANNUS 1285.

Honorii PP. IV Ann. 1. | Ordin. Cartus. Ann. 202. | Bosonis Pr. Cart. Ann. 9.

HONORIUS IV GRATIAS LARGITUR ORDINI.

I. ANNUS Redemptoris octogesimus quintus supra millesimum ducentesimum oritur, Indictione tertia decima, quo Martinus Pontifex maximus circa mensis Martii finem moritur, in cujus locum successit Honorius IV electus quarto Nonas Aprilis, et paulo post Romæ initiatus. Is de Ordine Cartusiensi, cujus fama in dies crescebat, bene mereri quam primum satagens, in ipsis suæ inaugurationis exordiis ad eumdem litteras dedit quibus totum Ordinem a decimis solvendis eximit, pro acquisitis tam ante quam post generale Concilium possessionibus; similes bullas ab ejus antecessoribus datas suis locis vidimus.

Extant inter privil. nu. 27.

PHILIPPUS COMES SABAUD. MORITUR.

II. Hoc anno e vita sine liberis decessit Philippus comes Sabaudiæ; non mense Novembri ut scribit Guicheno, sed paulo ante. Nam Amedeus quondam comitis Flandriæ fratris ejus filius, quem ipse Philippus testamento suo hæredem Comitatus scripserat, jam Comes dicebatur mense Octobri quo privilegium immunitatis ab eodem Philippo circa ejusdem anni initium (ut anno præterito vidimus) soli Domui Cartusiæ concessum, non solum confirmavit sed ad totum Ordinem transtulit, ut ex illius tenore apparet:

Amedeus ejus successor toti Ordini benefacit.

« Amedeus, comes Sabaudiæ, dilectis suis universis et singulis baillivis et castellanis suis, et aliis suis fidelibus et subjectis.... Mandamus vobis quatenus omnes Priores et Religio-

sos Ordinis Cartusiæ quicumque sint, cum eorum rebus, bonis, familia et nunciis, euntes, morantes et redeuntes per terram nostram salvos et securos ab omnibus teneatis, taliter quod ipsis non contingat inferri injuriam vel offensam; quod si aliquo casu sive ausu temerario fieret illud, statim emendari viriliter faciatis. Valete. Datum anno MCCLXXXV, mense Octobris apud Yennam. » ANNUS 1285

Eisdem etiam anno, mense et loco alias dedit in gratiam Majoris Cartusiæ, his prorsus similes quas Thomas Sabaudiæ comes, illius avus, olim dederat.

III. Hoc præsenti anno fundatur Domus Parmensis, dicta cartusiæ sanctæ Mariæ Stolæ Dei, sive Scolæ Dei ut sæpius legimus tum in Chartis Capitularibus tum in libro Visitationum ante annos ducentos conscripto; et quidem melius, ut ex testamento fundatoris inferius exscribendo, in quo fit mentio bonorum cujusdam loci *de Scola* vocati. Hæc uno tantum milliari ab urbe Parma versus Regium distat, fuitque a Rolando Taberna, cive Parmensi et Spoletano episcopo, fundata et piis ejus dotata eleemosynis, ut ex ipsius testamenti codicillis ante tres annos confectis clarius innotescet : CARTUSIA ERIGITUR PROPE PARMAM. *Ex pecuniis Rolandi Epis. Spoletani.*

« Quoniam, sicut ait Scriptura, omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram quæ non revertuntur, et nihil est morte certius, licet incerta sit hora mortis : idcirco debet quilibet Christianus mortis timere laqueum, quem nemo potest evadere; et sic ante omnia de se et anima sua diligenter debet esse sollicitus, ac demum de bonis a Deo sibi collatis provida deliberatione disponere, ac si quolibet momento temporis a Deo vocatus, de vitæ præsentis ergastulo cominus necesse habeat ad indeficientem patriam transmigrare. Hac igitur consideratione ductus, ego Rolandus Dei gratia Spoletanus episcopus, mentis compos et corpore sanus, ne præoccupatus ab incerta illa hora mortis, qua vita functus, juxta divinæ dispositionis arbitrium universæ carnis viam ingrediar intestatus decedam; de bonis meis propriis a patre meo collatis, et per assiduam meam industriam acquisitis antequam cathedram pastoralem acciperem, sive quæ de fructibus pos- 2. Reg. 14. Testamentum ms. Rolandi Spoletan. episcopi.

ANNUS 1285

sessionum mearum hujusmodi empta sunt vel emi contigerit in futurum, hoc præsens nuncupativum condidi testamentum.

Jubet solvi creditoribus æs alienum suum.

« In primis volo, mando et ordino, quod si quid post mortem meam legitime apparuerit sive compertum fuerit me ab aliqua persona ecclesiastica vel seculari, collegio vel universitate, recepisse vel quomodolibet habuisse aut habere injuste, scienter vel per errorem ; illud totum reddatur personis illis quibus de jure restitui seu reddi debuerit per executores hujus testamenti mei infrascriptos, de dictis bonis meis propriis quæ nunc habeo et teneo, seu in futurum simili modo habebo ; et si illi non invenirentur, aut hæredes vel successores eorum quibus de jure reddi vel restitui posset, volo et mando quod per dictos executores meos seu istius testamenti mei, Christi pauperibus ac Religiosis aliis detur pro Deo et pro animabus illorum quorum illud fuisse constiterit ; aut convertatur in illa opera pietatis quæ inferius de bonis meis fieri ordinavi.

Suum principalem hæredem facit Hugolinum nepotem.

« Item volo, mando et ordino, quod Hugolinus nepos meus, filius quondam dominæ Hymeldæ sororis meæ ex utroque parente, habeat post mortem meam ducentas bubulcas terræ meæ de Senzanesio, Parmensis diœcesis. » His ducentis bubulcis terræ alia bona addit, quæ omnia eidem Hugolino sub tali concedit conditione : quod si moreretur sine liberis legitimis, aut si ejus liberi similiter morerentur sine liberis legitimis, cuncta hæc bona convertantur in infrascripta opera pietatis, scilicet ecclesiæ quam volo, inquit, ædificari de Ordine Cartusiensium, vel Christi pauperibus, ut inferius plenius continetur.

DE SUA SUORUMQUE SEPULTURA DECERNIT.

IV. « Item volo, mando et ordino quod supra sepulchrum meorum antecessorum, quod est immediate ante valvas ecclesiæ S. Sepulchri de Parma, sub volta seu testudine quæ est ibi ante valvas, in quo sepulti sunt pater meus et mater mea et quidam alii antecessores et consanguinei mei, fiat una capella, ita quod altare ipsius capellæ fiat quam magis directe fieri poterit supra ipsum sepulchrum. Et volo,

ANNUS 1285

mando et ordino quod in eadem capella, per unum de Canonicis seu Fratribus S. Feliculæ, Parmensis diœcesis, presbyterum seu qui stet in ecclesia Sancti Sepulchri prædicta propter hoc tantum, et qui sit ultra numerum illum qui residet seu residere consuevit, celebretur omni die (exceptis solis festivitatibus Dei et Domini nostri Jesu Christi, scilicet Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes; et festivitatibus Assumptionis et Purificationis Beatæ Mariæ, et tribus diebus proximis ante festum Resurrectionis Dominicæ) Missam cum Officiis mortuorum pro anima mea et pro animabus patris mei et matris meæ et aliorum antecessorum meorum et consanguineorum et qui succedent, quorum corpora ibi aut alibi requiescunt et requiescent; et quod in aliis Horis sive Officiis divinis, diurnis et nocturnis, intersit cum aliis Fratribus seu clericis in dicta ecclesia S. Sepulchri dictus Canonicus seu frater, qui etiam in eadem ecclesia S. Sepulchri continuam residentiam facere teneatur.

Officium perpetuum fundat in ecclesia S. Sepulchri.

« Et volo, ordino et mando quod dicta ecclesia Sancti Sepulchri, propter hoc et quandiu hujusmodi Officium mortuorum ibi fiet omni die in dicta capella (ut dictum est), habeat, teneat et possideat in perpetuum quinquaginta bubulcas dictæ terræ meæ in possessionibus meis de Senzanesio. . . . Item quod dicta capella habeat de aliis bonis meis calicem unum argenteum unius marcæ ad minus, deauratum totum, et tovaleas pro altari sufficientes, et librum unum ubi sit saltem totum Officium mortuorum, et paramenta presbiteralia competentia ad istud mysterium. . . . . »

V. « Item volo, mando, et ordino quod Manfredus clericus, filius dominæ Briseidæ consanguineæ meæ, habeat ad usum suum libros meos Juris canonici et civilis, post mortem meam, ut in eis jura civilia audire valeat et proficere in eisdem, et quod eosdem libros teneat et custodiat, et utatur et fruatur eisdem per XII annos integros postquam eos habuerit; adimpletis vero duodecim annis, si aliquis filiorum Ugolini prædicti nepotis mei fuerit habilis ad studium, et addiscere et studere voluerit in scientia Juris, habeat et teneat

CODICES SUOS LEGAT CUIDAM CONSANGUINEO.

ANNUS 1285

dictos libros meos utriusque Juris et in eis addiscat, excepto libro textus Decretorum quem mando dari domino Francisco de Soliario canonico Mutinensi, qui mihi jamdiu commodavit eumdem. Eos autem nullatenus vendere possit aut aliquo modo distrahere dictus Manfredus, nisi forte pro emendo meliores in eorum locum.

Statuit stipendia famulis.

« Item volo, mando, et ordino quod Laurentius nepos meus habeat de bonis meis post mortem meam, quia mihi diu servivit, septuaginta libras imperialium de Parma. Ugolinus vero frater ejus carnalis, habeat de dictis bonis meis port mortem meam centum libras Parmenses.

« Item volo, mando, et ordino quod omnes illi qui erunt mecum in familia tempore mortis meæ, habeant singuli de bonis meis mobilibus pro quolibet anno quo mecum steterint, quadraginta solidos imperialium : illi scilicet qui mecum consueverunt equitare et in equis mecum venire, sive fuerint clerici sive laici. Alii vero familiares mei de stabulo qui tempore mortis meæ mecum erunt, habeat quilibet eorum de bonis meis mobilibus, pro quolibet anno quo mihi serviverint, ultra salarium suum, quadraginta solidos Parmenses parvorum.

Consanguineis mulieribus dotem.

« Item volo, mando et ordino quod omnes mulieres de genere meo paterno vel materno, quæ vel quarum patres vel matres mihi in tertio gradu (vel infra) consanguinitatis attinent, quæ sint virgines vel puellæ vel maritandæ tempore mortis meæ, et quæ tunc virum non habuerint : habeant de bonis meis quælibet earum in auxilium dotis duodecim libras imperialium. Excepta Alexandrina sorore dicti Manfredi, cui lego viginti quinque libras imperialium in suæ dotis auxilium.

Scyphum legat Gerardo episcopo Sabinensi.

« Item volo, mando et ordino quod R. Pater dominus Gerardus episcopus Sabinensis, quem relinquo executorem testamenti mei ut inferius continetur, et rogo ut executionem ipsam dignetur recipere intuitu pietatis, habeat unum de scyphis meis argenteis quos habebo tempore mortis meæ, pulchriorem et meliorem, et annulum meum aureum cum saphyro cum quo extiti in Episcopum consecratus.

ANNUS 1285

ÆS ALIENUM PATERNUM SUIS PECUNIIS EXPEDIRI VULT.

VI. « Item volo, mando et ordino quod si qua debita contraxisset pater meus, quæ non essent persoluta tempore mortis meæ, vel de quibus non esset creditoribus satisfactum, et de quibus probationes producantur per publica instrumenta legitima et omni suspicione carentia, de bonis meis post mortem meam integre persolvantur.

Episcopalem supellectilem eidem legat.

« Item volo, mando, et ordino quod si tempore mortis meæ ego fuero episcopus Spoletanus.... casulam meam virgatam de panno sericeo Murciæ, et pluviale ejusdem coloris et tunicellam et dalmaticas rubeas virgatas de panno Veneto, et calicem meum deauratum intus et foris, quem feci fieri Spoleti, quem emi de dicta pecunia mea, habeat ecclesia Spoletana et episcopatus et successores mei in perpetuum pro anima mea; propter quod subducantur, in dicta computatione seu restitutione, sexaginta floreni auri quos prædicta casula, pluviale, dalmatica et tunicella mihi constiterunt. Item in eadem computatione seu satisfactione subducantur casula, et pluviale meum de exameto rubeo cum frigeis aureis, et tunicella et dalmatica de panno Mursiæ virgato, quas emi similiter de dicta pecunia mea propria quæ constiterunt mihi septuaginta florenos auri, cum de illis velim aliter pro arbitrio meo ordinare. Item subducantur alba seu camisium meum subtile cum pretiosis gramatis positis ad pedes dicti camisii, quod æstimetur cum dictis gramatis quantum valuerit. Quod camisium cum gramatis relinquo et lego ecclesiæ et episcopatui Spoletano pro anima mea; et successores mei utantur eo in perpetuum post mortem meam in Missarum solemniis. Item subducantur in eadem computatione decem et octo libræ turonenses pro quibus emi duo Evangelia argentea pro capella de quibus intendo aliter ordinare.

FUNDANDÆ CARTUSIÆ RATIONEM PRÆFINIT.

VII. « Item volo, mando et ordino quod, nisi dum vixero faciam ea quæ sequuntur, post mortem meam Prior et Conventus seu Fratres Ordinis Cartusiensis, illi videlicet qui morantur in loco ubi est caput prædicti Ordinis Cartusiensis, infra dimidium annum a die mortis meæ computandum requirantur et cum effectu inducantur in quantum fieri poterit,

bono modo expensas ad hoc faciendo de bonis meis; quod veniant vel mittant Priorem unum et Fratres usque duodecim in universo, vel pauciores si tot non possent de bonis infrascriptis sustentari, ad civitatem Parmæ et ejus districtum, recepturi et perpetuo habituri tot et tantas de possessionibus meis, scilicet domibus quas habeo in civitate Parmæ, terris et vineis de Roboreto seu de Scola et de Senzanesio, Parmensis diœcesis; quod inibi perpetuo moraturi et dictum Ordinem servaturi, possint cum familia eis necessaria perpetuis temporibus juxta ritum Ordinis sui et eorum constitutiones commode sustentari et ibidem Domino famulari. Et quod si ad hoc venerint, faciant sibi et facere possint et teneantur, in aliqua parte possessionum mearum de Roboreto sive de Scola ad hoc eis et eorum Ordini magis accommoda et apta (et hoc ego magis desidero), alioquin in aliqua parte possessionum mearum de Senzanesio, aliarum ab eis quæ legatæ fuerunt supra dicto Ugolino nepoti meo et ecclesiæ Sancti Sepulchri, ut supra dictum est, ecclesiam seu oratorium et claustrum cum officinis et cellis competentibus, non sumptuosis, in tantum quod ea quæ supra et infra in hoc testamento dicuntur et ordinantur de bonis meis, propter nimios sumptus impediri non possint, sed valeant adimpleri; et quod ad opus ecclesiæ hujusmodi fiant et emantur libri et calices et alia ornamenta competentia et necessaria ad cultum divinum de bonis meis prædictis, cum moderatione prædicta.

Instituit Missam quotidianam.

« Item mando, volo et ordino quod in dicta ecclesia per Fratres dicti Ordinis quotidie fiat die noctuque divinum Officium juxta Ordinem suum; ita tamen quod per aliquem ex dictis Fratribus omni die celebretur una Missa cum Officio defunctorum perpetuis temporibus pro anima mea, et pro animabus patris mei et matris meæ, et consanguineorum meorum et benefactorum meorum omnium et omnium fidelium defunctorum; et una alia Missa de gloriosa virgine Maria, in qua fiat commemoratio de beato Joanne Evangelista, et de sancto Blasio martyre et de sancto Leonardo confessore

ANNUS 1285

« Item volo, mando et ordino quod dicti Prior et Fratres in conventu et cum nota in ipsa ecclesia faciant et facere teneantur Anniversarium meum, hoc est totum Officium mortuorum cum novem lectionibus, et Missam solemniter celebrare quolibet anno in die depositionis seu mortis meæ, et dare seu dari facere pro anima mea eleemosynam dicta die pauperibus undecumque venientibus....

Suum Anniversarium perpetuum.

VIII. « Et ad prædictam ecclesiam et supradicta alia facienda, solutis primo omnibus legatis aliis quæ scripta sunt superius, lego omnia vasa mea argentea et relinquo quæ habebo tempore mortis meæ, et aliam omnem pecuniam quam ante tempus mortis meæ non distraxero aut in alios usus convertero, et omnes equos meos proprios quos tunc habuero, salvo quod lectum meum totum quem habebo tempore mortis meæ habeat hospitale S. Sepulchri Parmensis, in usus pauperum quamdiu duraverit convertendum. Et vestes omnes meæ de dorso meo distribuantur inter pauperes sacerdotes et clericos illius civitatis cujus ero Episcopus tempore mortis meæ, et si nullius civitatis tunc essem Episcopus, hujusmodi vestes meæ distribuantur inter pauperes sacerdotes seu clericos civitatis Parmensis prout meis executoribus videbitur expedire. Salvo etiam quod unum de dictis equis meis meliorem habeat dominus Ugolinus nepos meus, non obstante aliqua contraria clausula posita supra.

QUID PRO DOTE.

« Volo etiam et mando quod omnia alia supellectilia mea propria, quæ habebo tempore mortis meæ, sint prædictorum Fratrum dicti Ordinis Cartusiensis; seu quod vendantur et distrahantur, et pretium convertatur in dicta ecclesia perficienda et aliis operibus supradictis. Si vero dicti Prior et Conventus seu Fratres Ordinis Cartusiensis requisiti quod veniant aut mittant Priorem unum et Fratres, ut dictum est supra, ad civitatem et districtum Parmæ recepturi et habituri dictas possessiones meas, et ibidem perpetuo moraturi ac servaturi dictum Ordinem, et ecclesiam facturi cum claustro et officinis, ut plenius narratum est supra, non venerint; et quantum in eis fuerit, non incœperint infra annum a die

ANNUS 1285

mortis meæ computandum, seu infra dimidium annum a die requisitionis hujusmodi factæ de ipsis, sed venire aut mittere et prædicta incipere et continuando facere et adimplere recusaverint seu neglexerint aut noluerint : prædictæ possessiones, terræ et vineæ et omnia alia bona mea, quæ juxta ordinationem prædictam debebant devolvi ad eos, vendantur quam melius vendi poterunt per executores meos seu de illorum mandato; et totum pretium rerum ipsarum tam mobilium quam immobilium distribuantur per pauperes Christi undecumque sint, prout executoribus hujus mei testamenti secundum Deum et bonam conscientiam videbitur faciendum. In hoc enim casu Dominum Jesum Christum et ejus pauperes in hujusmodi bonis meis hæredes meos instituo : salvo quod non obstantibus aliquibus verbis contrariis supra dictis, Ugolinus nepos meus, filius dominæ Hymeldæ sororis meæ ex utroque parente, habeat de bonis meis post mortem meam centum libras imperalium de Parma; sive dicta bona veniant ad dictos Fratres Ordinis Cartusiensis, sive pervenire debeant ad pauperes Christi ut dictum est supra.

ALIA LEGATA.

IX. « Item similiter volo, mando et ordino quod Rolandus de Bersillo medicus, civis Parmensis, habeat de bonis meis post mortem meam quindecim libras imperalium de Parma; sive dicta bona perveniant ad dictos Fratres seu ad pauperes Christi.

« Item volo et mando quod si contingat me mori dum fuero episcopus Spoletanus alibi quam Spoleti et alibi sepeliri, nihilominus per executores meos dentur quinquaginta libræ Certonenses insimul vel divisim, prout eis videbitur, distribuendæ : viginti quinque de illis inter Capitulum et Præbendarios alios ecclesiæ Spoletanæ, et viginti quinque aliæ inter Religiosos et Clericos alios dictæ civitatis et suburbiorum; et ipsi teneantur Missam solemniter celebrare pro anima mea quolibet anno in die mortis meæ usque ad tres annos.

Executores nominat.

« In prædictis autem omnibus et singulis exequendis, Rev. Patrem dominum Gerardum episcopum Sabinensem prædictum, præfatum Ugolinum filium dictæ sororis meæ ex

utroque parente, prædictum magistrum Rolandum medicum, facio, ordino et constituo executores meos et hujus testamenti mei. Sed quia dictus D. D. Gerardus præfatus exequendis forte personaliter interesse non posset nec deberet propter sui officii dignitatem, prædicti Ugolinus et magister Rolandus medicus ambo simul vel unus eorum, si alter eorum intendere non posset vel nollet, de consilio et consensu expresso dicti domini Gerardi exequi valeat omnia et singula suprascripta. ANNUS 1285

« Hoc autem meum testamentum seu meam ultimam voluntatem volo et mando valere jure testamenti. Et si non potest de Jure valere jure testamenti, volo quod valeat jure codicilli seu codicillorum seu cujuslibet alterius ultimæ voluntatis, et sicut valere melius plenius et efficacius de Jure potest.

« Actum apud Urbem Veterem in hospitio in quo moratur dictus dominus Episcopus Spoletanus, præsentibus magistro Rolando de Suppis clerico ecclesiæ S. Nicolai Parmensis, Antonio de Nivianis præbendario ecclesiæ Spoletanæ, Ægidio de Brancaleonibus notario de Parma, Simone de Riolo senescalco dicti Episcopi Spoletani clerico, Guillelmo de Pavarano et aliis familiaribus ipsius domini Episcopi Spoletani, testibus ad hoc vocatis et rogatis; anno Nativitatis Christi MCCLXXXII, Indictione decima, die sabbati, XXI mensis Februarii, Pontificatus Domini Martini Papæ quarti anno primo.

« Et ego Joan. quondam Odonis Blanchi, civis Parmensis, Apostolica autoritate notarius, una cum prædictis testibus præsens interfui, ubi præsens testamentum extitit per ipsum dominum Episcopum publicatum; et inde rogatus ab ipso domino Episcopo Spoletano in publicam formam redegi, meoque solito signo signavi. »

Etsi præscriptum testamentum datum sit anno 1282, constat tamen hanc Domum initium hoc præsenti anno tantum habuisse. Quod testatum nobis reliquit Meleagrus Pentimalli in Domorum nostri Ordinis Catalogo quem ad Vitam S. Bru-

ANNUS 1285

nonis italice scriptam adjecit, diem 17 Septembris insuper assignans.

ELOGIUM FUNDATORIS.

Tom. I. Italiæ sac. in Episc. Spolet.

Studuit Parisiis.

X. In dipticis Domus, annus idem ponitur quo etiam obiit magnificus fundator, die 4 Aprilis. Hunc Ughellus dicit parentem habuisse pauperrimum nomine Taberna, sordido resarcinatoris ministerio victitantem; additque Rolandum concessisse Parisios ubi cum magnanimum quemdam nactus esset, qui pauperes sed studiosos juvenes juvare solebat, adeo alienis adjutus facultatibus in nobilioribus disciplinis profecit, ut per ea tempora haberetur doctissimus. Sed in citatis Domus dipticis civis nobilis Parmensis dicitur, quod quidem verisimilius est. Nam si tam humili atque paupere patre natus fuisset, ut vult Ughellus, quomodo « de bonis suis propriis tam a patre suo collatis quam per suam industriam acquisitis », ut in suo testamento profitetur, tot legata fecisset? Ut ut sit, cum clericalem vitam Parisiis professus fuisset, Romam petiit, ibique plures instituens, ita ad illustrem famam pervenit ut Nicolaus III Summus Pontifex illum ad Spoletanam sedem subvexerit, inque gravissimis trepidisque negotiis ejus industria fuerit usus.

Fit Episcopus Spoletanus.

Inquirit de vita S. Ludovici Regis.

Martinus IV eum in Gallias legavit ut de vita sancti Ludovici regis inquireret; in quo munere suam Regi probitatem adeo probavit, ut ab eo non temnendum sacerdotium obtinuerit, cujus tamen non iniit possessionem, cavente vetanteque Pontifice ne primam suam Sponsam desolatam relinqueret. Reversus in Italiam, Parmæ (hoc est in patria sua) defunctus est. Postea in hac Domo et in Cartusiensi habitu cultuque voluit sepeliri; eumdem etiam Ordinem Institutumque promittens se professurum, si eo morbo discusso diutius vivere contigisset. Ex eadem forsan familia qua natus erat Rolandus, videntur etiam postea originem duxisse Stephanus Taberna episcopus Parmensis electus anno 1497, Ferdinandus a Clemente VIII anno 1604 creatus cardinalis, et Franciscus qui obiit anno 1607 episcopus Laudensis.

Parmæ moritur in veste Cartusien.

BENEFACTORES DOM. PARMÆ.

XI. Sequentes benefactores reperiuntur in nostris Chartis et primum in Charta anni 1320 sic legimus: « Orabitur pro

domino Bartholomæo de Parma qui multa bona fecit Domui Parmæ »; et in Charta anni 1332 : « Conceditur Priori et Conventui Domus Scolæ Dei prope Parmam quod dominus Jacobus de Fosio nuper defunctus, in dicta Domo habeat monachatum; qui dictus dominus Jacobus dictæ Domus magnificus extitit benefactor, et per totum Ordinem ei fraternitas impertitur. De sepelienda autem muliere non auditur. » ANNUS 1285

Domina Gratia Clavia magna benefactrix obiit, ex Charta 1482; et Dom. Alexander de Aliotis benefactor, ex Charta 1610.

XII. In præsentis anni Charta denunciatur obitus Archiepiscopi Tarentasiensis his verbis : « Dominus P. quondam archiepiscopus Tarentasiensis habet plenum monachatum per totum Ordinem cum psalteriis. Obiit in festo B. Mariæ Magdalenæ. » Hujus Præsulis non meminerunt Sammarthani. QUID SANCITUM IN COMITIIS ORDINIS.

Inter ordinationes tres tantum reperiuntur quæ locum hic mereantur.

1. « A Quinquagesima usque ad Pascha pro nullo festo frangatur jejunium.

2. « Statutum de carceribus habendis per Ordinem approbatur. » Si semper discolos expellere nobis licuisset, carceres nunquam fuissent necessarii.

3. « Item volumus et ordinamus quod usque ad Capitulum futurum dicatur in Conventu per totum Ordinem immediate post Matutinas, super formas, singulis diebus, psalmus *Lætatus sum, Kyrie, Christe, Kyrie. Pater noster..., Et ne nos, etc. Salvos fac servos tuos Deus meus sperantes in te. Domine exaudi orationem meam, etc. Domine Deus virtutum, etc. Dominus vobiscum. Oremus : Largire quæsumus Domine fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant, per Dominum, etc.* Et Conversi ter *Pater noster* et ter *Ave Maria.* Et in Missis Conventualibus pro vivis dicatur oratio *Deus a quo,* et etiam in privatis, servato numero septenario. »

Hæ autem preces videntur indictæ ad pacem obtinendam inter Beatricem de Sabaudia Guigonis viduam, Domus Me-

ANNUS 1285

lani fundatricem, et Humbertum de Turre qui uxorem duxerat Annam prædictorum Beatricis et Hugonis filiam et Delphinatus propterea hæredem : unde grave inter eos bellum, quia Gasto Bearnensis alter Beatricis maritus jus sibi in Delphinatum vindicabat; de quo tamen postea decessit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1286.

Honorii PP. IV Ann. 2. | Ordin. Cartus. Ann. 203. | Bosonis Pr. Cart. Ann. 10.

I. ANNO Christianæ salutis millesimo ducentesimo octogesimo sexto, Indictione quartadecima, Guillelmus episcopus Gratianopolitanus confirmat donationes olim a Joanne ejusdem Ecclesiæ episcopo Majori Cartusiæ factas. Datæ sunt confirmationis litteræ feria quinta ante Cathedram sancti Petri anno 1285, id est præsenti anno juxta calculum hodiernum.

GUILLEL. EPIS. GRATIANOPOL. CONFIRMAT QUAMDAM DONATIONEM.

II. Quidam etiam incola Goncelini hoc anno moriens, Cartusiæ Domui viginti solidos censuales, et totidem Abbatiæ Monialium de Hays Ordinis Cisterciensis pro suo anniversario in eisdem monasteriis singulis annis persolvendo legavit; quos Humbertus Ruffi ejus nepos, ut in litteris habetur super hoc confectis, assignavit apud Viviacum coram notario publico, scriptis tabulis sexto Calendas Augusti. Anno vero 1288 Boso Cartusiæ cum Lantellina abbatissa Ayarum (sic enim in charta legitur) hujusmodi reditus permutavit, interveniente præfati Guillelmi episcopi consensu ad preces et instantiam Prioris et Abbatissæ, quæ suum etiam sigillum eidem permutationis chartæ, præsente fratre Joanne Eroardi Converso Cartusiæ, apposuit.

QUIDAM SUUM ANNIVERSARIUM IN DOMO CARTUSIÆ INSTITUIT.

III. Hoc etiam anno, Carolus Siciliæ rex, erga cartusiæ Vernæ in Provincia monachos, a quodam potenti viro satis gravem injuriam passos, protectorem sese exhibuit. In eorum enim gratiam litteras ad Guillelmum Estandardi Provinciæ

CAROLUS SICILIÆ REX CARTUSIAM VERNÆ PROTEGIT.

ANNUS 1286

senescalcum dedit, præcipiens « ut Priorem et Conventum dictæ Domus in eorum libertatibus studeat conservare, non permittens ipsos ab aliquibus indebite molestari; molestatores hujusmodi coertione qua convenit compescendo, ac de damnis et expensis quas propter hoc dictos Priorem et Conventum fecisse constiterit, eis faciat plenam satisfactionem impendi. » Datæ sunt litteræ Viterbii, 15 Maii, anno regni illius secundo, qui revera ad præsentem annum spectat. Volunt quidam Scriptores præfatum Regem, quem Rex Arragoniæ vivente ejus patre in prælio victum captivum detinebat, libertate anno tantum 1289 donatum fuisse, quam tamen citius recuperasse ex dati diplomatis loco conjicitur. Sed rem penitius discutere non est nostri propositi.

Sammarth. l. 18. Histor. Genealog. Franciæ.

ORDINATIONES HUJUS ANNI.

IV. Hoc pariter anno Philippus Pulcher, novus Francorum rex ac Philippi Audacis anno superiori defuncti filius, totius Ordinis precibus commendatur. Deinde confirmatis per Capituli generalis Chartam ordinationibus anno præterito editis, promulgantur aliæ, inter quas præcipuæ sunt :

1. « Inhibetur Prioribus ne permittant per aliquos subditos custodiri pecuniam ad qualemcumque usum.

2. « Propter detrimenta Domorum quæ videmus, monentur Priores et aliæ Personæ Ordinis fugere et evitare carnales parentum affectiones, alioquin qui contra fecerit puniatur.

3. « Priores qui contra Statuta usque nunc receperunt in ecclesia et ad mensam non recipiendos, clament culpam suam et de cætero se emendent.

Convocationes prohibentur.

4. « Propter aliqua quæ nobis intimata sunt, reprehendimus convocationem hoc anno factam per aliquos Priores Franciæ; volentes et mandantes ne de cætero similes convocationes fiant in Ordine absque licentia Capituli generalis aut Prioris Cartusiæ. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1287.

Honorii PP IV Ann. 3. | Ordin. Cartus. Ann. 204. | Bosonis Pr. Cart. Ann. 11.

I. ANNUS sequitur a Virginis partu millesimus ducentesimus octogesimus septimus, Indictione quinta decima, quo Summus Pontifex Honorius, postquam sedisset duobus annis totidemque diebus, Romæ obiit in Cœna Domini, tertia videlicet Aprilis. Eo mortuo Sedes menses fere undecim vacavit.

HONORIUS III MORITUR.

II. Paulo ante Honorium, die scilicet 8 Februarii, obierat Pontius de Sablera quondam Sanctæ Crucis in Jaresio cartusiæ Prior, tunc vero Grassensis episcopus, cujus obitus in hujus anni Charta his verbis reperitur : « Sexto Idus Februarii obiit Pontius de Sableri episcopus Grassensis, qui habet plenum monachatum per totum Ordinem. » Hic nomine Ordinis possessionem dictæ Domus Sanctæ Crucis anno 1280 acceperat, factus ibidem primus Prior; fundatrici ita carus ut ipsa a Capitulo generali obtinuerit ne ille ante quinque annos posset a Prioratu avelli; sic autem habet Charta : « Ad preces domini Valentini Episcopi et Dominæ de Rossilione, conceditur ex gratia speciali quod D. Pontius Sableri citra quinquennium existens Prior S. Crucis non possit compelli, nec præfici in Priorem alterius Domus. Et per tres annos conceditur ei in socium D. Hismido, qui absque consensu dicti D. Pontii infra dictum triennium compelli non possit nec præfici in Priorem. Item semel in mense possit eum ducere vel mittere pro negotiis Domus suæ si viderit expedire. Item

ITEM PONTIUS DE SABLERA GRASSENSIS EPISCOPUS.

Olim primus cartusiæ S. Crucis Prior.

Ex ch. 1281.

ANNUS 1287

eximitur dicta Domus Sanctæ Crucis ab onere collectarum imponendarum, quacumque occasione Ordo levare præceperit, usque ad decennium. »

Eodem anno idem Pontius adfuit in Majori Cartusia, subscripsitque cuidam instrumento dato die Lunæ post festum Omnium Sanctorum. Adhuc præerat anno 1282, ut ex tabulario Domus constat. Unde corrigendus est *Indiculus Episcoporum Ordinis* ubi perperam dicitur electus Episcopus Grassensis anno 1280, licet quando ad hanc Sedem fuerit promotus necdum potuerim reperire. Neque enim ullam habent de illo mentionem Sammarthani; nisi forte sit ille Pontius quem anno 1265 dicunt sedisse, legendo 1265 pro 1285. Ut ut sit, eum in episcopatu constat decessisse, ut ex Charta citata probatur. Ejus etiam obitus ad eumdem diem in Domorum Luvigniaci et Glanderii calendariis invenitur. Parentes ejus Domus nostræ Parisiensis benefactores fuere, ut ex ejusdem Domus Calendario colligimus; in quo hæc habentur : « Officium privatum persolvitur die 14 Februarii pro parentibus D. Pontii de Sableriis. »

ECCLESIA LUGDUNENSIS PASTORE VIDUA.

III. In hujus anni Capituli generalis Charta, præcipiunt Patres ut « oretur pro pace Ecclesiæ Lugdunensis et pro Pastore bono eidem Ecclesiæ a Domino providendo ». Ex his patet Archiepiscopum tunc temporis fuisse mortuum, quod hactenus Scriptores ignorarunt. Et inferius : « Item pro pace istius terræ et totius Christianitatis, et pro Ecclesia Lugdunensi, et pro omnibus recommendatis orationibus nostris, dicat quilibet sacerdos Missam unam de Spiritu Sancto; non sacerdotes L psalmos, et quilibet Conversus centum *Pater noster*.

Post hæc habentur sequentes Ordinationes:

Officium pro Marnansibus rescinditur.

1. « Ad Officium de Marnans de cætero non tenemur, nisi forte ad gradum pristinum redirent. » In prima Statutorum Antiquorum parte mentio fit Officii defunctorum in commemoratione Chalesii et Marnanti. « Officium de Marnant facimus circa festum B. Bartholomæi.... pro quibus Officium, Missam et Agendam solvimus in conventu; et Missa est

Ant. Stat. p. 1. c. 48. num. 36.

hebdomadarii. » Sed in Guillelmi Raynaldi Statutis præfata hujus anni ordinatio eisdem inseritur verbis, quibus eximimur ab hujusmodi officio usquedum ad antiquum statum reverterentur. De associatione de Marnant diximus annis superioribus.

ANNUS 1287

2. « Hortamur et volumus quod Priores quorum Conventus propter paupertatem sunt divisi, nullos Novitios interim recipiant absque licentia Prioris Cartusiæ vel Capituli generalis.

3. « Item monemus et volumus ut Visitatores diligenter vigilent et intendant, ne mittant hospites in Domibus ubi sciverint tres hospites affuisse.

4. « Item volumus quod quilibet Prior Ordinis afferat XX francos ad Capitulum generale usque ad quinque annos, ad Domos novas relevandas. »

Subsidium pro novis Domibus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1288.

Nicolai PP. IV	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 205.	Ann. 12.

NICOLAUS IV PAPA ELIGITUR.

I. ANNO Christi millesimo ducentesimo octogesimo octavo, Indictione prima, F. Hieronymus cardinalis Prænestinus Ordinis Minorum, Summus Pontifex sub nomine Nicolai IV mense Februario creatus est.

CONTROVERSIA INTER BELLICENSEM EPISCOP. ET CARTUSIAM.

II. Hoc præsenti anno natam inter Bellicensem Episcopum et Domum Cartusiæ controversiam super quarumdam decimarum perceptione, Boso de Bosellis præfatæ Ecclesiæ decanus, Frater Guillelmus de Bellento Cartusiæ Redditus, et Petrus Bonardi Viennensis archidiaconus ab utraque parte nominati arbitri, amice composuerunt his præcipuis conditionibus, videlicet « quod dictus Episcopus approbet, ratificet et confirmet privilegium Honorii Papæ toti Ordini concessum de decimis non solvendis; Domus vero Cartusiæ pro bono pacis solvat Episcopo quemdam reditum annuum. Præterea prædictus dominus Episcopus ad majoris roboris firmitatem et observantiam prædictorum omnium, se suosque successores submittit jurisdictioni R. Patris domini Episcopi Gratianopolitani qui nunc est, vel qui pro tempore fuerit, conservatoris privilegiorum Prioris et Conventus Cartusiæ; concedens dictus dominus Episcopus nominibus quibus supra, quod si ipse vel successores sui contra prædicta attentarent aliquid, dictus Episcopus Gratianopolit. conservator dictorum privilegiorum, venientem contra possit, unica monitione præmissa,

Episcopus Gratianopol. conservator privilegiorum

alia quælibet juris solemnitate omissa, interdicere; et crescente contumacia excommunicare et ulterius procedere prout sibi videbitur expedire, ut dicta ordinatio seu compositio firmiter observetur, etc. Quæ omnia approbaverunt, laudaverunt et ratificaverunt Capitulum majoris ecclesiæ Bellicensis, videlicet Guillermus de S. Mauritio Prior ecclesiæ Bellicensis, Humbertus de Comno archidiaconus dicti loci, Anselmus de Sancto Georio camerarius, Guigo de Langes sacrista, Boso Prior claustralis, Hugo infirmarius, Boso de Bosellis decanus, Berlio de Martello correarius, Petrus de Cordone, Petrus de Chanelluto, Chabertus de Gramont, Joannes de Benuntio canonici Bellicenses; præsentibus Aymone incurato S. Laurentii, Bosone incurato de Contreno, Guillermo de Vollino presbytero, Petro de Saysiaco vicario Bellicensi, Bernardo officiali Bellicensi, Amedeo Bolfati domicello, Emidone de Bocosello, Jacobo Priore de Durbone Ordinis Cartusiæ et fratre Joanne Heroardi Converso Cartusiæ. Actum coram Joanne Vachi de Sancto Genesio, Imperialis Aulæ notario, anno MCCLXXXVIII, Indictione prima, die sabbati ante festum Decollationis sancti Joannis Baptistæ et die sabbati post festum B. Michaelis. »

ANNUS 1288

GUILLELMUS EPISC. CAMERAC. DOMUM INCHOAT PROPE CAMERACUM.

III. Hoc etiam anno Guillelmus de Avesnis filius Comitis Hanoniæ, episcopus Cameracensis, obtulit Patribus nostris locum quemdam juxta Scaldim situm in sua civitate, pro unius Domus Cartusiensis Ordinis constructione, centumque annui reditus libras pro ejus dotatione. Petrus Duncartus Vallis sancti Petri monachus hanc Ordinis nomine oblationem accepit. At Nostri cum locum experti fuissent nimis incommodum, quinquennio post, anno scilicet 1293, alium S. Paulo dicatum a Religiosis S. Francisci intra eamdem urbem sibi oblatum incoluerunt; dumque ibi demorantur, pius fundator, qui locum solitudini aptiorem ipsis promiserat, Hierosolymitanum iter aggreditur, implorato prius precum Ordinis auxilio quod per Chartam anni 1295 his verbis obtinuit: « Orabitur pro domino Episcopo Cameracensi, et fratre suo et cæteris recommendatis. »

Deinde intra ipsam urbem.

ANNUS 1288
JOAN. COMES HANNONIÆ LOCUM DE MACOURT DAT PROPE VALENCENNAS.
* *Al.* de Macourt.

IV. Eo vero in ipsa peregrinatione anno sequenti defuncto, ad sua Nostri procul dubio remeassent, ni Joannes Hanoniæ comes, Episcopi frater, locum alium *de Marcourt** dictum, prope Valencenarum suburbia in Cameracensi diœcesi, eis concessisset; ad quem se transtulerunt anno 1297, ipsos deducente præfato Petro Duncarto tunc Priore. Ibi ad annum usque 1566 perstiterunt, quo grassante perfidorum Hæreticorum sævitia, hæc cartusia non direpta tantum, sed, ut eodem anno dicturi sumus, eversa penitus soloque æquata fuit.

Moritur.

Porro Joannes Hannoniæ comes præter locum de Macourt multa alia contulit beneficia, unde post ejus mortem tricenarium Patres nostri ipsi concesserunt sicut in Charta anni 1305 legitur : « Conceditur domino Comiti Hannoniæ et filio ejus tricenarium per totum Ordinem. » Quibus ex verbis aliquem ex ejus filiis tunc temporis etiam obiisse conjicimus.

Guillel. filius ejus fundationem auxit.

Guillelmus de Avesnis comes Hannoniæ, Hollandiæ et Zelandiæ, præfati Joannis filius, magnus hujus Domus extitit benefactor cum Joanna Valesia uxore sua ac Caroli comitis Valesii Domus Fontis Beatæ Mariæ postea fundatoris filia. Obiit ille anno 1337, et per Chartam anni sequentis tricenarium habuit; Joanna vero vivente marito preces Ordinis aliquoties postulavit et obtinuit, ut ex anni 1332 Charta apparet.

Margareta ejus filia cellam fundavit.

Margareta, præfati Guillelmi soror et Roberti comitis Atrebatensis uxor, cellam unam fundavit ac dotavit, obiitque anno 1300. Ejus maritus anno 1302 occisus fuit, et sequenti anno tricenarium in Charta Capituli generalis habuit cum Gofrido de Brabant qui in eodem prælio occubuerat.

JACOBUS DE MALBODIO ECCLESIAM ÆDIFICAT.

V. Inter alios benefactores, ii, qui sequuntur, annumerandi sunt : Jacobus de Malbodio Cameracensis et Atrebatensis canonicus, hujus cartusiæ ecclesiam suis sumptibus construxit quam anno 1343 dedicavit Guido de Ventadour Cameracensis episcopus. Jacobi obitus signatur in anni 1349 Charta, habuitque plenum Monachatum sub die obitus sui qui sexto

calendas Aprilis fuit. In aliis Chartis, occurrunt Joannes[a] Quarroulle, Petrus[b] Hosten et nobilis domicella Joanna Joye. Maria[c] comitissa de Chimay, magna dicitur hujus Domus et Vallis sancti Petri atque etiam Capellæ benefactrix. Joannes[d] du Gardin anniversarium habuit die 13 Januarii. Dominus[e] du Buisson secretarius urbis Valencenarum. Richardus[f] de Gouy sacerdos. Nobilis domicella Perrona le Prince[g].

Benefactores ex Chartis Cap. gen.

[a] Ex ch. 1457.
[b] Ex ch. 1469.
[c] Ex ch. 1476.
[d] Ex ch. 1506.
[e] Ex ch. 1515.
[f] Ex ch. 1520.
[g] Ex ch. 1524.
[h] Ex ch. 1471.

Ludovicus Rollin, dominus d'Authun et d'Aimieres, obiit ex Charta anni 1529, in hac Domo cum uxore sepultus. Ex eadem familia erat, et forsan Ludovici pater, Nicolaus Rollin dominus d'Authun, cancellarius Burgundiæ, qui per Chartam anni 1462 plenum monachatum per totum Ordinem habuit; cujus etiam uxor nomine Guigona[h] simile post suam mortem beneficium obtinuit, ut liquet ex Charta in qua dicitur obiisse 27 Novembris, et magna totius Ordinis benefactrix appellatur. Forsan et ejusdem generis fuit venerandus dominus magister (sic enim nominatur in Charta) Claudius Rollin Theologiæ Doctor, Ordinis Prædicatorum, anniversarium ex Charta 1526 habens sub 5 Augusti.

Oulfartus de Guistelles dominus de Wadinpraiel et Gerardus de Perfontaine eques, in *Historia Cameracensi* dicuntur etiam benefactores.

Sebastianus Regnart presbiter Cameracensis, præbendarius et benefactor hujus Domus, obiit ex Charta 1630.

Guillelmus a Bergis, episcopus primum Antverpiensis deinde archiepiscopus Cameracensis, amicus nostri Ordinis et singularis Valencenensis cartusiæ benefactor dicitur in Charta anni 1610; obierat anno superiori, 25 Aprilis.

Francisca de Muissart ex Charta 1645, et Ernesta de Witten marchionissa de Bergis habuit anniversarium die 24 Januarii ex Charta 1649.

QUOMODO FIT SECUNDA PROFESSIO.

VI. In hujus anni Comitiis declarant Patres : 1. « Quod qui cedunt Prioratibus et Monachi qui mittuntur ad remanendum alicubi, obedientiam promittant et stabilitatem pro professione, præsente Conventu; et volumus quod cito fiat propter scandala quæ imminent ex dilatione.

ANNUS 1288

2. « Caveant Monachi ne petant, et Priores ne pro suis Monachis quærant, licentiam eundi ad parentes vel ad alias vagationes inordinatas.

3. « Item petitiones Priorum Franciæ : quod ex parte Capituli generalis et totius Ordinis supplicetur Domino Papæ de faciendo gratiam per privilegium speciale, quod quilibet Prior Ordinis possit defendere bona Domorum aliarum et etiam agere contra molestatores et invasores hujusmodi dictarum Domorum tamquam pro propria Domo, maxime cum Ordo sit unum et idem et specialiter unius professionis ; conceditur quod acceptetur semel, si possit haberi.

4. « Item quod Prior S. Bartholomæi tenetur cum expensis Ordinis impetrare ad singulos Summos Pontifices conservatores, et pro qualibet Domo ea quæ de bonis semel.

5. « Monachatum concessum domino Archiepiscopo Mediolanensi confirmamus. » Vocabatur hic Otho Vicecomes electus anno 1261 ; qui post præclara facinora decessit octoginta et septem annis natus, in Clarevallensi nobili cœnobio anno 1295, ad quod tamquam ad tranquillissimum portum confugerat præsenti forsan anno quo prœfatum monachatus beneficium a Priore Cartusiæ obtinuit post suum obitum exsolvendum, quod Patres per hanc Chartam confirmarunt. Ejus cadaver Mediolanum postea delatum, in Cathedrali sepultum est.

Otho Archiepisc. Mediol. moritur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1289.

Nicolai PP. IV.	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 206.	Ann. 13.

I. SEQUITUR Salvatoris annus octogesimus nonus supra millesimum ducentesimum, Indictione secunda, quo Nicolaus Pontifex maximus antecessorum suorum de Ordine Cartusiensi benemerendo vestigiis insistens, bullam adinstar Clementis Papæ quarti dedit qua totum Ordinem declarat, ad procuranda aut ministranda Sedis Apostolicæ Legatis necessaria et ad solvenda quævis subsidia non teneri, nisi expressa fiat de Ordine mentio; estque ejusdem prorsus tenoris ac bulla quam Clemens IV ante viginti annos dedit.

NICOLAUS IV PRIVILEGIUM CLEM. IV RENOVAT.

Inter privil. num. 68.

II. Hoc præsenti anno Isoardus de Claysio domicellus, et Elisabella ejus uxor, donationem confirmant ab Andrea Grassi cive Gratianopolitano præfatæ Isabellæ patre, Majori Cartusiæ olim factam de meyaria cujusdam vineæ sitæ in parochia de Meyolano; quam Joannes Tornatoris ad meyariam a prædicto Andrea Grassi quondam tenebat. Actum coram Joanne de Goncelino judice Curiæ comitatuum Viennensis et Albonis, et Joanne de Goncelino juniore communis Curiæ Gratianopolitanæ judice, die Jovis post Apostolorum Petri et Pauli octavas.

ANDREAS GRASSI CARTUSIÆ BENEFACTOR.

III. « Circa hæc tempora floruit Trusianus medicus, natione Italus, patria Florentinus, Thadæi medici (qui artis suæ practica insigni divitias pene regales congregasse fertur) quondam auditor atque discipulus, præ cæteris doctissimus; vir

TRUSIANUS MEDICUS FLORET.

Sutor. lib. 2. tract. 3. c. 7.

ANNUS 1289

in summa litterarum fere omnium eruditione mirabilis, et cujus e schola viri clarissimi prope modum innumerabiles prodierunt, animadvertens fortunam suis non satis respondere votis, fallax seculum destituit. Sunt enim quos divina sapientia prosperis, sunt quos adversis ad melioris vitæ frugem vocat, quos poeta quidam carminibus attestatur cum inquit :

Sunt qui blanditiis, sunt qui terrore vocantur;
Et tamen hos omnes Spiritus unus agit.
Blanditiis Simon, flammis et fulgure Paulus
Qui fuit ex acri fulmine pulsus equo.

Fit Cartus.

Male igitur fortunatus hic Trusianus seculo valedixit, et Ordinem Cartusiensem ingressus, artem carnis in medicinam spiritus feliciter commutavit.

Multa scripsit.

« Cartusianus autem effectus, varios Tractatus ad spiritalem medicinam pertinentes conscripsisse fertur. Qui antea dum seculum coleret nonnulla fecerat opuscula ad corporum medelam spectantia; e quibus extat Commentum in regimen Galieni quod tanta peritia effectum est, ut propterea autor ipse plusquam commentator a medicis nuncupetur. Claruit vero in ordine Cartusiensium circa annum Domini septuagesimum post millesimum et ducentesimum, verbo, calamo, et exemplo late resplendens. » Hactenus Sutor. Trithemius eum paulo post claruisse dicit, nempe anno 1300 vel etiam 1320; sed potest fieri quod claruerit ab anno 1270, a Sutore post Bostium assignato, usque ad annum 1300. Unde nos circa medium illius temporis ipsum collocamus. Ejus quoque meminerunt Hermannus Schedelius, Paulus Langius in *Chronico Citizensi,* et alii qui omnes sua videntur a Bostio in *Catalogo de viris Ordinis Cartusiensis illustribus* desumpsisse. Illius Tractatus in Galieni regimen editus fuit in-folio Bononiæ anno 1489, cum hac inscriptione : « Commentum Trusiani impressum in alma ac inclyta civitate Bononiæ per me Ugonem Pongerium, sub divo ac illustrissimo Principe ac Domino D. Joanne secundo Bentivolo Sfortia, vicecomite de Aragonia, Ducali armorum gubernatore generali dignissimo, anno a Nativitate Domini 1489, die decima Junii ».

IV. Capitulum generale hoc anno hæc evulgavit Statuta : ANNUS 1289

DECRETA CAP. GEN.

1. « De novo statuimus quod deinceps termini per duos Priores more solito limitati et scripti ad sequens Capitulum apportentur, et ibi rationabiliter examinati, per omnes Diffinitores confirmentur et sigillentur, et ex tunc habeant roboris firmitatem.

2. « Item de novo statuimus quod Visitatores quos obire contigerit inter Domum aliquam Ordinis, ibi habeant monachatum ; etsi proprium tricenarium habeant in Domo in qua sepelientur.

3. « Item inhibemus ne quis pro se impetret vel impetrari faciat a Principibus, vel aliis quibuscumque, litteras rogatorias.

4. « Item statuimus ut de cætero pro his qui habebant participationem dicatur unus Brevis.

5. « Item una Missa privatim celebretur in qualibet Domo de Spiritu Sancto pro Rege Franciæ.

6. « Item Domui Casularum conceditur sepultura una. » Nempe pro quodam benefactore.

JESU CHRISTI

ANNUS 1290.

Nicolai PP. IV	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 207.	Ann. 14.

NICOLAUS IV NOVUM CONCEDIT PRIVILEGIUM.

Inter privil. num. 69.

I. ANNO Salvatoris millesimo ducentesimo nonagesimo, Indictione III, Nicolaus Papa in gratiam Cartusiensis familiæ litteras scripsit, quibus Nobis permittit uti quibusdam privilegiis et indulgentiis a prædecessoribus suis Romanis Pontificibus Ordini nostro concessis, quibus propter simplicitatem et juris ignorantiam usi non fueramus temporibus retroactis. Hanc vero nobis licentiam dat, dummodo hujusmodi privilegiis et indulgentiis non sit per præscriptionem vel alias legitime derogatum. Data est bulla apud Urbem Veterem, tertio Calendas Novembris, Pontificatus ejus anno tertio.

GUILISIUS BOYMUNDI BENEF. CARTUSIÆ.

II. Circa hæc tempora dominus Guilisius Boymundi miles, vota in Ordine Prædicatorum emittens, Majori Cartusiæ legavit triginta solidos viennenses annui reditus, quos singulis annis se soluturos præfati Guilisii nomine receperunt Guigo de Podio-Bosone, et Margareta Villetta ejus uxor. Charta super his confecta est hoc anno, Indictione tertia, die Jovis post B. Antonii festum, coram Sadonio Castoris, imperiali autoritate Notario publico.

RADULPHUS ABBAS ELECTUS VALLIS REGIÆ FIT CARTUSIEN.

III. Circa eadem tempora inter Nos florebat Radulphus quondam Cisterciensis monachus, vir probatæ religionis, qui Abbatiali dignitate cœnobii Vallis Regiæ ad quam electus fuerat recusata, ad Mariæ partes tutius anhelans, in Valle sancti Petri nomen Cartusiensibus dedit; ibique magno et

amplo sibi virtutum coacervato thesauro, ex vita exemplari et probe exacta ad cœlos die 26 Januarii, incerto anno, evolavit.

ANNUS 1290

Ex ms. Montis Dei.

JOANNA COM. BLESEN. SECUNDUM CONVENTUM FUNDAT IN DOMO PARISIEN.

IV. Hoc præsenti anno Joanna de Castellione comitissa Blesensis et Carnotensis, vidua Petri comitis Alenconii S. Ludovici regis filii de quo diximus anno 1283, quatuordecim cellulas in Parisiensi cartusia pro totidem Monachis construxit ac fundavit, ad quorum victum et vestitum assignavit ducentas et viginti libras turonenses annui ac perpetui reditus. Tunc enim temporis ad unius sustentationem monachi septemdecim aut circiter libræ sufficere poterant. Litteræ hujus fundationis hoc anno, mense Martio, datæ sunt: statimque in hujus anni Comitiis Priori Vallis viridis tunc præsenti, per Chartam « conceditur quod possit per Domos Ordinis cum consensu Priorum et Conventuum et personarum assumere tredecim monachos; ita quod non accipiat in una Domo nisi unum, et citra Rhodanum accipiat de concilio Prioris Allionis quos assumet ».

Mens Joannæ videtur fuisse cartusiam alteram fundare prope Parisios, sed satius existimaverunt Patres conventum Vallis viridis geminare quam juxta eamdem civitatem duas Domos habere. Verum quia Statutis cavebatur ne uniuscujusque Domus conventus quatuordecim Monachorum numerum excederet, sub duplicis conventus nomine novam hanc fundationem acceperunt. Sequenti anno pia fundatrix preces Ordinis postulavit quæ sibi per Chartam his verbis concessæ fuerunt: « Dominæ Comitissæ de Blois, et tam pro se quam pro illis pro quibus oravit, fiet tricenarium per totum Ordinem ». Nec diu postea superstes fuit, licet juvenis. Nam ejus obitus signatur in Charta anni 1292 sic: « Quarto Calendas Februarii obiit domina Comitissa de Blois quæ habet plenum monachatum per totum Ordinem sine psalteriis ». Omnes obitum illius referunt ad annum 1291, sed juxta calculum antiquum, ut observant Sammarthani, id est anno 1292. In Vallis viridis Necrologio, ad diem 29 Januarii ejus commemoratio his verbis habetur: « Joanna inclytæ memoriæ

Ex ch. 1291.

Sammarth. Hist. geneal. Franciæ.

ANNUS 1290 Comitissa Blesensis, pro sustentatione quatuordecim Monachorum dedit nobis ducentas et viginti libras parvorum turonensium annui reditus; et fecit construi quatuordecim cellas pro eisdem. Item dedit sexaginta solidos reditus in die anniversarii sui pro pitantia. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1291.

Nicolai PP. IV Ann. 4.	Ordin. Cartus. Ann. 208.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 15.

I. EXORITUR annus Christi nonagesimus primus post millesimum ducentesimum, Indictione quarta, quo Girardus de Saconay vir nobilis, filius Petri domicelli, Institutum Cartusiense in Angionis Domo amplectitur, factus ibidem Conversus vel Redditus. Ejus intuitu (ut habent literæ inde confectæ) et alimoniæ illius gratia, Aymo de Saconay frater ejus duodecim *posas* terræ sitas apud Saconayum magnum in territorio de Purryans supra prata cartusiæ de « Oujons » (sic enim patria lingua domus Angionis dicebatur) Nostris concessit ; donationem recipiente fratre Michaele de Giurnis Converso, eamque approbantibus Perroneto et Jaqueto de Saconay, Isabella et Margareta ejusdem Girardi fratribus et sororibus, hoc præsenti anno, 6 Non. Maii. Hæc bona ante aliquot annos a manibus hæreticorum feliciter erepta, ut alibi jam diximus, modo possident Patres Societatis Jesu.

GIRARDUS DE SACONAY FIT CARTUSIENSIS.

II. Eodem tempore obiit nobilis domina Antonia, Henrici de Villeta militis vidua et Guillelmi de Conflens Genevensis episcopi soror, quæ suo testamento bona quædam reliquit tam Matri Cartusiæ, quam Monialibus Permagniæ et Melani ubi filiam habebat nomine Utilliam; hoc patet ex testamenti illius ab Officiali Genevensi in hunc modum transumpti fragmento :

ANTONIA DE CONFLENS NOSTRI ORDINIS BENEF. MORITUR.

« Nos Officialis curiæ Gebennensis notum facimus.... quod

ANNUS 1291

anno Dom. MCCXCI, Indictione quinta, die Dominico post festum B. Martini hyemalis, vidimus quoddam Instrumentum per manum Jacobi de Vendonures notarii publici super testamento inclitæ recordationis dominæ Antoniæ de Chivrione confectum, quod sic incipit : In nomine Patris... Ego Antonia, relicta Henrici de Villeta quondam domini de Chivrione, sanæ mentis existens, licet ægra corpore, testamentum meum seu ultimam voluntatem meam de bonis meis facio et ordino in hunc modum. Imprimis Deo et B. Mariæ et omnibus Sanctis animam meam reddo et commendo. Sepulturam meam eligo apud Geben. in domo Prædicatorum, etc. » In quo quidem testamento continentur clausulæ infrascriptæ: « Item do et lego Utilliæ filiæ meæ Moniali triginta solidos fortium annuales ad vitam suam pro suis necessitatibus relevandis, super bonis quæ habeo in Bellavilla a Sancto Martino. De quibus triginta solidis volo quod viginti solidi remaneant ad domum de Melan si ipsam ibi mori contigerit, et alii decem solidi ad domum *Permayni*. Et si prædictam Domum de Melan aliquo tempore removere contigerit, volo et ordino quod dicti XX solidi annuales ad dictam Domum de Permagni vel ad aliam Domum ejusdem Ordinis, ubi ipsam Utilliam conversari et mori contigerit, libere devolvantur. Item do, lego Fratribus Minoribus Geben., Domui Cartusiæ et Domui de Betumine cuilibet, decem solidos fortes annuales pro anniversario meo, etc. Item do, lego roncinum meum Monialibus de Melan, et equam meam fratribus Prædicatoribus Geben. Hujus autem testamenti mei executores meos facio et statuo dominos Abbatem Stamedei et Priorem S. Petri de Musterio.... Dans ipsis et cuilibet ipsorum plenam potestatem... cum autoritate domini Episcopi fratris mei, etc. Et sciendum est quod dicta domina Antonia hæredem sibi instituit dominam Guigonam uxorem dom. Petri de Mentone militis, et dominam Beatricem uxorem dom. Radulphi Sexaodi militis, ejus filias; et liberos Amedei quondam domini de Chivrione filii dictæ Dominæ, etc. Actum hoc testamentum per dictam Dominam Gebennis in domo Girodi de Charugie,

per manum dicti Notarii...... Testes vocati fuerunt : venerabilis in Christo P. et D. G. Dei gratia Geben. episcopus, dom. Petrus de Pouliaco, dom. Thomas de Ponte et Guillelmus de Bagnolio canonici Geben., Boso Bars curatus ecclesiæ B. M. Magdalenæ, Girodus Gay curatus S. Germani Gebenn., Johannes curatus ecclesiæ de Syr, et Michael curatus de Villario, presbyteri, etc. »

ANNUS 1291

III. Hoc etiam anno, « uxori domini Regis Angliæ nuper defunctæ conceditur tricenarium in qualibet Domo Ordinis ». Hæc erat Alienera regis Castellæ filia, quæ obierat anno præcedenti, 4 Idus Decembris.

MULTI COMMENDANTUR PRECIBUS ORDINIS.

« Item orabitur pro domina Comitissa Sabaudiæ et pro magistro Joanne judice Gratianopolitano, et pro omnibus recommendatis Capitulo generali, pro quibus dicatur Missa de Spiritu Sancto privatim. » Hæc Comitissa videtur esse Sybilla de Balgiaco prima uxor Amedei V; quæ iterum cum marito et liberis commendatur in Chartis sequentium annorum, moriensque multa Ordini nostro contulit, ut postea dicemus.

In eadem Charta Latinus cardinalis Ostiensis, Prædicatorum Ordinis, Nicolai III Summi Pontificis sororis filius, Ordinis precibus his verbis commendatur : « Domino Latino cardinali Ostiensi conceditur monachatus per totum Ordinem ». Hoc ei beneficium confertur post mortem solvendum. Constat enim eum tunc adhuc vixisse, ut ex anni 1293 Charta colligimus, in qua preces Ordinis frater ejus obtinuit his verbis : « Germano domini Latini conceditur ut idem fiat quod pro professo nostri Ordinis fieri consuevit. » Obiit præfatus Latinus anno 1294, 4 Idus Augusti, vir sanctus et doctus ; scripsit multa inter quæ a quibusdam annumeratur prosa illa quæ in Defunctorum Missa canitur, et sic incipit : *Dies iræ, dies illa.*

Latinus Cardinal. Ostiensis.

Duo quoque Episcopi hoc anno preces Ordinis postularunt et obtinuerunt. « Oretur (inquit Charta) pro dominis Episcopis Bethleemitano et Aurelianensi. » Petrus de Mornay tunc erat Aurelianensis episcopus et deinde Antissiodorensis.

Hugo Episc. Bethleemit.

Sammarth. in Episc. Antissiodor.

ANNUS 1291

Bethleemitanus vero (in Gallia) Hugo vocabatur. Sciendum vero Bethleemitanum Episcopum ab ipsa Bethleem Judeæ urbe nomen accepisse, eamque sede Episcopali sub Patriarchatu Hierosolymitano a Paschale II anno 1110 ornatam fuisse ; sed anno 1223, qui tunc sedebat Episcopus ab Infidelibus extorris factus, in Galliam a Comite Nivernensi adductus fuit ac donatus Hospitali diversorio cum jure et titulo Episcopali in suburbano Clameciaci, loco Antissiodorensis diœcesis. Nihilominus tamen absque ullo territorio vel diœcesi, decimis, populo vel clero aliisve juribus, præterquam quod istius Hospitalis præfectus Episcopus Bethleemitanus vocitetur.

ORDINATIONES.

IV. Sequuntur generalis hujus anni Capituli Ordinationes :

1. « Prohibemus ne beneficia Anniversariorum privatorum fiant Conventibus diebus abstinentiæ deputatis, scilicet feriis II, IV et VI ». Ad hujus ordinationis intelligentiam, in memoriam revocandum est quod sæpe de quibusdam benefactoribus retulimus; scilicet eorum aliquos legasse reditus pro prandio Monachis ministrando die quo sua Anniversaria redderentur. Ne igitur hujusmodi benefactorum liberalitas aliquod observantiæ detrimentum importaret, prohibent Patres ne hujusmodi beneficia sive prandia, diebus quibus ex Ordine abstinentia deberet fieri, ministrarentur.

2. « Item Clerici Redditi habeant beneficium spirituale sicut Monachi. Non legant Evangelium nec intersint Capitulo et refectorio Monachorum nisi de speciali mandato Priorum suorum.

3. « Item illi qui volunt ostium Chori aperire in elevatione Hostiæ, habeant ostium fractitium quod aperiatur tantum in elevatione et postea claudatur.

4. « Conceditur Monialibus quod possint celebrare festa B. Agnetis et B. Catharinæ et undecim millium Virginum cum XII lectionibus sive Capitulo et cum Officio Ordinis. Et festum B. Margaritæ similiter cum XII lectionibus. »

Guigonis tempore, sanctæ Agnetis festum jam celebrabatur sub 12 lectionum ritu, ut ex Calendario hujus temporis constat.

Unde videtur hic in Charta de festo S. Agnetis secundo mentio fieri ; nisi forsan hujusmodi festum singulariter in Domo coleretur Cartusiæ, antequam per totum Ordinem institueretur. ANNUS 1291

5. « Item Moniales teneantur reddere Breves Ordinis atque Missas. Et nos similiter faciemus pro eis ; vel pro qualibet Missa psalterium unum. » Idem confirmatur anno sequenti, cum additione quod « pro tricenario solvant quinquaginta psalmos, sicut Monachi non sacerdotes ». Et cum aliquando circa hæc negligentes repertæ fuerant, admonentur per Chartam capitularem « ut non omittant reddere pro Brevi unum psalterium. » Nam ante præsentem annum non tot suffragiis mortuorum gaudebant, sed sola orationum Ordinis eis concedebatur participatio cum uno tantum brevi pro singulis parthenonibus, non pro singulis Monialibus. Ex ch. 1337. Stat. Ant. p. 3. c. 34. n. 8.

JESU CHRISTI

ANNUS 1292.

Sedes Apostolica vacat.	Ordin. Cartus. Ann. 209.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 16.

NICOLAUS IV MORITUR.

I. JESU Christi annus adest nonagesimus secundus supra millesimum ducentesimum, Indictione quinta, quo Nicolaus Summus Pontifex senio confectus, Romæ obiit die 4 Aprilis; quo mortuo vacavit Sedes Apostolica duobus annis et tribus mensibus.

MONIALES PRATIBAJONIS EXCOMMUNICANTUR.

II. Hoc anno Moniales Prati-Bajonis (sive Sancti Andreæ de Rameriis), contracta Ordinis indignatione, graviori Interdictionis fulmine ictæ pœnas luunt acerbiores, ut ex Charta colligimus in qua excommunicationis sententia in eas sic pronunciatur :

« Moniales et omnes personæ religiosæ S. Andreæ de Rameria et Prati-Bajonis excommunicentur singulis Dominicis et festivis Capitulis, candelis extinctis et campanis pulsatis. » In Charta Domus Repausatorii forma hujus excommunicationis paulo fusius exhibetur his verbis : « Verba pronunciationis excommunicationis latæ contra Moniales sancti Andreæ. Ego talis Prior sive Vicarius, auctoritate Capituli generalis et præcepto, denuncio Moniales, Capellanos et Conversos sancti Andreæ de Rameria et Pratibajonis in his scriptis excommunicatos, et loca eorum supposita interdicto ab ipso Capitulo generali. Et hoc fiat Dominicis diebus et festivis Capituli candelis extinctis et campanis pulsatis. »

Tantæ pœnæ inflictæ causam, quæ magnam singularemque supponit et indicat in Monialibus contumaciam, anno 1145

jam pertractavimus. Quid tandem de eisdem actum videbimus anno 1336.

ANNUS 1292

CEREUS IN CONSECRATIONE ACCENDENDUS FUNDATUR IN DOMO CARTUSIÆ.

III. Hoc etiam anno « Petrus Fabri de Moyrenca *Datus*, ut loquuntur tabulæ, sive Donatus Majoris Cartusiæ emit a Bernardo Aloerii de Meolano unum sextarium frumenti censuale, Procuratori dictæ Domus Cartusiæ singulis annis solvendum, ad opus unius candelæ sive torchiæ de cera, in ecclesia Fratrum dictæ Domus ad Corporis dominici elevationem accendendæ. Quod frumenti sextarium censuale promisit, et super sancta Evangelia dictus Bernardus juravit pro se suisque, ad opus dictæ Domus solvere et reddere in pace Procuratori ejusdem. Actum fuit hoc apud Meolanum in virgulto cellarii dictæ domus juxta puteum ; testibus Fr. Joanne Ayroardi, F. Joanne Aloerii Conversis ejusdem Domus, Michaele de Berlant et aliis, anno MCCLXXXXII, Indictione quinta, die sabbati post Purificationem Beatæ Mariæ Virginis coram Notario publico, etc. »

V. an. 1276.

Jam alibi observavimus præceptum per Chartam fuisse ut ad elevationem Hostiæ cereus accenderetur ; ille vero Donatus pietate erga augustissimum altaris sacramentum motus, hujusmodi reditus ad opus tam laudabile ex suo proprio videtur comparasse.

REGINÆ FRANCIÆ FRATERNITAS CONCEDITUR.

IV. Maria Brabantina Philippi Audacis regis Franciæ vidua, Ordinis associationem petiit et obtinuit per anni hujus Chartam in qua sic legimus : « Reginæ Mariæ conceditur Fraternitas Ordinis. »

Ex hujus anni Ordinationibus hæc præ cæteris in Charta leguntur :

« Cum communitas præferenda sit proprietati, nemo de cætero suadeat, consulat vel procuret eleemosynas assignari ad pitantiam, infirmariam, vel sacristiam, vel aliquid tale. »

Hujusmodi eleemosynarum fundationes frequentes erant apud antiquos Benedictinos, sed abusus inde orti omnibus noti sunt.

« Item ordinamus quod Redditi laici tempore quocumque

ANNUS 1292 dunt superius, comedant cum Conversis, et communicent in professione sua, quicumque celebraverit.

3. « Item monemus ne portetur potus Monachis foris, nec super hoc credatur Prioribus vel hospitibus adventitiis; et Priores Domorum quantum poterunt dissuescant. »

Per illud verbum « foris » intellige spatiamenta, in quibus nobis non licet edere nec vinum bibere.

JESU CHRISTI

ANNUS 1293.

Inter-Pontificii	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 210.	Ann. 17.

HUMBERTI DELPHINI ERGA PRIORES ORDINIS AFFECTUS.

I. SEQUITUR a Virginis partu millesimus ducentesimus nonagesimus tertius annus, Indictione sexta, quo Humbertus de Turre delphinus suis præcipit officialibus, ut Priores Ordinis Cartusiensis ad Capitulum generale accedentes vel ab eo recedentes tueantur et contra omnes defendant. Litteræ ad ipsos directæ hujus tenoris sunt :

« Humbertus dalphinus Viennensis et Albonis comes, dominusque de Turre, universis baillivis, judicibus, castellanis, mistralibus, præpositis, et aliis officialibus nostris quibuscumque in terra nostra constitutis et constituendis ad quos præsentes litteræ pervenerint, rei gestæ memoriam cum salute. Commoditatem Religiosorum locorum attendentes, præsertim ubi pauperes Christi qui seculo abrenunciaverunt Domino famulantur, et maxime Domus Cartusiensis Ordinis, Priores omnes ipsius Ordinis, Fratres familiaresque eorumdem quicumque et undecumque sint, ac bona cætera eorumdem cujuscumque nomine censeantur, serie præsentium recipimus in nostro salvo guidagio et conductu, eundo, stando, et redeundo per totam terram nostram nostrorumque fidelium, ibidem morando, præsertim occasione Capituli generalis eorumdem. Mandantes et præcipientes tenore præsentium vobis omnibus et singulis, quatenus ipsos Priores, Fratres familiaresque eorum undecumque et qualescumque

ANNUS 1293

sint, et eorum bona cujuscumque nomine nuncupentur, salvetis, custodiatis et defendatis contra quamcumque personam euntes et redeuntes et transeuntes, moram contrahentes per totam terram nostram et nostrorum; præstantesque eis salvum guidagium et conductum si necesse fuerit, et ab eisdem fueritis super hoc modo aliquo requisiti, et ad hoc faciendum in quantum de amore nostro confiditis unus alterum non expectet. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum in insula S. Valerii anno præsenti, XII mensis Aprilis. »

Hæ litteræ ad Capitulum generale allatæ sunt et Prioribus oblatæ; ac in acceptæ gratiæ memoriam preces per totum Ordinem indictæ fuerunt « pro domino Delphino et utraque Delphina matre et filia et liberis eorum; ac pro pace a Deo obtinenda » inter præfatos Principes et Sabaudiæ Comitem.

BEATRIX DELPHINA ANNIVERSARIUM INSTITUIT IN DOMO CARTUSIÆ.

II. Beatrix, Petri Sabaudiæ quondam comitis filia et delphinæ præfati Humberti uxoris mater, Monialium vero Melani fundatrix, suum hoc anno anniversarium in Cartusiæ Majoris ecclesia fundavit, ut ex sequenti illius diplomate videre est :

« Nos B. filia inclytæ recordationis domini P. comitis Sabaudiæ, dominaque Fuciniaci et Montis Bonoudi, notum facimus universis.... quod nos meritum devotionis Domus Cartusiæ attendentes, Christoque acceptabile fore credentes si ejus intuitu dictam Domum prosecuta fuerimus gratia et favore : tenementum Petri Muleti... eidem Domui pro remedio animæ nostræ et antecessorum et liberorum nostrorum, unum Anniversarium a servitoribus dictæ Domus in ecclesia dicti loci singulis annis de cætero faciendo affectamus atque concedimus, et illud eisdem laudamus et confirmamus et ab omni servitute, placito et usagio liberum autoritate præsentium reddimus.... Quæ quidem Domus promisit nobis B. prædictæ dictum Anniversarium quolibet anno facere in ipsa Domo et ecclesia Cartusiæ, quamdiu vixerimus in die Annunciationis B. Mariæ, et post mortem nostram in die obitus nostri, et ipsa die obitus facere et dicere pro nobis Officium Sanctæ Ecclesiæ tamquam

pro uno Fratre dictæ Domus. Notificantes per has patentes litteras hæredi seu successori nostro, quod si prædicta tenere noluerit, quod ipsum pro hærede seu successore nostro nullatenus tenemus, etc. Datum apud Montem Bonoudi cum appositione sigilli nostri, die Jovis post Nativitatem Domini, anno ejusdem MCCLXXXXIII, in robur et testimonium præmissorum. »

ANNUS 1293

COMITISSA SALUTIARUM COMMENDATUR.

III. Hoc anno per Chartam « illustri dominæ Comitissæ (melius Marchionissæ) Salutiarum nuper defunctæ conceditur fraternitas Ordinis. » Vocabatur Alix de Ceve uxor Thomæ marchionis Salutiarum, qui sex post illam annis obiit relictis pluribus liberis quos in *Historia Sabaudiæ* Guicheno recenset; sed Georgii cujusdam non meminit ex eadem familia oriundi, quem Domum Ordinis anno vigesimo tertio sequentis seculi ædificantem videbimus. Multi alii tam viventes quam mortui in eadem Charta nominantur de quibus alibi egimus.

Nihil vero notatu dignum inter ordinationes occurrit, nisi quod Capellanos Monialium debere « silentium tenere ad mensam sicut et Monachi, » Patres declarant.

JESU CHRISTI

ANNUS 1294.

Cœlestini PP. V	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 211.	Ann. 18.

S. CŒLESTIN. PAPA ELIGITUR ET ABDICAT.

I. ANNO, ad quem pervenimus, millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, Indictione septima, Petrus de Murone eremita de Abrutio ad persuasionem Latini cardinalis Ostiensis a Cardinalibus mense Julio eligitur, accepto Cœlestini nomine. Sed postquam mensibus quinque et aliquot diebus Ecclesiæ præfuisset, stupendo humilitatis exemplo dignitatem omnium augustissimam abdicavit, potestate successorem eligendi Cardinalibus facta. Ab iisque Bonifacius VIII antea Benedictus vocatus, in Nativitatis Dominicæ pervigilio Summus Pontifex creatus est.

Raynald. ad hunc an. 1.

Bonifac. VIII succedit.

AGITUR DE TRANSLATIONE EXCUBIARUM.

II. Hoc anno Guido Cartusiæ Excubiarum Prior, sui Conventus nomine et amicorum suasionibus inductus, licentiam Domum suam ad locum dictum *Revesti* Excubiis salubriorem transferendi petiit et obtinuit, ob graves causas in suo supplici libello Patribus oblato enumeratas, quæ tandem ad locum derelinquendum et suis fundatoribus restituendum successores coegerunt. Talis vero est Excubiensium supplicatio :

Ex ms. Cart.

Supplicatio Conventus ad Cap. gen.

« Venerabilibus in Christo Patribus necnon et Patronis charissimis fidelibus et devotis, universis Prioribus et singulis in generali Cartusiæ Capitulo in Dei nomine et ad subjectorum profectum unanimiter adunatis : F. Guido qualiscumque Prior Domus Excubiarum Cartusiensis Ordinis, et

ejusdem loci humilis Conventus, oblata primitus, prout dignum et justum est, subjectione supplici, obedientia et famulatu promptissimo cum honore totali ac omnimoda reverentia tam debita quam devota, afflictorum supplicationibus aures cordis et corporis benigno inclinare favore, ac eorumdem vota et preces effectu persequente celeri pie ac misericorditer exaudire. (Et post pauca). Verborum continuationem diversam et variam ac multiplicem protendere, nostrique stylum dictaminis longo narrationis circuitu texere, quædam quæ retroactis temporibus nostris vidimus oculis et adhuc jugiter prospicimus et soli sumus experti, nos induxisse et compulisse certum est : sicuti sunt incommoda plurima, jacturæ et immania pericula quæ nostræ prædictæ Domui personisque ibidem commorantibus, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, imminent vel imminere de facili poterunt, nisi divina suffragante gratia et humano adjuvante pariter consilio, in statum uberiorem quam nunc est, mutata repente fuerit; quod valde difficile et quasi impossibile nobis videtur, nisi nova et aperta miracula singulari privilegio Dominus faceret. Quæ omnia et cætera alia multa, quæ brevi sermone proferre non possumus, nobis audaciam aggrediendi tantam et talem loquendi materiam nihilominus præbuerunt; alias vestri famuli hanc multiplicem verborum seriem coram vestra grata et laudabili recitare multitudine, plurimum formidarent. Quare, Patres Reverentissimi, nobis vestris devotis ac fidelibus super hoc per vos clementer indulta venia et concessa, hæc quæ in subjectis dicturi et ostensuri sumus, omnia audire libenter et intelligere intente ac sollicite vos minime tædeat. . . . . .

ANNUS 1294

Causæ translationis.

III. « Cum igitur montium Excubiensium asperitatem, nives, gelu, frigora, ac nebularum densarum ipsos montes magna ex parte temporis opacantium et obumbrantium tenebrosam caliginem, longo pertulerimus tempore : hæc eadem cum majoribus etiam, si adessent, infortuniis adhuc perferre libenter parati essemus, si aliquis exinde salutaris fructus videretur posse subsequi ; sed cum labor noster inanis et inuti-

ASPERITAS LOCI.

ANNUS 1294

lis, clare, manifeste ac lucide appareat, spes nostra totalis, quantum in nobis est, diu ibidem commorandi resecatur penitus et aufertur. Quid autem prodest pœnitentiam agere cum querela et murmure, cum coacta servitia secundum B. Gregorium Deo minime placeant; non enim personas propter locum, sed locum propter personas servitoribus suis præparat Deus. Et cum locus in quo nunc moramur, imo quasi detinemur inviti, propter animarum detrimentum atque periculum quæ nobis imminere jugiter intuemur, personis ibidem residentibus, vel personæ loco, sibi mutuo non congruant; humana consideratione ac recta et legali dictante et judicante conscientia, tali manente certamine pax vera cum hujus loci habitatoribus esse nullatenus poterit vel requies....

Priorum necessaria mutatio.

Priores namque ex una parte, conqueruntur de laborioso ac difficili montium accessu qui eos ultra modum et mensuram naturæ proprii corporis fortiter aggravat; ita quod ad præsens magnæ virtutis homo et vigoris esse fortissimi, opinione humana et communi estimatur et creditur, qui Domum nostram prædictam trium vel quatuor ad plus annorum spatio rexerit; et tunc affectus tædio, onus quod portasset regiminis non derelinqueret.

Monachorum parvus numerus.

Inde debitæ Missæ persolvi non possunt.

Monachi quoque opponunt ex parte altera, vix ferre posse pondus fere importabile quod sustinent in rebus spiritualibus, quia Missas quamplurimas tenentur solvere præter alia onera quibus ex debito astringuntur Ordini ; et hoc propter extraneorum beneficia circa ipsos prope vel longe commorantium, quorum eleemosynas receperunt multiplices. . . . Si vero prædicti monachi pauci numero fuerint, tot Missas absque gravamine persolvere non poterunt: si vero plures fuerint, ipsos Domus sustentare non valebit (prout ab illis dicitur qui præfatæ Domus nostræ temporalia pertractant negotia) sine Conventus divisione. Sed etiamsi posset fieri quod magnam monachorum multitudinem Domus nostra abundanter posset diu reficere, eique providere plenarie in suis necessitatibus; sani tamen, quod est gravius, vel incolumes longo non permanerent aut perseverarent tempore, eo quod loci nostri qualitas a nonnullis

ANNUS 1294

corrupta esse dicitur : quod satis apparet ex hoc quod magna monachorum quantitas nocturno tempore supersedet frequenter a divinis laudibus, infirma et debilis in lecto decubans. Et sic ex utraque parte instat immane præcipitium. Et cum natura successione temporum debilitetur jugiter, paulatim ad nihilum redigens, gravius, quam nunc sit, erit in futuro. Quia sic cum ætas vergit ad finem, B. Augustino attestante, senex plenus est querelis et nullis gaudiis ; sic humanæ conditionis fragilitas ad ultimum gravioribus cladibus opprimetur manifestis. Recedunt etiam Priores a nobis affecti laboribus, cursu velociori quam veniunt : nam viginti et duorum annorum circulo quatuordecim Priores habuimus, secum a recessu suo febrem aliquando reportantes durissimam, renes contractos et brachia, fessas tibias, angustias, gemitus et dolores. Monachi vero in Domo remanent captivi et miseri, dolore præstolantes lamentabili ac corde pavido futuram jacturam et incommodum. . . . Vix enim venit aliquis ad Domum nostram sumpturus Ordinis habitum, et si forte venerit, repente pœnitens et seipsum deceptum esse proclamans recedit. . . .

Eorum infirmitas.

14 Priores 22 annorum spatio.

IV. « Ædificia multis facta et constructa laboribus labuntur, putrefiunt et corruunt, et paulatim rediguntur quasi ad nihilum. Ligna etiam pro tectis ipsorum ædificiorum cooperiendis non inveniuntur ad præsens sufficientia, quia temporis diuturnitate, pœne omnia valentiora ad ædificandum consumpta sunt et abscisa... Si vero expensas et damna quæ vel quas Domus nostra annuatim facit et sustinet pro victualibus ad excelsa subvehendis montium, quispiam diligenter computare velit, bene invenientur sexaginta libræ viennenses, ex quibus . . . . monachi, prout a quibusdam asseritur, satis competenter et honorifice teneri et sustentari possent. Cum igitur status Domus nostræ, qui ad præsens tam querulosus existit et miserabilis ut eamdem Domum nostram boni et mali libenter deserant, et quicumque semel eam visitaverit proponit se non reversurum amplius nisi ad hoc faciendum eum Ordo noster compulerit, humana possit industria

ÆDIFICIA RUINOSA INSTAURARI NON POSSUNT.

Nullus ibidem commorari consentit.

ANNUS 1294

mutari in melius: cur nos et amici nostri charissimi qui nos in Christo diligunt, tanta torpemus ignavia, ut bonum ante nostros oblatum oculos, margaretam videlicet pretiosam, et munera gratissima nobis immeritis a Domino æterno Rege atque magnifico pietate sua præparata negligamus accipere? Hanc vero margaretam pretiosam, pulchram et nobilem, seu munera illa gratissima quæ nobis quamvis indignis per omnem modum et immeritis (diu est) præparavit Dominus, dicimus et intelligi volumus quemdam locum fertilem et uberem, honestum et idoneum ac nostræ Religioni valde convenientem, satis sufficienter remotum a secularium pompa et strepitu, multo desideratum tempore. Locus iste infra possessionum nostrarum terminos, circa quamdam nostram grangiam *Revesti* appellatam vulgariter est positus, eleganti ac moderata dispositionis qualitate præfulgens, mediocritatem tenens ac jucundam temperiem, ita quod nec nimis calidus sit aut frigidus, quem vestrum plurimos ignorare non credimus, cum in ipsa grangia sæpius pernoctaverint. Ibi pro construendis et ædificandis domibus invenientur lapidum abundantia, arena multiplex, ac pro ipsarum domorum tectis cooperiendis tegularum similiter copia, et multa alia ad ædificiorum usum convenientia et perutilia. Locus etiam iste agrorum culturæ et hortorum commoditati aptus valde et habilis esse dignoscitur. Tunc etiam ad honorem Dei, et personarum, quæ in prædicto loco residebunt, profectum non modicum, in constructione et ædificatione domorum provideri et trudi poterit utiliter cum eleemosynis et beneficiis quæ vel quas vicini nostri et amici cum cæteris devotis fidelibus prope nos aut longe commorantibus, nobis inspirante Domino tribuent pro animarum suarum salute et remedio. Tunc etiam tria hospitia in quibus nunc recipiuntur hospites cum magnis sumptibus et copioso quandoque apparatu, in unum penitus redigentur.

Locus Revesti aptus translationi.

V. « Præterea cum personæ nostris temporibus famulaturi Domino ad montes nostros ibidem moraturi formident, renuant, ac negligant ascendere; et montium possessor non sit

QUAM FACILIS ET UTILIS HUJUSMODI TRANSLATIO.

tantum Dominus, cum et valles abundare dicantur frumento, plures animæ in hoc loco quam in montibus acquirentur et salvabuntur; ac per hoc ibi major honor et reverentia per abundantiorem et ampliorem servientium numerum, quam in nostris prædictis montibus, nostro Salvatori procul dubio exhibebitur, qui salutem sitit animarum ac desiderat. Hujus autem loci transmutatio de facili fieri poterit; non enim Domum novam omnino construemus vel ædificabimus, nam rebus et possessionibus muniti ac dotati sufficienter jam sumus per Dei gratiam, et vetera ædificia etiam in prædicto loco satis competenter habemus, in quibus personæ habitare poterunt quousque adaptentur et præparentur plenarie Monachorum cellulæ. Tunc etiam in capite et loco saniori et principali rerum et possessionum nostrarum positi, mayneriorum et Conversorum nostrorum negligentiam vehementer dure et aspere redarguere ac punire poterimus, et universos ac singulos movere, excitare et inducere fortiter et viriliter ad operandum strenue, et jura nostra melius ac fortius deffendere. Et sic patet undique animarum et corporum fructus multiplex et commodum salutare. Cujus rei gratia vestræ discretionis providentiæ, cui post Dominum subditi sumus, et veram obedientiam, debitam subjectionem cum famulatu pro posse nostro et viribus promptissimo, profitemur debere firmiter; et in veritate recognoscimus defectus nostros, preces, desideria, dolores offerentes et gemitus, humiliter supplicamus et devotissima affectione qua possumus, et puro cordis desiderio, quatenus amore Dei et pietatis intuitu ea quæ supra diximus universa et singula pio considerantes favore, et cordis affectu intimo eadem frequenter in vestris revolventes cordibus, nos de tanta, in qua nunc jacemus, ærumna clementer erigendo et nostris pie satisfaciendo desideriis, vestra liberali gratia licentiam transferendi Domum nostram ad illum optimum locum nobis benigne ac misericorditer velitis concedere, etc. Vos vero devotissimi ac Reverentissimi Patres pro tantis nobis impensis beneficiis, in illa quam expectamus sancta et gloriosa civitate copiosam mer-

ANNUS 1294

cedem pro dono et speciali gratia merito possitis percipere, etc. Bene valeatis omnes ut optamus in Domino per longiora tempora, et qui vos in Christo diligunt universi. Orate pro nobis. Datum apud Excubias, die lunæ, in festo Beatorum martyrum Gordiani et Epimachi, anno Domini MCC nonagesimo quarto, cum appositione sigilli Domus nostræ.

« Insuper universitatem vestram nobis quamplurimum reverendam rogamus humiliter, ut si gratiam apud vos hac vice invenimus super licentia transferendi locum nostrum, sigillum grande generalis Capituli præsenti scripto petitionem nostram continenti, una cum nostro posito et pendente, apponi faciatis gratis et liberaliter, in signum dilectionis vestræ et devotionis quam erga nos et Fratres nostros posteros exhibebitis, concedendo nobis favorabiliter licentiam quam petimus, etc. » Consensus vero Capituli generalis talis subjectus fuit :

APPROBATUR ET A CAP. GEN. CONCEDITUR.

VI. « Nos vero præfati Priores in hoc præsenti Capitulo in Dei nomine et honore ac reverentia ipsius adunati pariter, pro tractanda et procuranda subditorum nostrorum omniumque Nostrum salute et profectu, ad preces et instantiam religiosorum Fratrum, Domni videlicet Guidonis Prioris supradictæ Domus Excubiarum et Conventus ejusdem loci, sigillum generalis Capituli, eisdem Priori videlicet et Conventui dando et concedendo licentiam super translatione seu permutatione loci sive Domus eorumdem Fratrum, prout ipsi instanter et affectuosissime postulant, simul cum sigillo Domus eorumdem Fratrum pendente, præsentibus apponendum duximus in munimen et testimonium veritatis. Datum apud Cartusiam feria quarta celebrationis ipsius prædicti Capituli Generalis, post festum beatorum martyrum Nerei et Achillei atque Pancratii, anno ab Incarnatione Domini quo supra. »

Sed incassum abiit totum consilium.

Etsi præfatus Prior Excubiarum Guido videlicet, qui et Guigo dicebatur, hanc Domum per plures annos adhuc posthac rexerit, hanc tamen translationem ad effectum perducere non potuit. Imo quorumdam Nobilium oborta interim mo-

lestissima contra Nostros vexatione, miserrimus fuit hujus Domus status usque ad annum 1418 quo reipsa hujusmodi translatio perfecta est, licet biennio post totam Domum omnesque illius possessiones Capitulum generale animo plane liberali Ecclesiæ Gratianopolitanæ tanquam ejusdem loci fundatrici cesserit, ut fusius suo dicemus loco.

ANNUS 1294

VII. Hoc anno preces in Charta capitulari præcipiuntur « pro Capitulo et pro Ecclesia et pace Lugdunensi ». Controversiam olim natam inter Archiepiscopum Lugdunensem et ejusdem Ecclesiæ Canonicos, anno 1290 tandem fuisse compositam narrat Swertius; sed utrum postea (ut ex citatis Chartæ verbis necessario colligere est) recruduerit, non habet.

ECCLESIÆ LUGDUNENSIS PAX TURBATA.

« Item dominæ Margaretæ reginæ Franciæ et aliis personis quæ orationibus Ordinis se recommendaverunt, scilicet domino A. de Lays et domino Episcopo Bellicensi et aliis multis dabuntur in qualibet Domo Ordinis duæ Missæ, una de Spiritu Sancto et altera de B. Maria. » Margareta Franciæ regina ipsa est uxor sancti Ludovici, quæ etiam hoc anno preces pro marito, licet sancto habito et ante plures annos defuncto, postulavit ut alibi observavimus.

« Dominæ Reginæ Angliæ matri domini Regis qui nunc Angliæ, quæ Ordini fecit eleemosynam, conceditur tricenarium per totum Ordinem. » Hæc est Leonora ex fratre neptis Bonifacii de Sabaudia Cantuariensis quondam archiepiscopi, qui bis habitum Ordinis in Majori Cartusia susceperat. Quidam eam citius obiisse dicunt, sed præsens annus vel superior videtur potius signandus; quandoquidem in præsentis anni Charta tantum denunciatur.

Regina Angliæ defuncta commendatur.

Obiit etiam hoc anno, 5 Calendas Junii, Sybilla de Balgiaco uxor Amedei V Sabaudiæ comitis, quæ suo testamento hæc Ordini nostro legavit. « Item damus et legamus Prioratui de *Selva** in Viennesio, Ordinis Cartusiensis, quadraginta libras viennenses semel pro quadraginta solidis annui reditus acquirendis, pro Anniversario nostro et Alexandri carissimi patrui nostri ibidem sepulti singulis annis faciendo. Item damus et legamus Prioratibus de Sellone et de Montemarlo*,

Sybilla Comitissa Sabaud. obiit.

* Sylva benedicta.

Suum Anniversarium instituit.

* Sellionis et Montismerulæ cartusiæ.

ANNUS 1294

cuilibet eorum, semel viginti libras viennenses pro acquirendis in quolibet viginti solidos annui reditus, pro anniversario nostro in dictis Prioratibus annis singulis faciendo. Item damus et legamus Domibus Cartusiæ et Allionis, cuilibet earumdem, decem libras viennenses in eumdem finem ». Post Sybillæ mortem asserit Guicheno Amedeum vitam cœlibem usque ad annum 1304 duxisse, quo eum uxorem accepisse alteram dicit, Mariam scilicet Joannis Brabantiæ ducis filiam. Sed illud matrimonium citius contractum fuisse colligimus ex Charta anni 1301 in qua Comes et Comitissa Sabaudiæ nostris orationibus commendantur.

DECRETA PRO CONVERSIS.

VIII. Multa hoc anno circa Conversos statuuntur, inter quæ hæc præcipua sunt :

1. « Exhortamur Priores ut in receptione Conversorum sint pervigiles et intenti, et in receptione ipsorum non teneantur sequi consilium Conversorum.

2. « Statuto, quod Conversi se vocent Fratres, additur quod qui contra fecerit proximo Capitulo clamet culpam suam et sine misericordia recipiat disciplinam.

3. « Item cum Conversi et Redditi recipiantur præcipue pro labore, et nonnulli propria manu laborare recusent ; statuimus ut quicumque super hoc a Priore vel Procuratore reprehensi fuerint et moniti non se emendaverint, vino et pitantia priventur quamdiu Priori videbitur faciendum, nisi eos evidens necessitas excusaret. »

Cætera Ordinationes hæ sunt :

4. « Ordinamus quod terræ remotæ et quasi steriles vel minus utiles possint dari in emphiteosim de consensu Conventuum ad tempus, secundum quod sibi videbitur faciendum.

5. « Conceditur Monialibus de Melano ut in festo undecim millium Virginum possint de ipsis propria legere et cantare. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1295.

Bonifacii PP. VIII	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 212.	Ann. 19.

I. ANNUS salutis exurgit millesimus ducentesimus nonagesimus quintus, Indictione 8, quo ineunte pie decessit Joannes Jocerandus vir in Ordine celeberrimus, qui per quadraginta sex annos, ab anno videlicet 1248, Domos Vallis sancti Hugonis, Sylvæ benedictæ, Vallis sanctæ Mariæ, Vallis viridis, Montis Dei et Ligeti perquam strenue ac religiose in utroque statu gubernaverat. Ejus obitus in præsentis anni Charta his verbis denunciatur : « Octavo decimo Calendas Februarii obiit D. Jocerandus, qui habet per totum Ordinem plenum monachatum et amplius unam Missam a quolibet sacerdote, et quinquaginta psalmos ab iis qui non celebrant, et 50 *Pater noster* a Conversis et Redditis. » Porro quantum virtute orationis et humilitatis contra dæmones posset, eliminata e Vallis viridis palatio eorum caterva indicat. Ipse enim cum sociis locum immundis spiritibus infectum securus intrepidusque habitavit ; fidei clypeo ac perfectæ mortificationis gladio contra aerias potestates armatus expulit malignos incolas, atque cum ingenti Parisiensis populi admiratione celeberrimi monasterii fundamenta eodem in loco jecit. Ob eximiam vitæ sanctitatem S. Ludovico Galliarum regi acceptissimus, ab eo ad ædificii constructionem multa impetravit. JOCERANDUS VIR CELEBRIS MORITUR.

Ad eumdem Jocerandum ea videntur referenda quæ Henricus Calkar his verbis narrat : « Rex et Regina Franciæ juxta Calkar de Orig. et progressu Ordin. Cartus.

54c

ANNUS 1295

* *Al.* Parisios.

Parisius* pro eis (Cartusiensibus) fecerunt Conventum; quibusdam tamen (ex aliis Ordinibus Religiosorum quorum superius hic autor meminit) ex hoc invidentibus et allegantibus quod Cartusienses circa civitates habitantes, panem Christi fidelium comedant, otio vacantes, id est non prædicantes, non confessiones audientes nec aliter ad proximum se exercentes, sed sibi ipsis tantum in quiete viventes. Quorum invidentium cuidam hoc Priori novam Domum recipienti satis austere improperanti, idem Prior humiliter respondit : Dilecte Pater, nos venimus huc taliter vivere et hoc facere quod vos soletis prædicare in cathedris. Hoc humili verbo ille percussus in conscientia, semper Cartusiensium postea amicus fuit. Tunc enim animadvertit quod ipsi non verbis, sed vitæ suæ exemplo prædicant bonis et malis. Ipsi enim sunt qui pro testimonio futuri Judicii crucem suam portant quotidie in corpore, fidem Christi proprio bullantes sanguine, secundum carnem nunquam ducentes diem lætum; quod plus proximum ad fidem et bonam vitam animat quam multa millia verborum. »

DOMUS VALLIS SANCTÆ FUNDATUR.

II. Hoc anno fundatur cartusia Vallis omnium Sanctorum seu Vallis Sanctæ, sub ditione Dominorum Helvetiorum Friburgensium, in diœcesi Lausanensi, duabus leucis Friburgo versus orientem distans. Fundatores habuit Cononem dominum de *Corberes** et Girardum ejus filium dominum de *Charmeis*, qui mortuo patre antequam fundationis diploma conficeretur, literas sequentes concessit hoc præsenti anno ad quem propterea fundatio hujus Domus refertur; licet jam tunc Monachi cum Priore in ea morarentur, ut ex ipsis literis mox videbimus :

* *Corbières.*

Girardus de Charmeis cum patre fundator.

« Ego Girardus domicellus, dominus de Charmeis, notum facio universis... quod ego... habito diligenti tractatu cum amicis meis, sed specialiter cum Richardo fratre meo et cum Willermo con-domino de Corberes, nepote meo, filio quondam domini Willermi fratris mei.... de laude et consensu prædictorum Richardi et Willermi, pro remedio et succursu animæ quondam domini Cononis domini de Corberes patris mei, et Agnetis quondam matris meæ.... do et dedi, pure et

libere donatione irrevocabili facta inter vivos et præsentes, sanctissimo Ordini Cartusiæ, ad ædificandam ecclesiam, domum, et mansiones seu habitacula, et omnia alia ædificia lignea vel lapidea pro libito voluntatis ipsorum, alte et basse Vallem omnium Sanctorum, et totam jurim cum fundo..... de prædicta donatione et de prædictis rebus superius a me donatis prædictis Religiosis, me et hæredes meos corporaliter devestio et dictum Ordinem Cartusiæ investio. . . . . Dedi etiam ego Girardus donatione irrevocabili facta inter vivos, sanctissimo Ordini Cartusiæ, et specialiter Fratribus qui morantur et morabuntur in dicta Valle omnium Sanctorum..... Unde cum non videatur decedere sine hærede, qui Ecclesiam sibi instituit hæredem ; nos prædictus Girardus Richardusque et Willermus prædicti.... prædicta omnia donata cum omnibus suis pertinentiis per dictum Girardum prædictis Religiosis laudamus, consentimus.... supplicantes humiliter nos prædicti Girardus et Willermus, et ego dictus Richardus per literam meam, venerabilem Patrem dominum Willermum Dei gratia Lausanensem episcopum, ut hanc nostram donationem et omnia et singula in ea contenta ratificet et confirmet, etc. Nos vero prænominatus Episcopus, ad preces dictorum Girardi et Willermi, et ad preces et requisitionem præfati Richardi qui per quamdam literam sigillo suo sigillatam nos requisivit et rogavit..... ut sigillum nostrum præsentibus apponamus, sigillum nostrum præsentibus apposuimus in testimonium præmissorum. Datum anno MCCLXXXXV. »

ANNUS 1295

Guillelmus Lausanensis episcopus fundationem confirmat.

III. Girardo hæc scribenti suasque facultates tam copiose Nostris eroganti, nulli tunc erant liberi nec spes ullos procreandi affulgebat ; cum ecce, anno a datis præfatis litteris dotalibus vix absoluto, uxor ejus a Deo sanctorum Vallis Sanctæ monachorum precibus exorato, filiam obtinuit. Sed oh Patrum nostrorum mirabilem abnegationem, et in omne ævum prædicandum ab omni cupiditate alienationem ! Scientes enim pium fundatorem eo maxime inductum fuisse ad condendam cartusiam, ut pro liberis quos ei natura denegaverat, filios saltem spirituales sibi constitueret : ubi viderunt eum a Deo

GIRARDUS FUNDATOR HÆREDEM FILIAM A DEO NOSTRORUM PRECIBUS OBTINET.

ANNUS 1295

hæredem suscepisse, non rati rapinam esse in holocausto si ex oblatis aliquid Gerardus repeteret; tertiam ipsi bonorum partem quæ in dotem tum ab eo tum ab ejus patre acceperant, ab eo rogati obtentaque ab Episcopo licentia, grato liberalique animo statim retribuere; confectis super hoc sequentibus tabulis :

Cui propterea Nostri tertiam bonorum collatorum partem restituunt.

« Charissimis Fratribus Priori et monachis Vallis Sanctæ salutem exoptat Girardus, dominus de Charmey. Placeat vobis, amantissimi Patres, mihi cum filia mea quam vestris precibus a Deo obtinui, facere misericordiam, eique concedere sub conditione tamen legis salicæ in hac patria observari solitæ, aliquam partem in bonis quæ donatione irrevocabili facta inter vivos ob defectum liberorum olim pater meus et ego vobis donavimus; sicque Deus vobis retribuet in æternum. Nos igitur frater Willelmus humilis Prior cæterique Monachi Vallis Sanctæ Cartusiensis Ordinis, visa supplicatione præscripta, de licentia R. Dom. Willelmi Lausanensis episcopi : domino Girardo de Charmey, filio bonæ memoriæ felicis fundatoris nostri, ejus carissimæ filiæ unicæ Joannettæ, concedimus tertiam partem omnium bonorum quæ ipsi Girardus ejusque pater nobis antea devote contulerant apud villam de Charmey tam in joriis quam in terris, sub tamen conditione legis salicæ his in locis observari solitæ; videlicet ut si illa absque liberis masculis naturalibus et legitimis, vel sui hæredes ex hac vita decederent, tunc illa tertia pars ad nos rediret pleno jure et sine calumnia. Actum apud Vallem Sanctam die 10 mensis Decemb., an. Christi MCCLXXXXVI; ad cujus robur et testimonium sigillum nostrum una cum sigillo R. Dom. Willelmi Lausanensis episcopi his apposuimus. »

TAM PRÆCLARUM FACINUS NOVIS ETIAM TEMPORIBUS NOSTRI IMITANTUR.

IV. Adscribet forsan aliquis temporibus priscis præclarum hoc facinus. Verum ut cunctis pateat Ordinem nostrum eodem ac Patres antiquos etiamnum moveri ac dirigi spiritu ab omni cupiditate alieno, haud abs re fuerit in hujus argumentum veritatis simile quid subtexere, non infrequenter nostra ætate a Patribus perpetratum. Vir dives ac spectabilis Nostros

ANNUS 1295

nuper monuerat sibi esse in animo Domum Ordinis fundare prope quamdam Franciæ urbem celeberrimam : missoque ad se Provinciæ Visitatore, multam pecuniæ vim fundumque amplissimum ad novæ cartusiæ constructionem et dotem pollicitus est. Promissa Visitator cum gratiarum actione accepit, sed dum autoritatem rei perficiendæ necessariam sibi a Priore Cartusiæ mitti expectat, audito a nonnullis virum hunc filiæ suæ unicæ marito succensum, non ex pietate erga Deum sed sola nocendi genero causa hujusmodi consilium iniisse, ad eum sine mora reversus significat Ordinem oblatam ab eo fundationem non admissurum, nisi prius ipse consensum a genero suo obtinuerit. Sicque res infecta remansit.

Alius quoque, genere et divitiis clarus, ingentes opes ad novam cartusiam condendam suo testamento haud ita pridem reliquerat; cujus hæres filia cum litem Cartusiensibus patris legatum collecturis minaretur, Reverendus Pater Generalis, revocatis Commissariis, maluit una Domo privari quam litigare. Ex multis quæ quotidie similia occurrunt hæc duo sufficiat exempla protulisse, quibus innotescat primævum adhuc in Ordine perseverare spiritum; nec in totum corpus aut caput conjiciendas esse quorumdam privatorum pravitates, quos interdum videmus, invitis etiam primariis Patribus, nimium terrenis cupiditatibus inservire.

QUÆ FUNDATRIX VALLIS S. ECCLESIÆ.

V. Sed ad Vallis Sanctæ Domum redeamus, cujus præcipui benefactores extiterunt : Mariona de Friburgo quæ ecclesiam ædificavit. Ejus obitus denunciatur in Charta anni 1343, in qua tricenarium habuit per totum Ordinem; et ibidem dicitur « fundatrix ecclesiæ Vallis Sanctæ ».

Ludovicus dominus de Vaud insignis benefactor.

Guichen. Hist. Sabaud. lib. 3. c. 9. num. 10.

Isabella ejus uxor Ordinis fautrix.

Ludovicus de Sabaudia, filius alterius Ludovici domini de Vaud, Bugey et Valromey et nepos Thomæ II comitis Mauritaniæ, cum uxore sua Isabella de Cabellione multa beneficia contulit non solum huic Domui sed et aliis harum regionum Domibus : unde et sæpius beneficia spiritualia ab Ordine meruerunt. Et primum in Charta anni 1332 his verbis Isabella commendatur et laudatur : « Illustri dominæ Isabellæ de Cabilone dominæ Waudi, quæ ad Ordinem nostrum habet

ANNUS 1295

devotionem specialem et singularem affectum, et multarum Domorum in suo dominio existentium negotia promovet, et ipsas ab infestis oppressoribus sub sua protectione conservat, conceditur tricenarium per totum Ordinem » post obitum suum persolvendum. Et per Chartam anni 1335 uterque cum liberis commendatur: « Pro domino Ludovico domino Waudi, ejus consorte et liberis eorum orabitur specialiter. » Anno vero 1338 præcipitur ut « dicatur in qualibet Domo Ordinis una Missa de Spiritu Sancto pro illustri domina Isabella de Cabilone ». Ludovici obitus reperitur in Charta anni 1349, quæ sic habet : « Obiit Ludovicus a Sabaudia dominus Waudi, benefactor Domorum Vallis Sanctæ et Partis Dei, habens tricenarium, etc. » Ex his arguitur Guicheno qui obitum ejus rejicit ad annum 1350; suum testamentum condiderat anno 1340, die 29 Martii, in quo legitur hic articulus quasdam nostri Ordinis Domos spectans : « Item Prioratibus de Charmey (id est Vallis sanctæ), de Parte Dei et de Lancea, Cartusiensis Ordinis, Lausanensis diœcesis, cuilibet ipsorum Prioratuum viginti solidos grossorum turonensium semel damus et legamus. » Domibus quoque Angionis et Saletarum olim concesserat immunitatem ab omni pedagio et tributo per totam terram suam.

Quando Ludovicus obierit.

Ex probation. Guichenon. ad Histor. Sabaud.

Ejus uxoris obitus denunciatur in Charta anni 1335 his verbis : « Obiit domina Isabella, uxor quondam domini Ludovici Sabaudi, quæ habet tricenarium, etc. » Fuit Isabella filia Joannis *de Chalon,* domini *d'Arlay,* et Margaritæ a Burgundia; habuitque ex præfato Ludovico duos liberos, Joannem baronem Vaudi, et Catharinam. Joannes obiit ante patrem, ut recte observat Guicheno, sed annum ignorat quem damus ex Charta anni 1340, ubi sic legitur mortuus : « Obiit dominus Joannes a Sabaudia miles, habens tricenarium, etc. » Duas habuerat uxores, quarum altera Margarita filia comitis Antissiodorensis obiit anno 1378, in Parisiensis cartusiæ Capitulo sepulta cum tali epitaphio : « Hic jacet nobilis Dom. Margareta de Challon, domina de Thocy et de Puisoye, filia quondam domini Joannis de Challon comitis Antissiodorensis

Item quando illius uxor mortua.

Eorum posteri erga Nos benevoli.

et Tornodori, uxoris quondam domini Joannis a Sabaudia, quæ obiit Parisiis in suo palatio, die Lunæ undecima Octobris, anno MCCCLXXVIII. » Ejus obitus habetur tantum in Charta anni 1380 cum tricenario. Eodem anno quo Joannes nostrorum benefactorum filius, nempe anno 1340, denunciatur mortuus, Missa indicitur de Spiritu Sancto pro ejus parentibus, Ludovico scilicet et Isabella, et Catharina ejus sorore. Hæc Domus Angionis benefactrix fuit, quæ primum nupsit Azzoni domino Mediolani, deinde Rudolpho de Brienna Franciæ comestabili, cujus extant protectionis pro Domo Angionis literæ.

AMEDEUS COMES SABAUD. FUNDATIONEM CONFIRMAT.

VI. Amedeus VI Sabaudiæ hæres, Waudi post præfatæ Catharinæ mortem hæres, Domus hujus fundationem confirmavit, ab omni eam tributo exemit, in suamque tutelam accepit datis anno 1369 literis quæ inter Guichenonis Probationes extant. Idem fecerunt Amedei successores. Cumque Latobrigus ager, sive Vaudi ditio, Dominis Helvetiis obvenisset, Friburgensis major minorque Senatus non minus in hanc cartusiam quam præfati Principes benevolus, ipsam exemit a caducariæ servitutis lege, ejusque privilegia libenter confirmavit prolixis literis anno 1574, 4 Novembris, scriptis.

Senatus Friburgen. benevolentia.

Quorumdam benefactorum nomina.

Quorumdam aliorum benefactorum obitus reperiuntur in Chartis : videlicet dominus Petrus Batmodi[a]. Permagnificus ac potens dominus Joannes de *Gruyere*[b] qui in Charta dicitur ex hujus Domus et Partis Dei fundatoribus. Nobilis ac magnificus dominus Nicolaus a Prereman[c], eques Hierosolymitanus et Friburgensis Helvetiorum Prætor, magnus Ordinis amicus, fautor et protector Domorum Partis Dei et Vallis Sanctæ.

[a] Ex ch. 1494.
[b] Ex ch. 1540.
[c] Ex ch. 1610.

PET. DE COUZ BENEFAC. MAJ. CARTUSIÆ.

VII. Hoc anno Mater Cartusia novum nacta est benefactorem a quo bona quædam suos intra terminos sita recepit, confecto inde Instrumento, quod inter cætera, hæc satis specialia continet :

« In nomine Domini Jesu Christi. Amen. Anno ejusdem MCCLXXXXVI, Indictione octava, IV Idus Septembris, coram me Notario et testibus infra scriptis, Petrus de Couz

ANNUS 1295 sanus mente et corpore, sine vi, dolo vel fraude, ut ipse asserit, ad hoc inductus; sed mera et spontanea voluntate, et ob specialem devotionem et affectionem quam habet erga Domum Cartusiæ et Fratres degentes ibidem, et ob animæ suæ et prædecessorum suorum remedium et salutem : donat, cedit, et concedit donatione pura et irrevocabili Deo et B. Mariæ et B. Joanni Baptistæ et Fratribus in dicta Domo Cartusiæ Domino famulantibus, et Domno Bosoni Priori dictæ Domus Cartusiæ præsenti et recipienti.... in eleemosynam perpetuam, et pro uno anniversario in ipsa Domo in die sui obitus (si eidem placuerit) faciendo, Martinum et Guillelmum fratres et Petrum et liberos quondam Michaelis de Ruscheria homines suos ligios, et hospitia eorumdem et omnes liberos ipsorum tam natos quam etiam nascituros seu ab ipsis descensuros, et tenementum ipsorum quod tenent ab ipso Petro de Couz et servitium seu censum quod et quem eidem Petro debent et faciunt pro dicto tenemento.... Mandans et præcipiens dictus Petrus hominibus superius nominatis, ut dicto Priori recipienti homagium ligium faciant.... quittans eos et solvens ex nunc ab omni homagio et fidelitate in quibus sibi tenebantur, etc. Actum apud Cartusiam in magno hospitio ante ecclesiam, ubi testes vocati fuerant Domnus Oddo Prior Sylvæ benedictæ, Petrus Faverii procurator Domus Cartusiæ, F. Michael coquinarius, F. Joannes Aloerii, F. Joannes Chaberti Conversi, Jacobus de Ayma Clericus Redditus et alii. »

ORDINATIONES CAPIT. GENERALIS.

VIII. Hoc præsenti anno inter ordinationes Capituli generalis, hæ sunt promulgatæ :

1. « Cum ex novitatibus quasi semper dissentiones oriantur, silentium imponimus singulis et universis, præsentibus et posteris, attentandi de cætero quod aliquid contra manifestum rigorem Ordinis immutetur.

2. « Item præcipimus ut cum duo simul fuerint in cella aliqua, primo ostio penitus aperto, secundum ostium nullatenus obseretur.

3. « Ordinamus præcise et irrevocabiliter volumus obser-

vari, quod Conversi et Redditi qui de cætero ad Dominos seculares recurrent, conquerendo vel denunciando per se vel per alium de correctionibus seu ordinationibus Ordinis, Domum suam perpetuo amittant; Monachi vero voce careant in æternum. ANNUS 1295

4. « Conceditur Priori Repausatorii quod D. Stephanus qui fuit de Ordine Prædicatorum possit fieri Vicarius. Item inhibemus sub pœna Ordinis amittendi Joanni de Vernays et Guillelmo de Sapeto monachis ejusdem Domus, ne eant personaliter ad Dominam Delphinam; neque literas vel nuntium ei mittant. » Hactenus Ordinationes.

« Illustri viro domino Ludovico, regis Siciliæ filio, conceditur fraternitas Ordinis. » Hic est sanctus Ludovicus Caroli II regis Siciliæ filius, qui cum per annos septem Barcinone in Catalonia captivus fuisset detentus, hoc præsenti anno liberatus, sancti Francisci habitum suscepit; Romamque statim petens per Majorem Cartusiam forsan transiit, ubi præfatum beneficium spirituale petiit et obtinuit.

Ludovico Regis Siciliæ filio conceditur Ordinis fraternitas.

JESU CHRISTI

ANNUS 1296.

Bonifacii PP. VIII	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 213.	Ann. 20.

GUILLELMUS EPISC. GRATIANOP. A SE DONATA CONFIRMAT.

I. ANNO a partu Virginis millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, Indictione nona, Guillelmus episcopus Gratianopolitanus donationes quasdam ante aliquot annos Domui Cartusiæ a se factas in hunc modum confirmat :

« Nos G. divina miseratione episcopus Gratianopolitanus notum facimus, etc., quod nos, jam sunt fere viginti anni, dedimus et concessimus et iterum damus et concedimus perpetuo religiosæ Domui Cartusiæ decimas accipiendas perpetuo et sibi retinendas super terris et feudis omnibus dictæ Domus ubicumque sint in territorio.... sive propriis sumptibus sive per alios quoscumque colantur, nunc vel in posterum. Quam donationem fecimus et facimus nomine eleemosynæ. Et Prior qui tunc erat nobis gratis obtulit pelles. . . . . In cujus rei testimonium et munimen sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXXVI, mense Augusti. »

DOMUS CURERIÆ FUNDATUR.

II. Hoc anno fundatur Domus Cureriæ in Delphinatu et diœcesi Gratianopolitana, in montibus Cartusiæ intra ejus antiquos limites, et ab eadem versus occidentem una circiter leuca distans. A plerisque modo appellatur Cureria, licet in capitularibus Chartis et Cartusiæ cartulario aliisque vetustis monumentis, aliquando Coureria, Corrueria et Corriera, sed sæpius Coreria dicatur. Verum sive Cureria sive aliter

Unde illi hoc nomen.

appellanda sit, certum est hoc illi nomen fuisse a montibus agnominibus inditum, quos Guigo legislator noster a vicinis quibusdam Nobilibus anno 1130 consecutus fuerat, expulsis prius a S. Hugone episcopo aliquibus gyrovagis Eremitis, ut eodem anno fusius diximus. ANNUS 1296

Amblardus de Intermontibus fundator.

Cum igitur vir venerabilis Amblardus de Intermontibus, ecclesiæ sanctæ Catharinæ prope Aquambellam tunc præcentor, Domum Ordinis vellet erigere, locum ad eam extruendam aptum petiit a Bosone Priore Cartusiæ, qui congregato pro more horum temporum privato Capitulo, potestatem accepit præfato viro locum tradendi quem huic operi magis idoneum judicaret. Extant super his litteræ a Prioribus ejusdem Capituli sub sequenti tenore conscriptæ :

Locum obtinet a Conventu Cartusiæ.

« Notum sit omnibus præsentem litteram inspecturis quod anno Domini MCCLXXXXVI, feria quarta post festum Sancti Martini, Priores Cartusiæ, Portarum, Excubiarum, Sylvæ benedictæ et Montismerulæ una cum Conventu Cartusiæ pro privato Capitulo congregati, ordinaverunt, voluerunt et consuluerunt, quod Prior et Conventus Cartusiæ recipiant et acceptent eleemosynam et donationem quam vir venerabilis dominus Amblardus de Intermontibus præsentavit Ordini et Domui Cartusiæ supradictæ, et ejus piis precibus condescendant de loco ei communicando infra terminos suos et de domo ædificanda in eodem loco, scilicet Corrueriæ, et perpetuo tenenda, sicut ipse dominus Amblardus devotissime cum magna instantia postulavit. Et quia dignum est gratiis responderi; pro loco per quem dictus Prior et Conventus Cartusiæ ad dictum opus communicabunt, et pro labore non modico quem pro dicto opere sustinebunt, et periculo expensarum quod (nisi Deus avertat) in sustentationem Domus poterunt sustinere, et potissime hac de causa, ut in dicto loco Religio arctius et melius observari valeat tam in capite quam in membris, dispensatum est de gratia speciali et ordinatum et concessum per prædictum Capitulum privatum, quod in dicta Domo fundanda, et ipsa cum fuerit fundata, semper Prior Cartusiæ (qui pro tempore fuerit) Priorem instituat, et

ANNUS 1296

de consilio Conventus sui, cum justum et expediens sibi videbitur, amovere valeat, et semper plenam visitationem et correctionem ibi habeat tam in capite quam in membris. Et nihilominus dicta Domus subsit Capitulo generali professionem faciendo et sicut cæteri Priores Ordinis obedientiam promittendo, et subdita sit Visitationibus Ordinis generalibus, sicut et totus Ordo. Et hospites ad eam, nisi a Priore Cartusiæ, non valeant destinari. In cujus rei testimonium et munimen nos prædicti Priores sigilla Domorum nostrarum præsentibus duximus apponenda. Datum ut supra. »

PECUNIAS LARGITUR AD CONSTRUENDAM DOMUM.

III. Statim ut talis potestas fuit Bosoni facta, per eum et Cartusiæ Conventum duæ Curreriæ ad novam cartusiam ibidem ædificandam Amblardo assignantur, scripto amplissimo Instrumento in quo hæc potissimum pacta et conditiones leguntur : « Primum, quia idem vir venerabilis et discretus dominus Amblardus de Intermontibus præcentor non est expertus circa talia ædificia, rogavit humiliter et devote virum venerabilem et religiosum dominum fratrem Bosonem Priorem Domus Cartusiæ, ut quia in talibus est expertus, curam ædificiorum prædictorum faciendorum (quæ vult completa esse infra quinquennium) in se suscipiat, recepto a dicto domino Amblardo certo pretio, pro quo tam ecclesiam decentem quam cellas et alias domos necessarias, libros, calices, ornamenta, et alia habitatoribus ibidem necessaria secundum communem modum Ordinis sui debeat infra dictum tempus laudabiliter complevisse ac etiam providisse, et tredecim Monachos perpetuo ibidem ponere cum Conversis necessariis. Pro quibus omnibus ut supra complendis et providendis, promittit idem dominus Amblardus dare et solvere mille quingentas libras bonorum et legalium denariorum viennensium, monetæ Sabaudiæ nunc currentium per Sabaudiam, dicto Domino Priori aut ipsius certo mandato apud Chamberiacum per terminos.... Cui petitioni dictus dominus Prior acquiescens, nolensque, labori proprio parcendo, tam pium opus ob sui negligentiam imperfectum remanere, illud in se suscipit et acceptat; et dicta ædificia et omnia et supradicta singula,

Structuræ curam committit Priori Cartusiæ.

ut præmissum est, infra dictum tempus facere et complere promittit. Volens insuper idem dominus Prior, et per pactum interpositum concedit dicto domino Amblardo solemniter stipulanti, quod si prædicta omnia minus decostaverint quam sit pretium supradictum, quod tantum minus idem D. Amblardus solvere teneatur. Super quibus costamentis vult idem dom. Amblardus stari et credi omnino verbo simplici dicti domini Prioris et successorum suorum Priorum.

ANNUS 1296

« Sed quia parum esset vel inutile Domum et ecclesiam ædificari et Monachos cum Conversis et servitoribus necessariis ibidem institui, nisi haberent unde possent perpetuo, congrue et secundum morem dicti Ordinis sustentari : ideo idem dom. Amblardus promittit dare, assignare et affectare ducentas libras viennenses monetæ Sabaudiæ annui reditus pro sustentamentis necessariis, super rebus bonis et sufficientibus cum dominio dictarum rerum infra quinquennium supradictum. Promittit vero idem dom. Prior dicto dom. Amblardo, quod faciet et curabit cum effectu quod Capitulum generale Cartusiæ et Conventus Domus Cartusiæ in prædicto Capitulo generali prædicta omnia laudabunt et confirmabunt. Concedit insuper dictus dom. Prior dicto domino Amblardo præsenti et devotissime requirenti, ut in cœmeterio dictæ Domus de novo fundandæ suum tumulum habeat, et ibi sepeliatur cum ipsum contigerit finire dies suos, etc. Actum apud Coreriam in grangia Domus Cartusiæ ubi testes interfuerunt vocati et rogati, viri venerabiles et religiosi dom. Guichardus Prior Montismerulæ Ordinis Cartusiensis, dom. Simeon de Vacantia, dom. Petrus Faverii monachi dictæ Domus Cartusiæ, magister Joannes Valerii de Salino physicus ; anno MCCLXXXXVI, Indictione nona, septimo Calendas Decembris. »

Dotem pro Monachis decernit.

Sepulturam eligit in cœmeterio novæ Domus.

De hac Domo iterum post tres annos dicemus.

IV. Hoc anno per Chartam Capituli generalis præcipitur ut « oretur pro pace Regum Franciæ et Angliæ, et Principum hujus terræ (nempe Sabaudiæ et Delphinatus), et totius Ecclesiæ ; et dicatur in singulis Domibus una Missa de Spiritu Sancto, et Conversi centum *Pater noster.* »

PRECES PRO PACE INDICUNTUR.

ANNUS 1296

Nullæ generales Ordinationes hoc anno edicuntur; sed quædam solum circa quorumdam Monachorum statum disponuntur, ex quibus hoc unum notabile est:

« Inhibemus D. Joanni de Brollio, qui est in Domo Allionis, ne de cætero de medicina se intromittat, nisi forsan in seipso; et si Visitatores eum invenerint inobedientem in hac parte, alibi illum mittant. »

Medicinæ exercitium prohibetur.

Idem omnibus per Antiqua Statuta prohibetur, sed nulla pœna Statutum hoc infringentibus infligitur, quæ tamen satis gravis imponitur per Chartam Capituli generalis in Domo Seizensi anno 1397 tempore schismatis celebrati, in qua sic legimus : « Ordinamus, prout etiam Statuta nostra volunt, quod nulla persona Ordinis exerceat in extraneos medicinam; qui contra fecerit sit in disciplina criminosorum ad Ordinis voluntatem : declarantes quod in dictam disciplinam non incidant illi qui darent unguentum vel oleum vel alias unctiones vel similia. » Nec solum id fieri circa extraneos moderna Statuta prohibent, sed etiam circa Nostros, nulla tamen infligitur inobedientibus pœna. Hujusmodi vero prohibitiones Summorum Pontificum decretis consentaneæ sunt, qui Religiosos non debere leges audire et medicinam exercere statuerunt.

JESU CHRISTI

ANNUS 1297.

Bonifacii PP. VIII.	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 214.	Ann. 21.

I. ANNO a Christo nato, millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, Indictione decima, quo in Majori Cartusia obiit Guigo de Ponte ejusdem Monachus ac R. Patris Bosonis *comprofessus,* ut vulgo dicimus, eo quod eadem die vota emiserat anno 1271. Fuit Guigo doctus ac pius, tractatumque *de Vita contemplativa* edidit, a quibusdam magno Guigoni quinto Priori perperam attributum, ut ostendimus anno obitus illius. A plerisque Guido nominatur, sed in Cartusiæ Cartulario dicitur Guigo, sicut et in Charta anni sequentis ubi ejus obitus his verbis designatur : « Obiit quarto Calendas Novembris D. Guigo de Ponte Monachus Cartusiæ, qui habet monachatum per totum Ordinem. » Ex quo beneficio satis aperte colligitur virum fuisse inter Nos spectabilem. Ejus Tractatum Dionysius noster citat sub nomine Guigonis de Ponte Domus Cartusiæ monachi, in libro secundo *de Contemplatione.* Et in Montis Dei codice idem cognomen de Ponte exprimitur; sed pro Guigone Guido vocatur, diciturque Cartusiæ Monachus. Theophilus Spizelius in *Specimine novæ bibliothecæ universalis* meminit cujusdam Guidonis quem dicit Prophetiam Abacuch interpretatum fuisse. « Abacuch prophetiam, inquit, commentariis illustrarunt omnes universæ Scripturæ sacræ interpretes, et qui duodecim Prophetas minores potissimum exposuere : Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, etc., *Guido*

GUIGO DE PONTE SCRIPTOR MORITUR.

Vid. an. 1136.

Ex ch. 1298.

Dion. Cart. de Contempl. l. 2. art. 11.

Cartusianus, Alexander Halensis, etc. » Hæc Spizelius qui plures alios recenset, inter quos cum nostrum Dionysium non nominet, hinc suspicor Guidonem pro Dionysio typographi errore scriptum fuisse.

INITIA DOMUS GENUENSIS.

II. Hoc anno incœpit cartusia S. Bartholomæi de Ripariolo in Liguria, prope Genuam urbem episcopalem ex primis Italiæ, quæ in nostris capitularibus Chartis Janua semper nominatur. Ab ea distat hæc Domus inter occidentem et septentrionem ad quartum milliare, non procul ab amne Pocevera, sita in pago Ripariolo sive Riparolio unde ei nomen; dicata vero sancto Bartholomæo apostolo ex pietate sui fundatoris, nobilis viri Bertholini de Nigro, Genuensi patritio, qui eam præsenti hoc anno obtulit, ut noster Molinus his verbis refert :

Bertholinus de Nigro fundator.

« Anno Domini 1297 perillustris D.D. Bertholinus de Nigro patritius, non immemor beneficiorum ab Ordine sacro Patrum Cartusianorum, in remedium animæ suæ et suorum concessit venerabili Domno Oberto monacho professo cartusiæ Casularum, ad id delegato per Reverendum Patrem D. Bosonem Priorem Majoris Cartusiæ totiusque Ordinis Generalem, et per Conventum dictæ Cartusiæ per litteras datas ibidem anno 1295, quamdam terram cum domibus sitam in villa Riparolii vallis Pulciferæ diœcesis Genuensis cum suis pertinentiis, ad ædificandam in ea ecclesiam sub titulo S. Bartholomæi apostoli, et monasterium in quo sex Monachi sacerdotes residerent, et Conversi tres, et alii servientes. Quam quidem terram cum domibus septingentarum librarum pretio habitam auxit aliis libris mille trecentis; ita ut inter bona stabilia et pecuniam numeratam, dicta concessio ad librarum bis mille summam pervenerit; quæ quidem pecunia in sola ædificii censtructione expendi deberet. Volens propterea jura patronatus dictæ ecclesiæ et monasterii in se retinere, et dici ejusdem dominus et fundator. » Hactenus Molinus, qui ea videtur exsumpsisse ex fundationis instrumento.

Idem fundationis annus, in Patrum Genuensium epistola ad nos ante annos aliquot transmissa, designatur his verbis :

« Monasterium cartusiæ Genuæ fundatum fuit a nobili domino Bertolino de Nigro cive Januensi, anno a Nativitate Domini 1297, die 9 Julii, exiguis tunc reditibus, quod postmodum paulatim excrevit in eum statum quo nunc est, etc. » Anno sequenti de hac Domo et illius fundatore Capituli generalis Charta mentionem sic facit : « Ad instantiam domini Bertolini de Janua, conceditur Priori illius Domus novæ quod possit vocare D. Guillelmum de Turre qui est in Domo S. Bartholomæi (de Trisulto), mittendo sibi licentiam nostram ; alioquin possit accipere in Domibus Lombardiæ unum quem maluerit Monachum cum pace personæ, et duos Conversos vel Redditos.... carpentarios, unicum tamen in una Domo sumendo et autoritate Capituli compellendo, excepta Domo Montisbenedicti. Et volumus et præcipimus D. Savanico (forte Salvatico) monacho Vallis Pexii, ut mittat uxori domini Bertolini librum emptum de pecunia ejus, vel pecuniam solvat solidos quadraginta, etc. »

ANNUS 1297

In charta ann. 1298.

Porro Nigrorum familia, ex qua præfatus Bertolinus ortum duxit, a quinque sæculis claruisse Petrus Pizarus probat, qui ad annum 1204 Nicolai (alias Guillelmi) Nigri bello clarissimi meminit. Anno quoque 1257 Jacobus Nigrius triremium Genuensium dux florebat ; sicut et paulo post Otholinus Nigrius nostri Bertolini forsan pater, Genuensis Senator, qui anno 1267 tanquam consiliarius et collega Lucæ Grimaldo, classis novæ a Genuensibus contra Venetos emissæ ducis, adhibitus est. Multos alios, qui sequentibus sæculis floruerunt, recenset suis in Genealogiis Hieronymus Henninges.

Quæ fuerit Nigrorum familia.

Petr. Pizar. lib. 2. de bello Pisano.

Idem, lib. 1. de bello Veneto.

III. Cartusienses in hac celebri civitate nacti sunt benefactores plurimos, inter quos isti nostris in Chartis reperiuntur :

BENEFACTORUM NOMINA EX CHARTIS CAPIT. GENER.

Dominus Joannes[a] Salfy, magnus benefactor Domus Januæ et Ordinis, laicus. Antonius[b] Grillus. Alaranus[c] de Auria. Magnificus[d] Christophorus de Spinolis et magnifica Petra de Spinolis. Nobilis Ælianus[e] Spinula de Luculo. Hilaris[f] Gentilis protonotarius Apostolicus, nobilis vir Hugolinus Usumaris et Agnes de Nigrono, magni benefactores dicuntur in

[a] Ex ch. 1373.
[b] Ex ch. 1400.
[c] Ex ch. 1412.
[d] Ex ch. 1448.
[e] Ex ch. 1473.
[f] Ex ch. 1512.

ANNUS 1297

[a] Ex ch. 1519.
[b] Ex ch. 1521.
[c] Ex ch. 1523.
[d] Ex ch. 1530.
[e] Ex ch. 1531.
[f] Ex ch. 1537.
[g] Ex ch. 1548.

eadem Charta. Nicolaus[a] Calvus canonicus Beatæ Mariæ Vinearum in Janua. Nicolaus[b] de Bonos licentiatus in legibus, Nicolaus de Oderico et Andreas Rissolus. Clarisseta[c] de Auria, Joannes Baptista Spinola[d]. Bartholomæus[e] de Franchis. Magistri[f] domini Thomas Bigna et Bartholomæus Babianus. Venerandus[g] dominus Augustinus Verme. Generosus Christophorus Spinola, dominus de Serrevalle, ex eadem Charta.

Respublica Genuensis Nostris benefica.

Ab illustrissima Republica Genuensi Nostri quoque multa beneficia receperunt, unde ab anno 1519 preces annis fere singulis per totum Ordinem indictæ sunt « pro prospero successu illustrissimæ Januæ Dominationis. » Nunc vero serenissimus illius Dux in qualibet Charta commemoratur.

DECRETA HUJUS ANNI.

IV. In præsentis anni Comitiis « pro recommendatis a Capitulo Ecclesiæ Lugdunensis præcipiuntur duæ Missæ, una de Spiritu Sancto, alia de B. Maria. »

Inter ordinationes hæ leguntur : « Statutum illud quo dicitur quod petentibus litteras de non repetendo non servetur locus ultra XV dies, intelligimus quod elapsis XV diebus, Domus de qua egrediuntur ultra sibi non teneatur, nisi iterum ibi reconcilientur per Capitulum generale.

« Item ordinatum est per Diffinitores Cap. generalis quod in Domo Monialium Priorissa sola promittat obedientiam Vicario, et Moniales promittant obedientiam tantummodo Priorissæ. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1298.

Bonifacii PP. VIII	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 215.	Ann. 22.

GUILLEL. EP. GRATIANOPOL. MONACHOS PORTARUM PROTEGIT.

I. SEQUITUR annus a Virginis partu millesimus ducentesimus nonagesimus octavus, Indictione undecima, quo Guillelmus episcopus Gratianopolitanus tamquam generalis privilegiorum Ordinis Cartusiensis conservator a Summo Pontifice constitutus, Priorem Ordinati Ordinis sancti Ruffi illiusque famulos, licet suæ jurisdictioni non subditos, excommunicationis fulmine mulctare minatur, ni damna Domui Portarum illata quam citius resarciant. Nam paulo ante, præfatus Ordinati Prior violentas in Petrum Portarum Priorem manus injecerat, Domus necaverat pecora, multasque alias Nostris intulerat injurias, quas præfatus Episcopus suis in litteris ad Ecclesiarum Prælatos in gratiam dictæ Domus scriptis sic enumerat:

« Guillelmus Dei gratia Gratianopolitanus episcopus, conservator generalis privilegiorum Cartusiensis Ordinis ab Apostolica Sede indultorum, omnibus Archidiaconis, Decanis, Abbatibus, Prioribus, presbyteris et aliis ecclesiarum Prælatis, necnon et clericis cæteris ad quos præsens mandatum pervenerit, salutem in Domino sempiternam. Cum Prior et Conventus Domus Portarum Cartusiensis Ordinis, Lugdunensis diœcesis, nobis gravi conquestione monstraverint quod Prior Ordinati, Ordinis sancti Ruffi Valentiæ, et homines sui sub ipso in Ordinato commorantes, contra tenorem suorum privilegiorum quamplurima eis jamdiu irroga-

ANNUS 1298

Violentiæ Prioris Ordinati in Domum Portarum.

verint gravamina, injurias et damna, et adhuc Domui suæ manifeste irrogare quotidie non cessent, videlicet: notorie et publice terminos Domus suæ, ab antiquo autoritate Summi Pontificis limitatos et ejusdem autoritate confirmatos, terras etiam, [quæ] a diebus a quibus non extat memoria tenuerunt et excoluerunt pacifice, violenter et cum armis frequentius invadendo et occupando minus juste, fructusque dictarum terrarum, Dei timore postposito, rapiendo et pluries detinendo, sua possessione (quantum in se est) eos dispoliando, animalia sua inter terminos eorum ab antiquo limitatos contra consuetudinem et usum violenter intromittendo; animalia vero de Portis de pascuis propriis dictæ Domus expellendo frequentius et fugando, boves et arantes terras proprias amovendo, insuper blada et frumenta depopulant et vastant, animalium multitudinem in dictis bladis malitiose intromittendo; in tantum quod dictam Domum bene usque ad decem sextarios bladi existimatur communiter damnificasse. Item dictus Prior in Priorem Portarum suum prædiatorem publice manus violentas injecit, ita quod Priorem ad terram prostravit. Item in pascuis de Portis propriis animalia eorumdem verberavit, vulneravit, occidit; cultores terrarum de Portis sæpius vadiavit, ipsos impedivit, cum in nullo ei tenerentur. Item cum per Indulta Sedis Apostolicæ sui homines vel alii ædificia construere non possint nec debeant, quam plurima contra sua Indulta construxerunt. Et cum sit eis indultum ne infra suos terminos mulieres debeant habitare, nihilominus tamen, ipsis contradicentibus, infra eorum terminos habitant quam plurimæ. Item homines sui sine voluntate eorum de Portis et consensu, essarta fecerunt frequentius et faciunt in præjudicium dictæ Domus infra terminos ejusdem, ubi sibi nihil juris possunt vindicare: videlicet prædictus Vachier, Amedeus frater ejus, Joannes Gebennensis dictus Flacars, Guillelmetus, Guifredus et Joannes fratres, et quam plures alii.

Censura Ecclesiastica comprimuntur

Quia igitur tam gravia damna, cum sint notoria et contra Domus Portarum indulta, non debeamus surdis auribus per-

transire nec impunita relinquere, vobis omnibus et singulis ad quos præsens mandatum pervenerit, autoritate nostra, imo potius Apostolica in hac parte nobis commissa, sub pœna excommunicationis quam ex tunc in singulos vestrum ferimus, si negligentes aut remissi fueritis cum a Priore Portarum vel ab ejus nuntio singuli vestrum fueritis requisiti, præcipiendo mandamus quatenus dictum Priorem de Ordinato et suos homines sub ipso in Ordinato commorantes (prout vobis expresse fuerint nominati) seu alios quoscumque, gravamina vel injurias manifestas seu notorias dictæ Domui inferentes, moneatis in primo, secundo, et tertio publice, ut ab injuriis, gravaminibus et damnis illorum de Portis desistant de cætero et quiescant, et gravamina singula superius expressa emendent et corrigant, et ad arbitrium Prioris et Conventus satisfaciant competenter infra quindecim dies post monitionem eisdem a vobis factam; et ad hoc teneamini toties quoties fueritis requisiti. Alioquin si moniti a gravaminibus prædictis illatis seu inferendis desistere nollent aut satisfacere recusarent, ipsos ex nunc in his scriptis excommunicamus autoritate Apostolica; et diebus Dominicis et festivis excommunicatos ipsos denuncietis. Volumus insuper sub pœna antedicta, quod in exponendo præsens mandatum alter alterum non expectet. Datum anno Domini MCCLXXXXVIII, feria quarta post festum S. Barnabæ apostoli. » ANNUS 1298

II. Ineunte præsenti anno, Martinus de Viriaco monachus abbatiæ sancti Petri Viennensis et abbas depauperati monasterii Calesiensis, ante paucos annos præfato Viennensi cœnobio nescio quibus viis subjecti, villam (sive ut vocamus grangiam) dictam Foresta ad dictam Calesiensem Domum spectantem, nobili Aymaro de Bellovisu, creditoribus suis utcumque satisfaciendi gratia, nongentis libris distraxit. Consensit alienationi Abbas et Conventus sancti Petri, quod mole debitorum oppressi Calesienses non possint aliter sublevari. Id apertius ex ipso Instrumento innotescet : BONA ABBATIÆ CALESIENS. DISTRAHUNTUR.

« Universis Christi fidelibus . . . . magister Michael Francisci officialis Curiæ Viennensis, rei gestæ notitiam cum salute.

ANNUS 1298

Guillel. Ep. Diensis, olim abbas Calesii.

Universitati vestræ volumus fieri manifestum, quod coram mandato nostro Joffredo Torvini notario . . . . . et in præsentia Rev. in Christo P. Guillelmi divina providentia Valentinensis et Diensis episcopi, abbatis quondam monasterii S. Petri Viennæ, constitutis venerabili et discreto viro domino Martino de Viriaco abbate monasterii Calesii Gratianop. diœcesis, monacho dicti monasterii sancti Petri, cui monasterio S. Petri subest et subjectum est dictum monasterium Calesii, ac nobili viro domino Aymaro de Bellovisu domino Villænovæ de Malco : idem dominus Abbas Calesii in veritate asserens se ratione dicti monasterii Calesii et ipsum monasterium Calesii oppressos fore tanto gravi et importabili onere et mole debitorum urgentium et currentium sub usuris, adeo quod nisi in brevi creditoribus suis de debitis in quibus sunt ex pluribus justis causis obligati, satisfactum fuerit, prædictum monasterium Calesii propter usurarum voraginem est quasi penitus periturum. Et cum dictus Abbas et Conventus dicti monasterii Calesii plures tractatus varios et diversos inter se habuerint, qualiter possent in præmissis adhibere remedium : nullam tamen viam invenire potuerunt per quam possent liberari de prædictis debitis et usurarum voragine, nisi quod dictus Abbas vendat et alienet in perpetuum grangiam de Foresta in diœcesi Bellicensi. Cum dicti Abbas et monasterium Calesii non habeant aliqua bona mobilia vel se moventia, et reditus et proventus dicti Monasterii sunt adeo tenues et exiles, ut vix sufficiant ad sustentationem servitorum.

Abbatia Calesii ære alieno oppressa.

Villa Forestæ venditur Aymaro de Bellovisu.

« Prædictus igitur Abbas Calesii considerata et pensata diligenter utilitate sua. . . . . . sponte, scienter ac provide pro se et suo Conventu. . . . vendit, et titulo puræ et perfectæ venditionis tradit. . . . . dicto domino Aymaro majus pretium offerenti, etc., dictam grangiam de Foresta. . . . . . . Hujus autem venditionis pretium est novies centum libras viennenses, quas dictus dominus Abbas ad requisitionem dicti domini Aymari recognoscit se habuisse et recepisse. . . . . Nos vero dictus Officialis, intellecto per plurimos fide dignos in prædi-

ANNUS 1298

ctis utilitatem dicti monasterii Calesii factam esse supradictam venditionem. . . . . . . autoritatem nostram judicialem interponimus et decretum. Datum Viennæ, XII Calend. Februar., ann. MCCLXXXXVIII. Item eodem anno, undecimo Calend. Februar., constitutis coram dicto Notario prædictis domino Abbate Calesii, domino Aymaro, et Conventu S. Petri, videlicet fratribus Petro de Marcello Priore claustrali, Guillelmo Alamandi Priore de Mura, Pontio Maleti camerario, Joanne de Antysone eleemosynario (et aliis monachis numero 35 in eisdem litteris recensitis) in Capitulo congregatis, dictus Conventus dictam venditionem. . . . approbat, ratificat, acceptat. . . . Item eodem anno Calendis Februarii, venerabili domino Jocerando Dei gratia electo dicti monasterii S. Petri, constituto coram dicto Notario, idem dominus Electus prædictam venditionem. . . . . confirmat, etc. In quorum testimonium nos dictus Officialis. . . . . sigillum nostræ Curiæ apponimus huic chartæ, etc. Idem fecerunt prædicti Episcopus et Abbates. »

Venditionem approbant abbas Calesii et Conventus S. Petri Viennensis.

Item Jocerandus novus abbas S. Petri.

Paulo post, aliud Instrumentum coram eisdem partibus confectum est, quo dominus Aymarus abbati Calesiensi quinquennium concedit ad redimendum eamdem grangiam. Ad instantiam igitur ejusdem Abbatis et Guillelmi episcopi Gratianopol. et aliorum amicorum pecunias suppeditantium, Boso Prior Cartusiæ abalienatam grangiam ab emptore prius per Abbatem vindicatam, numerato pretio, nomine Cartusiæ comparavit, ut fusius post quinque annos dicemus.

Tempus redimendi conceditur.

III. Circa hæc tempora obiit Stephanus Prior Domus Luvigniaci, natalium splendore clarissimus. Fuit enim filius Humberti hujus nominis tertii, domini de Thoire et de Villars, et Beatricis Ducis Burgundiæ filiæ ; sed spretis seculi deliciis inter Cartusienses Christi pauperes adscriptus est : deinde aliquot annis in solitudine transactis, ob mores laudatissimos dictæ Domui Luvigniaci præfectus, cum aliquando ad generale Capitulum ascendisset, inde rediens per parthenium Poletense ubi duas ex fratre neptes Moniales habebat, ibidem morbo correptus diem extremum clausit ; die 28 Julii ut con-

STEPHANUS DE VILLARS PRIOR LUVIGNIACI MORITUR.

ANNUS 1298

stat ex præfatæ Domus Luvigniaci Calendario, et ex ejus epitaphio quod lapidi sepulchrali inscriptum, in cœmeterio dicti parthenii etiamnum his verbis legitur : « Hic jacet Domnus Stephanus de Villars, Prior Domus Luvigniaci Ordinis Cartusiensis, qui obiit anno Dom. MCC. . . . IV Cal. Julii.»

ORDINATIONES CAP. GEN.

IV. Generale hujus anni Capitulum tales fecit constitutiones :

1. « Ordinamus et volumus et mandamus quod quicumque a correctione appellaverint, teneant ordinem ; et hoc Priores faciant firmiter observari.

2. « Ordinamus et volumus quod Clerici Redditi, in illis casibus in quibus Conversi amittunt barbam et cellam, ex nunc puniantur ; et quod nunquam portent nisi cappam griseam, et caputia habeant ad modum Novitiorum, dimidiamque tortam panis Monachorum cum pane familiæ tantummodo in qualibet septimana. Et idem dicimus de Laicis Redditis suo modo.

3. « Ordinamus et volumus omnibus modis quod quælibet Domus custodiat deposita sub duabus vel tribus clavibus, quarum unam custodiat Prior, et aliam vel alias quibus dignum duxerit committendum.

4. « De antiqua consuetudine Ordinis et approbata est quod Priores *petant misericordiam*. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1299.

Bonifacii PP. VIII	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 5.	Ann. 216.	Ann. 23.

I. EXURGIT annus salutis nostræ millesimus ducentesimus nonagesimus nonus, Indictione duodecima, quo Amblardus de Intermontibus novæ Domus Coreriæ erector, de ducentis libris annuis quas ante tres annos in illius dotem promiserat, mediam partem hoc anno assignavit, scriptis sequentibus tabulis:

AMBLARDUS FUNDATOR CORRERIÆ DOTEM ILLIUS ASSIGNAT.

« Anno Domini MCCLXXXXIX, Indictione duodecima, duodecimo Calendas Februarii. Cum vir venerabilis dominus Amblardus de Intermontibus præcentor ecclesiæ S. Catharinæ prope Aquambellam, teneatur assetare et assignare viro venerabili et religioso Domino Priori Cartusiæ ducentas libras viennenses annui reditus pro sustentatione Monachorum et aliorum servitorum, positorum et instituendorum et ponendorum in Domo religiosa Coreriæ Ordinis Cartusiæ, prout hæc plenus continentur in quodam publico Instrumento. . . . Idcirco idem dominus Amblardus volens adimplere promissa, gratis ac voluntate sua spontanea, plene instructus ut asserit de jure et de facto. . . . . . in assetamentum et solutum centum librarum ex dictis ducentis libris viennensibus annui reditus assetandis prout superius continetur: donat pro ipsius animæ remedio, donatione mera, pura, simplici et irrevocabili inter vivos; assignat, assetat et assidet de mero, puro et franco allodio viro venerabili et religioso Dom. Simeoni Priori dictæ Domus Coreriæ præsenti. . . . et mihi

Simeon Prior.

ANNUS 1299

Notario. . . . res, bona, jura, servitia infra scripta. In primis quamdam petiam terræ et vineæ continentem circa quater centum fossoyratas, etc... Item novem vaysellos frumenti de servitio annuali. . . . Actum Chamberiaci in domo dicti domini Amblardi, ubi testes interfuerunt vocati et rogati : venerabilis vir et religiosus Dominus Guichardus Prior Montismerulæ, Ordinis Cartusiæ, dominus Andreas Cusini curati Chamberiaci, Jacobus Armandi burgensis Chamberiaci,etc. »

Idem Amblardus fuit Episcop.Maurianensis.

Ex his patet Amblardum nondum fuisse Maurianensem episcopum, licet quidam tempus Sedis illius assignent annum 1295. Sammarthani vero annum ponunt 1300, sed successorem ei tribuunt Aymonetum ad annum 1303 ; quod si ita est, debuit Amblardus episcopatum diu ante mortem abdicare. Adhuc enim vivebat anno 1306, quo undecim libras viennenses, quindecim solidos et tres denarios, iterum assignavit in diminutionem centum librarum restantium de ducentis in dotem promissis ; et in litteris Maurianensis Episcopus dicitur, sicut et in suo testamento condito 15 Calend. Maii anni 1308. Quo quidem testamento in suæ complementum fundationis legavit octingentas libras viennenses, ex quibus possessiones multæ comparatæ sunt. Et præterea mille libras ejusdem monetæ pro censibus annuis acquirendis Capitulo generali legavit ; a quo centuplum meruit accipere, id est tricenarium perpetuum, quod per totum Ordinem circa festum sancti Marci evangelistæ singulis annis celebratur. In hujus festi vigilia eodem anno decessisse probatur ex Charta proxime sequentis Capituli generalis, in qua legitur : « Octavo Calendas Maii obiit dominus Amblardus episcopus Maurianensis, qui habet plenum monachatum per totum Ordinem pro Domo Coreriæ quam fundavit ; et conceditur ei tricenarium per totum Ordinem singulis annis tamquam bene merito faciendum. »

Quando mortuus.

Ex charta anni 1308.

CORRERIÆ BENEFACTORES.

II. Amedeus comes Sabaudiæ primus fuit hujus Domus benefactor. Aymo filius ejus anno 1333 tutelares litteras concessit.

Humbertus Vetone de Scalis Missam de B. Maria fundavit

qualibet die in hac Domo celebrandam, pro qua dedit centum solidos grossorum turonensium cum *O rotundum* anno 1321, pro se et suis, et ut unus Monachus esset continuus intercessor pro eis. ANNUS 1299

Guillelmus Burdini de Voirone anno sequenti dedit duos bichetos frumenti.

Falco Benardi, anno 1333, dedit quoddam molendinum et baptitorium in aqua Morgiæ.

Petrus de Cordone sacerdos ; Helianus, Franciscus et Joannes fratres ejus, Astenses ; Guionetus Marchis et Guillelmus de S. Andrea inter primos et antiquos benefactores recensentur in quodam Instrumento anni 1406. Verum cum facultates tum a fundatore, tum ab eisdem benefactoribus concessæ ad vitam quatuor Monachorum sustentandam ac tuendam non sufficerent, Domus ad incitas propterea redacta Majori Cartusiæ unita est anno 1388, ut ibidem dicemus.

FUNDATIO DOMUS AUDOMAROPOLITANÆ.

III. Hoc præsenti anno, die 9 Octobris sancto Dionysio dicata, fundatur cartusia Vallis sanctæ Aldegundis juxta Audomaropolim Artesiæ urbem, olim sub Episcopo Morinensi, nunc vero ab annis centum viginti et amplius ad episcopalem dignitatem evectam. Hujus Domus initia sic ejus Monachi describunt :

Ex ms. Domus.

« Toparchæ illustres Aldegundiani, ex antiqua oriundi (ut dicitur) Francorum prosapia, suburbanum quoddam juxta Audomaropolim loci amœnitate inescati olim construxere, quod vallis S. Aldegundis castellum primitus dicebatur ; deducta appellatione a S. Aldegunde Malbodiensi virgine religiosa, cujus se gentiles Aldegundiani dynastæ credunt. In hoc loco Joannes a S. Aldegunde eques, dominus Norcamensis, et Margarita de Reynuis ejus conjux voluerunt unam Domum Ordini nostro præparare. Hujus autem castelli (quod sane caput et præcipuum domicilium familiæ Aldegundianæ censebatur) primo partem quamdam ad opus monasterii concesserunt, deinde et integrum cum ejus circuitu contulerunt ad perficiendum monasterium, quod ad honorem B. Mariæ Virginis et S. Aldegundis dicari voluere : ea solum-

ANNUS 1299

modo conditione ut ipsi fundatores cum universis successoribus dicti loci orationibus communicarent. Et quamvis ipsi conjuges solummodo pro reditibus annuis quadraginta florenos cum triginta jugeribus terræ contulerint, nihilominus eorum successores Cartusiensium sanctitate provocati, plura alia donaverunt. Quibus annitentes Domus Officiales, temporis arridente tranquillitate, effecerunt ipsam Domum in omnibus splendidam, cujus et ecclesiam sibi in mausoleum elegerunt dynastæ Aldegundiani. Modicum sacellum ab initio nacti sunt Cartusiani in hac valle, designatis nihilominus capacioris templi fundamentis. »

Diploma fundationis ad nos transmissum talem habet tenorem :

Joannes de Sancta Aldegunda fundator.

« Universis litteras præsentes inspecturis, Officialis Morinensis salutem in Domino. Cum vir providus dominus Joannes de S. Aldegunde, Norcarmæ dominus, burgensis villæ S. Audomari natus, quondam domini Joannis de S. Aldegunde patris sui testamentum adimplendo, causa fundationis et institutionis cujusdam Domus Ordinis Cartusiensis juxta villam S. Audomari in parochia de *Gohenesse* (quam quidem Domum idem dominus Joannes Vallem S. Aldegundis voluit et vult perpetuo nominari) dederit, concesserit et guerpiverit hæreditarie, voluntate, assensu et autoritate Comitis Atrebatensis, intervenientibus religioso viro fratre Petro Druncart primo Priore dictæ Domus ejusque Fratribus dicti loci tam præsentibus quam futuris, quadraginta libratas terræ annuatim in locis infrascriptis assignatas : notum facimus quod in præsentia Stephani de Cancellis clerici, in Curia Morinensi notarii, vices nostras quoad hoc gerentis, personaliter constituta domicella Margarita uxor domini Joannis de S. Aldegunde prædicti, prædictis donationi, concessioni, guerpicioni et omnibus ac singulis supradictis consensum præbuit et assensum ; promittens, juramento interposito, se de præmissis vel aliquo præmissorum ratione dotis, dotalitii donum propter nuptias, victus, eleemosynæ vel assignamenti aut alia ratione quacumque, nihil in perpetuum

Petrus Druncart, I Prior.

petituram. Recognovit etiam dicta Domicella coram dicto Notario competens excambium sibi factum esse a dicto viro suo pro dote, quæ sibi processu temporis competere posset in præmissis, videlicet ad domum in qua dicti conjuges commorantur ad præsens ex opposito ecclesiæ S. Aldegundis in sancto Audomaro; de quo assignamento se tenuit totaliter pro contenta. Renuncians expresse omni exceptioni doli, mali, rei non gestæ, de vi et metu, omnibus gratiis, consuetudinibus, constitutionibus et statutis in favorem mulierum introductis vel introducendis, omni juri dotis, dotalitii, doni propter nuptias, victus, eleemosynæ, vel assignamenti, et omnibus defensionibus juris et facti, quæ contra prædicta vel aliquod prædictorum possent objici vel opponi, et quæ dictis Religiosis aut eorum successoribus possent obesse et dictæ Domicellæ competere vel prodesse; prout hæc omnia idem Stephanus, cui fidem pleniorem adhibemus, nobis retulit viva voce. Et nos prædicta omnia et singula coram dicto Notario recognita laudamus, rata habemus et tenore præsentium approbamus, ac si coram nobis acta et recognita extitissent. Item cum dictus dominus Joannes certum usum quadrariæ suæ et sub certa forma de capite concesserit Religiosis antedictis, præfata Domicella hujusmodi concessionem quantum ad eam pertinet et pertinere poterit, approbavit et assensum suum adhibuit, et doti suæ, si quæ sibi in hoc competere posset, ad cautelam et ex abundanti renunciavit secundum quod inter cætera nobis retulit Notarius ante dictus. In quorum omnium testimonium sigillum curiæ nostræ præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini MCCC, die Martis ante festum B. Petri ad vincula. »

ANNUS 1299

Etsi præfatæ litteræ datæ sint anno 1300, hanc Domum nihilominus extructam fuisse hoc anno constat ex vetusta inscriptione in ecclesiæ laterculis, gallice exarata, quæ etiam diem festum S. Dionysii designat.

QUANDO FUNDATOR MORTUUS.

IV. Joannes fundator, vir sapiens fuit ac magnæ solertiæ, cujus opera et industria in arduis negotiis utebatur Comes, a quo et sæpe legatus est ad Reges et Principes. Cumque

ANNUS 1299 — Guido comes Compendii cum filiis a Rege Franciæ in custodia detineretur, inter obsides quos pro sua libertate Regi tradidit, noster fundator unus fuit; qui propterea Parisiis detentus ibidem mortuus est anno 1304 vel sequenti, die Februarii undecima. Ejus corpus ad cartusiam Parisiensem delatum ibidem asservatum fuit, usque dum ad hanc suam Domum transportaretur, ubi in medio chori jacet. Illius obitus in Charta denuntiatus fuit his verbis: « Domino Joanni de S. Aldegunde nuper defuncto conceditur tricenarium per totum Ordinem. »

Ex ch. 1305.

Ejus uxor. — Margarita de Reynuis ejus uxor tribus tantum annis superfuit: die 16 Maii defuncta, ad virum suum in eodem tumulo apposita est. Omnes fere eorum successores vel in ejus cartusiæ ecclesia, vel in cœmeterio sepulti sunt, inter quos recensentur:

Benefactores ex ejus familia. — Joannes de S. Aldegunde primogenitus fundatorum filius, et Maria de Lierre ejus uxor, qui in ecclesia jacent.

Guillelmus alter eorumdem fundatorum filius, sacerdos et canonicus S. Audomari, qui benefactor hujus Domus fuit; in cœmeterio quiescit, et in Chartis ejus obitus his verbis habetur: « Obiit 4 Nonas Octobris magister Guillelmus de S. Aldegunda sacerdos, frater quondam Decani Sancti Audomari, habens tricenarium et anniversarium privatum per Domos universas Ordinis. »

Ex ch. 1338.

Adenulphus tertius eorumdem filius obiit eodem anno et Adalaidis de Bosco anno 1332, in eodem tumulo simul sepulti.

GILBERTUS FILIUS EJUS FUNDATOR ECCLESIÆ. — V. Gilbertus quartus filius, sacerdos et decanus S. Audomari, multa contulit pro templi hujus Domus constructione, quam suis et fratrum pecuniis absolutam anno 1325 sequenti dedicari curavit ab Ingelramno Tarvanensi episcopo, cujus consecrationis litteras perpulchras ad nostri Ordinis laudem ipse Præsul sub forma sequenti scripsit:

« Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Ingeramnus Dei gratia Morinensis episcopus, salutem in eo qui tanquam Sponsus procedens de thalamo suo munit et

ornat Ecclesiam unicam sponsam suam. Sanctæ matris Religionis beatitudo nos admonet, ut erga illam præcipue Religionem FF. Cartusiensium pro salute fidelium in agro Domini constitutam, devotionis plenitudine foveamus. Ipsam enim, sicuti speramus et credimus, statuit Providentia in terris viam salutis et gratiæ fidelibus populis ostensuram; sicque præfulgendas viatorum semitas eminentia sui splendoris illustrat, quod ad lumen ejus, mentis puritate conversi trahantur ad viam rectitudinis ab inviis tenebris oberrantes. Sane cum viri Religiosi Prior et Conventus monasterii S. Aldegundis prope S. Audomarum nostræ Morinensis diœcesis, Ordinis Cartusiensis, qui tam arctam et laudabilem regulam elegerunt, quod quidem monasterium fundatum esse noscitur per virum nobilem bonæ memoriæ Joannem quondam de S. Aldegunde et Margaretam ejus uxorem (quorum animæ requiescant), parentes nobilis, sapientis ac magnæ prudentiæ viri domini Guilberti a S. Aldegunde decani S. Audomari, Legum egregii professoris, et ad cujus monasterii decorem et exaltationem ac possessionem ac bonorum augmentationem dictus Decanus, ejus fratres et sorores multipliciter studioseque laborarunt, et de bonis sibi a Deo collatis largissime reliquerunt et dederunt : Nobis supplicaverunt humiliter et devote quod nos eorum ecclesiam in honorem gloriosissimæ Virginis Matris, S. Aldegundis et omnium Sanctorum per prænominatos institutam et fundatam dedicare, nec non majus altare, cum duobus aliis altaribus ipsius ecclesiæ consecrare dignaremur. Nos attendentes quod ad divinæ laudis auxilium basilicæ Sanctorum in titulum eriguntur, ut in eis, quæ Domus orationis existant, suffragia bonorum implorentur, quorum præsidiis Christi fideles æternæ fælicitatis præmia consequantur; et quod etiam terrestris ecclesia cœlestis mansionis ædificium repræsentat, et in hac exhiberi debet obsequium per quod ad superna gaudia valeat aditus reparari : ea propter dictos Religiosos quos in sacrario pectoris dilectionis prærogativa portamus, in suis justis et laudabilibus petitionibus et supplicationibus confovere volentes, pie et salubriter desuper

ANNUS
1299

ANNUS 1299 informati, et ut nos orationum suffragiis ac beneficiorum spiritualium, quæ in prædicto loco per dictos Fratres ac eorum successores de cætero fient, efficiamur participes; ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei, gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus, sanctæque Aldegundis et omnium Sanctorum ac totius Curiæ cœlestis, anno Domini MCCCXXVI, die BB. Fabiani et Sebastiani, prædictam ecclesiam adhibitis solemnitatibus et consuetudinibus quæ solent, debent et consueverunt in talibus adhiberi, dedicavimus et majus altare cum duobus altaribus ipsius ecclesiæ consecravimus, divina clementia concedente. »

Ex ch. 1329 et 1331.

Obiit præfatus Gilbertus ecclesiæ fundator præcipuus, anno 1328 die ultima Maii, terræ mandatus ad latus dextrum chori cum gallico epitaphio. Ejus obitus in Charta anni sequentis sic legitur : « Obiit Domnus Gilbertus filius fundatoris S. Aldegundis habens tricenarium et anniversarium ». Sed quia dies non fuerat appositus, iterum biennio post denunciatur sub die ultima Maii, et dicitur Decanus Sancti Audomari et fundator Domus S. Aldegundis.

SUCCESSORES EJUS IN HAC DOMO SEPULTI.

[a] Ex ch. 1350.

VI. Margarita[a] de S. Aldegunde præfatorum soror habuit tricenarium per totum Ordinem post suum obitum.

Joannes nepos fundatoris mortuus anno 1363, et Beatrix domina de Wisque ejus consors decem ante eum annis defuncta, post mortem non fuerunt separati.

[b] Ex ch. 1384.

Joannes præfatorum filius et hæres jacet etiam ibidem sepultus cum Catharina[b] conjuge sua, cujus obitus in Chartis cum tricenario legitur.

Jacobus de S. Aldegunde, dominus de Noerkarmes et de Wisque, qui vivere desiit anno 1420; cujus et Margaretæ Dolart ejus consortis sepulchrum cum epitaphio adhuc visitur.

Petrus de S. Aldegunde Jacobi filius obiit ann. 1438 cum duabus suis uxoribus, quarum prior vocabatur Margareta de Selles, quæ juxta epitaphium dicitur anno 1418 obiisse; altera Bona d'Antoing, cujus obitus annus legi non potest.

Jacobus de S. Aldegunde præfati Petri filius, obiit anno 1471 in hac Domo sepultus; sed Isabella de Blondel illius

uxor anno 1479 defuncta, in collegiata S. Petri Ariensis ecclesia humata est. ANNUS 1299

Joannes de Noircames præfati Jacobi frater, cum Maria de Surene uxore in hac domo tumulatus est.

Nicolaus de S. Aldegunde defunctus an. 1497 habuit etiam in hac domo tumulum, sed Honorina de Mommorency ejus uxor apud Gasbek in Brabantia deposita est.

Joannes, Nicolai filius, ibidem quiescit cum uxore Maria de Rubenpré. Joannis obitus refertur his verbis in Charta anni 1538 : « Obiit generosus ac permagnificus dominus D. Joannes de Noircames, Cæsareæ Majestatis primus cubicularius et Domus S. Audomari fundator. »

Philippus præfati Joannis filius multæ fuit autoritatis apud Philippum secundum Hispaniarum regem, occisus fuit anno 1574 contra Hæreticos decertans; Bonæ de Lanoy matrimonio conjunctus fuit.

Maximilianus Philippi filius, comes S. Aldegundis creatur. Vir fuit armis famosissimus; obiit post annum 1600, relicto hærede Francisco, dicto Lamoval, sanctæ Aldegundis etiam comes.

VII. Præter fundatores, multi alii erga hanc Domum beneficos et amicos se exhibuerunt inter quos eminent : ALII BENEFACTORES DOMUS SANCTI AUDOMARI.

Mathildis comitissa Atrebatensis, Roberti comitis filia et Odonis Burgundiæ comitis uxor; plura in ecclesiæ constructionem contulit, duas quoque cellas fundavit et dotavit. De ea plura reservamus dicenda quando de Monachorum Gosnay Domo agemus.

Crucem cœmeterii marmoream dederunt Canonici S. Audomari ut ex inscriptione gallica colligitur, fuitque benedictum cœmeterium illud ab Episcopo Morinensi ut ex sequenti patet epigraphe : « Anno Domini MCCCV, nono Calend. Augusti, dedicatum fuit cœmeterium hujus Domus quæ vocatur Vallis S. Aldegundis, a Rev. in Christo Patre Jacobo, Dei gratia Morinensi episcopo.

Jacobus Vinez cujus obitus sic habetur in Charta : « Conceditur magistro Jacobo, dicto Vinez, benefactori magnifico Ex ch. 1332.

ANNUS 1299 Domus S. Aldegundis fraternitas Ordinis, et in dicta Domo habere beneficium quod ei Prior et Conventus duxerit concedendum. »

[a] Ex ch. 1336.
[b] Ex ch. 1341.

Domicella Clara de S. Audomaro[a]. Domicella Catharina[b] de S. Audomaro. Guillelmus de Lestanc civis Brugensis, anno 1345 defunctus ac in ecclesia sepultus. Joannes de Bambic consiliarius et civis Audomarensis, in hac Domo incerto anno sepultus. Eustachius de Fresnoy[c] sacerdos secularis.

[c] Ex ch. 1410.

Joannes Almaris cujus sepultura adhuc cernitur cum hoc epitaphio : « Hic jacet eximius Doctor Theologiæ, presbyter, magister Joannes Almaris, quondam Ecclesiæ S. Audomari canonicus, qui obiit die XII Aprilis, anno MCCCCXLVIII. »

[d] Ex ch. 1467.

Margareta[d] relicta Petri de S. Audomaro.

Matthæus Adlatus canonicus et cantor ecclesiæ cathedralis Teroanensis, in hac Domo conditus.

Joannes de Malfiance canonicus et cancellarius Teruannensis. Simon le Hardre et Joanna uxor ejus jacent inter chorum Monachorum et Conversorum sepulti.

Walerandus Pepin de quo in Charta anni 1504, inter eos qui Missas habent de Spiritu Sancto, fit mentio his verbis : « Pro honorando domino Walerando Pepin in medicinis Doctor et canonicus S. Audomari, magno benefactore Domus Sanctæ Aldegundis. » Obiit vero eodem anno die Octobris 21, et per anni sequentis Chartam habuit per totum Ordinem anniversarium.

[e] Ex ch. 1502.

Nicolaus Rembert[e], S. Audomari decanus.

Joanna Prevost Francisci Magnier uxor sepulta in Capitulo, obiit anno 1601, 10 Novembris. Margarita Magnier præfatæ Joannæ filia et Alexandri Bertrand uxor, prope matrem conditur sequenti anno quo obierat die 13 Junii.

Nobilis et clarissimus vir Judocus Carré, Catholicæ Majestatis apud S. Audomarum consiliarius, dominus de Parcheval, habuit Missam de B. Maria et Anniversarium sub die 13 Julii, ex Charta anni 1635.

Nobilis mulier Margareta le Grand, domina de Jumelle,

præfati Judoci uxor, eadem habuit beneficia sub die Martii 30, ex Charta anni 1638.

ANNUS 1299

MONIALES SALETARUM FUNDANTUR.

VIII. Eodem tempore quo Domus S. Audomari fundata est, cœpit cartusia Aulæ Beatæ Mariæ Monialium, vulgo dicta Domus Saletarum, in Lugdunensi diœcesi, in baronia de Turre, castellania de *Quirieu* et parœcia de Balma; unde et sæpius in antiquis Chartis nomen habuit Domus de Balma, in loco de *Belmondere* ad Rhodani ripam, intra Delphinatus limites sita. Ab oppido de *Lagnieu,* quod est provinciæ Bugesiæ, sesquileuca distat. Ab Humberto de Turre delphino Viennensi (non ultimo ut incaute quidam scripserunt), comite Albonensi, et Anna ejus uxore, Delphinatus hærede, fundata et ample dotata ut patet ex fundationis Instrumento, in quo inter cætera sic loquuntur fundatores :

Humbertus de Turre fundator.

Anna Delphina fundatrix.

« In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, amen. Cum Mediator Dei et hominum Dominus noster Jesus Christus, propter salutem nostram humanam elegerit formam assumere, dignatusque fuerit contra peccatorum nostrorum vulnera præceptorum suorum salutifera medicamina exponere, præcipiens nobis de iniquo mammona amicos facere, in hac præsertim miseria, a quibus mereamur recipi, cum defecerimus, in æterna tabernacula.... Ideo nos Humbertus, dalphinus Viennensis et Albonis comes dominusque de Turre, et Anna ejus uxor, filiaque inclytæ recordationis domini Guigonis dalphini quondam Viennensis et Albonis comitis, prædictorum comitatuum comitissa dominaque de Turre, et Joannes prædictorum Humberti et Annæ primogenitus, comes Tapisensis (sic), ad honorem Dei et gloriosæ Virginis Mariæ, pro remedio animarum nostrarum et totius nostri generis, in baronia nostra de Turre, in castellania castri nostri de Quirieu, in parochia de Balma, in loco vulgariter appellato de Belmontdere, monasterium quoddam de Ordine Cartusiensi duximus construendum et ordinandum, quod volumus appellari Aulam B. Mariæ, in modum inferius annotatum; videlicet quod in dicto monasterio sint perpetuo tam Monachi quam Redditi sacerdotes, etc., et unus Vicarius de Ordine Cartusien-

ANNUS 1299

si, et triginta Moniales ejusdem Ordinis, qui et quæ ibidem omni tempore Deo pro nobis et nostris serviant secundum Statuta et instituta Ordinis supradicti; volentes prædictos Monachos et Moniales cum suis servitoribus de bonis nostris ibidem perpetuo sustentari, quibus et locum et monasterium per nos constructum, cum suis pertinentiis, limitibus et confinibus damus, piaque et perpetua donatione concedimus simul et cætera bona hic annotata et designata : omniaque eidem Ordini incorporamus sub beneplacito Capituli generalis ejusdem Sacri Ordinis, in præsentia vero Fratris Hugonis primi Vicarii hujus nostræ plantationis, et sororis Mariæ (vel Annæ) ibidem Priorissæ.

Molin. Histor. Cartus. pag. 336.

1. « Quadringentos quadraginta ducatos aureos, cum tertia parte alterius ducatus, qui faciunt 1532 libras turonenses annuales, super Brigantium, Doursentium et Exchillium.

2. « Reditus Turris Pini : quadraginta duo sextaria frumenti et 18 libras, ad 120 libras reducta.

3. « Reditus Cremiaci : triginta sextaria frumenti, quindecimque sextaria secalis et avenæ; ad 135 libras.

4. « Reditus Balmæ simul et Quiriaci : ducenta sextaria frumenti, viginti quatuor secalis et avenæ, et centum quinquaginta libras; ad 1380 libras.

5. « Reditus extra Rhodanum in parte antiquæ Sabaudiæ : quadraginta duo sextaria frumenti; ad 158 libras.

6. « Nemus de Baruchim, Burnaudi, Lavaresse et La Bers; 770 libras.

7. « Avenagium S. Stephani; 84 libras.

8. « Pedagium et binghernium Quiriaci, 360 libras.

« Pro quibus pedagio et binghernio addidit ille Princeps Delphinus octo alias Moniales; inter quas allegit Princeps alias duas Moniales quibus dedit triginta solidos grossos super talliis communalibus seu generalibus. Alias tredecim ascribit in hunc numerum, pro ducentis libris superius assignatis.

9. « Grangiam de la Craz, quam permutationis gratia habuimus a domina Abbatissa S. Pauli Ordinis Cisterciensis; ad 100 libras.

10. « Terram, prata de Tyrola cum aquis et aquariis, molendinoque de Traves, cum eorum aquagio et piscatione; 67 libras. ANNUS 1299

11. « Certas pensiones usque ad summam 70 libras.

12. « Concedimus prædictis Monachis et Monialibus eorumque successoribus, quod possint piscari in fluvio Rhodani ad usum monasterii, et in omnibus aliis aquis seu fluminibus per terram nostram decurrentibus.

13. « Volumus quod omnes ex parochia Balmæ et *de la Brochey* dent ad molendina hujus Domus facta vel facienda in dicta parochia.

14. « Item volumus illisque concedimus, et eorum successoribus, sigillari gratis, sine aliqua pecuniæ solutione, sigillo Curiæ nostræ et heredum nostrorum, omnes litteras pertinentes ad causas dictæ Domus.

15. « Inhibemus nostris omnibus subjectis ut nullus possit infra confines dicti loci et monasterii aliquo genere venationis uti, nisi quantum et prædictis Monachis et Monialibus processerit voluntate, nec domum vel grangiam ibi ædificare.

16. « Et quia dictus locus patens est omnibus viatoribus, et posset ab hospitibus, maxime in librando equos, multipliciter gravari; volumus quod in dicto monasterio ministretur libra equorum ibidem hospitantibus.

« In quorum omnium robur et testimonium sigilla nostra quibus utimur præsentibus duximus apponenda. Nihilominus præsentem litteram et contenta in ea, omnia universa et singula, juramentis propriis roborantes, supplicantes humiliter nos prædicti per has patentes litteras Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ et Summo Pontifici, ut hanc præsentem nostram ordinationem, donationem et concessionem laudet, approbet et confirmet; et easdem perpetuo inviolabiliter custodiat et defendat.

« Rogantes, nos prædicti donatores et fundatores, Reverendos in Christo Patres, dominum Henricum Dei gratia primæ Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopum, et dominum Guillelmum divina Providentia Viennensem archiepiscopum, ut

ANNUS 1299

hanc nostram ordinationem, et omnia universa et singula ratificent et confirment; contradictores et rebelles, et perturbatores censura ecclesiastica compescendo; et ut sigilla sua præsentibus appendant ad testimonium et prædictorum omnium majoris roboris firmitatem.

« Nos vero prædicti Archiepiscopi, ad preces dictorum donatorum, nobis per præsentes litteras oblatas, prædicta omnia authorisantes, et insinuantes et approbantes, promittimus ea servare, et facere observari (si opus fuerit) censura ecclesiastica mediante. In quorum testimonium sigilla nostra quibus utimur præsentibus duximus apponenda. Datum anno Domini 1299, mense Octobris, gubernante Ecclesiam Dei Sanctissimo et Reverendissimo DD. Papa Bonifacio octavo. »

QUANDO ANNA OBIERIT.

IX. Anna fundatrix erat filia Guigonis delphini sepulti apud Moniales nostras Pratimollenses, et Beatricis a Sabaudia Monialium Melani fundatricis. Mortuis Guigone patre et Joanne fratre germano sine liberis, anno 1282 successit Anna in Delphinatum et alia paterna bona, quæ cum marito Humberto, non tamen sine inquietatione ex parte matris suæ Beatricis, possedit usque ad obitum qui denunciatur his verbis in Charta Capituli generalis anni 1303 : « Dominæ Annæ bonæ memoriæ quondam delphinæ, et aliis pro quibus rogavit domina Delphina domina Fouciniaci (hæc est mater illius), conceditur tricenarium per totum Ordinem cum secunda Oratione *Inclina famulorum, etc.* » Chorerius illius obitus annum assignat 1296, sed perperam : ut constat non solum ex citata Charta et fundationis litteris hoc præsenti anno suo nomine conscriptis, sed etiam ex Majoris Cartusiæ Cartulario, in quo Instrumentum quoddam reperitur ab ea Permaniæ Monialibus anno 1300 datum; quo etiam anno, mense Majo, Matrem Cartusiam ab omnibus pedagiis et gabellis exemit. Et in nostris capitularibus Chartis annorum 1301 et 1302 commendatur ut vivens Ordinis precibus, quas et sæpius antea, ab anno 1266 cum esset tantum Domina de Turre, pro se, marito suo et liberis exposcerat. In Statutis Delphinalibus sepulturam in hoc parthenio a se fundato ha-

Chor. lib. 11. Hist. Delphin.

buisse dicitur. Post illius mortem Humbertus ejus maritus habitum nostri Ordinis in Vallis S. Mariæ Domo induit, ut suo dicemus loco.

ANNUS 1299

V. an. 1307.

Ejus posteri benefactores.

Humberto plures Anna liberos genuit : Joannem qui post eam Delphinatum occupavit, Hugonem baronem de Fulciniaco, Guigonem baronem Montis-Albani, Henricum episcopum Metensem, Mariam Monialem et Priorissam Saletarum, et alias plures filias. De prænominatis plura occurrent annis sequentibus dicenda.

Humbertus ultimus delphinus, fundatricis nepos, aviæ fundationem diversis temporibus decem auxit Monialibus, et alia multa ac prope infinita beneficia toti Ordini contulit, ut fusius suis locis exponemus.

De aliis hujus Domus benefactoribus nihil habemus, nisi quod in anni 1496 Charta inter mortuos denunciatur : dominus Raynaudus de Chastelet miles et domina Joanna ejus filia, magni Saletarum benefactores.

DOMUS LAPIDIS REFUGII IN HUNGARIA FUNDATUR.

X. Hactenus de Saletarum Domo; cujus fundationis tempore alia etiam cartusia in Hungaria erigitur, sancto Joanni Baptistæ dicata, quam nos Lapidem Refugii appellamus, patria lingua *Lethenkow*. Sita erat in Cepusiensi comitatu non longe ab oppido Leucovio, ejus comitatus præcipuo, quod et Leucovia dicitur et ab Hungaris *Leutsch*. Stetit hæc Domus usque ad annum 1544 quo penitus ab Hæreticis eversa est. Ejus privilegia et Instrumenta cum Domus S. Antonii Lechnicensis Instrumentis nostro tempore asservabantur Cracoviæ apud S. Andreæ Moniales Ordinis S. Claræ, ex quorum indice ad nos transmisso tempus fundationis eruimus. Sic enim in eo legitur : « Jordani comitis Saxorum et Juratorum, assignatio loci cum sylvis, pascuis, piscationibus, pro ædificando monasterio Ordinis Cartusiensis ad laudem Dei, B. Virginis, S. Joannis Baptistæ et sanctæ Margaretæ, anno 1299, loci *Lethow* nuncupati. » Nomen quoque ac titulum hujus Domus ibidem habemus, ut sequitur : « Transsumptum ecclesiæ Scepusiensis, Sigismundi Romanorum et Ungariæ regis, pro monasterio sancti Joannis Baptistæ de Lapide Refugii, vulgariter Lethen-

ANNUS 1299

kow dicto, super exemptione a Judicato et Jurisdictione. »

Martinus sacerdos ejus fundator.

Fundator illius fuit quidam pius sacerdos nomine Martinus, plebanus sive curio de Villa Isaac, qui suis et amicorum facultatibus ædificia construxit, et a Præposito S. Martini Cepusiensis quasdam decimas in gratiam Nostrorum obtinuit; ut ex literis ejusdem Præpositi, ad nos e cartusia Maurbacensi transmissis et hic subjectis, videre est :

Decimas obtinet a Præposito Cepusiensi.

« In nomine Domini, amen. Magister Paulus, præpositus ecclesiæ Sancti Martini de Scyppus, omnibus Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in salutis Largitore. Sanctorum invisibilis inhabitator, corona certantium, sponsus S. Matris Ecclesiæ, Sponsam suam propitiatione et consuetæ miserationis munere locupletat, dum per terrarum climata longe lateque diffusa, ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ membra dilatantur, ubi vota fidelium, autori omnium jugiter famulantur. Hinc est quod cum discretus vir Martinus plebanus de Villa Isaac, inspirante Domino, quemadmodum fidelis et prudens paterfamilias ad excolendam vineam Domini conducens operarios, Oratorium in honore S. Joannis Baptistæ et Domum Fratrum Ordinis Cartusiensis in Lapide Refugii de Lethow propriis facultatibus ac aliorum pauperum eleemosynis pro posse suo construxit : ad nostram concedens præsentiam, una cum religioso viro fratre Petro ejusdem Ordinis Priore, et fratre Helia, nobis necessitates Fratrum et penurias ejusdem Domus explicarunt, petentes nos, cum omni humilitate et devotione, ut in aliquibus decimis nostris jam dictæ Domui propter Deum et ob remedium animæ nostræ subvenire dignaremur ; alioquin ab incœpto Dei servitio, necessitate famis urgente, desistere cogerentur. Nos licet immeriti, superni tamen Conditoris gratia ad prælaturam ecclesiæ beati Martini vocati, dono ejus specialiter adscribimus cujus oculi nostrum conspiciunt imperfectum ; nomen ejus sanctissimum benedicentes, qui nostris temporibus, tanquam in fine sæculorum positis, Sanctam Matrem Ecclesiam novæ prolis germine fœcundavit. Considerantes itaque paupertatem et penuriam dictæ jam Domus, petitioni ipsorum

benignum præbuimus auditum cum effectu; maxime cum ad sustentationem Fratrum ibi degentium propriæ non poterant sufficere facultates. Habito diligenti tractatu cum Fratribus Capituli ecclesiæ nostræ, de consensu et voluntate ipsorum, decimas nostras de villa Balistary provenientes, tam majores quam minutas, jam dictæ Domui donavimus, dedimus, et contulimus perpetuo possidendas, pariter et habendas : ita tamen ut dicti Fratres in suis orationibus, nostri et successorum nostrorum, necnon et Fratrum nostrorum memoriam specialem habere teneantur. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam præsentes litteras sigilli nostri et Fratrum nostrorum munimine volumus roborari. Datum tertio die post Ascensionem Domini, anno ejusdem millesimo trecentesimo undecimo. »

Quando mortuus.

Ejusdem fundatoris, videlicet Martini sacerdotis, notitiam præterea habuimus ex Charta Capitulari 1327 ubi ejus obitus his verbis designatur : « Obiit Dom. Martinus fundator Domus Lapidis Refugii, habens tricenarium per totum Ordinem. » Et rursum per Chartam anni 1329 cum monachatus beneficio denunciatur; dies vero a nostro Molino notatur 18 Calendas Februarii. Quidam eum dicunt, spreto omni honore quem inter suos gentiles ex fundata cartusia merito consequi poterat, Majorem in Cartusiam aufugisse, et ibidem cucullo induto soli Deo usque ad mortem vixisse. Sed de his nullam potui invenire autoritatem.

An fuerit Cartusiensis.

A prima sua fundatione Domus hæc in summa semper egestate fuit, tum propter bonorum a fundatore legatorum tenuitatem, tum maxime propter iniquos ex variis bellis illatos casus, quibus in eas devenit angustias, ut post centesimum annum funditus concidisset, nisi novum ei Deus conditorem suscitasset, qui ruinas ejus reficeret. De quo et aliis ejus benefactoribus dicemus anno undecimo sequentis seculi.

ORDINATIONES CAP. GENER.

XI. Hoc præsenti anno multa per Chartam Capituli generalis circa Monialium disciplinam et regimen sapientissime statuuntur :

ANNUS 1299

Circa Moniales.

1. « Moniales visitentur omni anno. Vicarii Monialium dimittant aliquem in absentia sua qui audiat confessiones, et confiteantur de quinzena in quinzenam.

2. « Item monemus Moniales ne amodo præsumant loqui cum aliquo seculari vel regulari vel etiam cum parente nisi ad cletas, et tunc associatæ cum una vel duabus.

3. « Item monemus eas efficaciter ne portam suam permittant intrare homines nisi de licentia Priorissæ et Vicarii, et sint bene associati.

4. « Item familiaritatem et frequentiam pedissequarum et mulierum secularium fugiant et vitent. »

Aliæ vero ordinationes sunt : 1. Declarat quod additio illa, scilicet « quod Prior Cartusiæ possit mutare super annum Visitatores ex causa », sit perpetua.

2. « Non credimus Clericos Redditos teneri ad psalteria dicenda. »

Denique nullus, præter quosdam defunctos, commendatur precibus Ordinis ; sed generaliter injungitur ut oretur « pro pace, pro Regibus et Reginis, pro Comitibus et Comitissis, et pro omnibus benefactoribus et recommendatis nostris, pro quibus dicetur una Missa de Spiritu Sancto, etc. » Et ex defunctis, « quidam Redditus Montis Gaudii (cujus nomen non designatur) mortuus est, qui habet tricenarium per totum Ordinem. » In veteri Cartulario Majoris Cartusiæ extat quoddam Instrumentum in eadem Domo scriptum ad instantiam Bosonis Prioris ejusdem, « per manum Guillelmi Sayeti de Crollis, publici notarii, anno MCCLXXXXVII, sexto Idus Martii ; cujus testes sunt : Domnus Raynerius Prior Domus Montis Gaudii, Petrus Faverii Procurator Domus Cartusiæ et Jacobus Clericus Redditus Cartusiæ. » Nec usquam posthac mentionem Domus Montis Gaudii potui reperire. Unde crederem hanc Domum non fuisse nostri Ordinis, sed alicujus alterius Instituti.

Vetus Cartul. to. 2. fol. 152.

JESU CHRISTI

ANNUS 1300.

Bonifacii PP. VIII	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 217.	Ann. 24.

I. MILLESIMUS trecentesimus adest Christi annus, Indictione tertia decima, quo Jubilæum centenario anno recurrente Romæ celebratur cum magno apparatu, sed maximo ac prope infinito utriusque sexus hominum concursu ; ita ut ducenta peregrinorum millia Romam convenisse autores coævi scribant. Cumque ex tanta hominum multitudine plures ad monasteria diverterent hospitalitatis recipiendæ gratia, accidit quosdam in Domo nostra Trisultana, quæ in Campania Romana sita est, diem ultimum clausisse, quorum corpora cum secundum nostra Statuta in ejusdem cartusiæ cœmeterio sepeliri non liceret, ad viciniorem parœciam satis ab ea distantem transportari non sine magno labore necesse fuit. Hinc moti pietate Trisultani Cartusienses, licentiam a Summo Pontifice alterum in Domo inferiori cœmeterium ad externorum sepulturam habendi petierunt et obtinuerunt, ut ex sequenti bulla hoc præsenti anno scripta apparet :

JUBILÆUM CELEBRATUR.

Raynald. ad hunc ann.

Multi peregrini in Domo Trisultana moriuntur.

Inde apud Nos cœmeterium ad externorum sepulturam.

« Bonifacius, etc. Dilectis filiis Priori et Conventui monasterii sancti Bartholomæi de Trisulto per Priorem soliti gubernari, Cartusien. Ordin., Alatrin. diœces., salutem et Apostolicam benedictionem. Laudabilis vestræ Religionis honestas, quam salubribus actibus jugiter augmentare satagitis, promeretur, et paternæ pietatis affectio, qua vos et Ordinem vestrum prosequimur, nos instanter inducit, ut peti-

Ex arch. ejusdem Dom.

ANNUS 1300

Nullum in proprio cæmiterio Nobis licebat sepelire præter personas Ordinis professas.

Nec ipsos Oblatos nec famulos.

Papa dat licentiam alterum habendi cæmiterium.

tionibus vestris benigne aditu reserato, eas ad exauditionis gratiam admittamus. Oblata siquidem nobis vestra petitio continebat, quod vos ex institutione ipsius Ordinis duas Domos seu duo monasteria obtinetis : in quorum altero Monachi et in reliquo Conversi ejusdem Ordinis commorantur, quodque in cœmeterio Domus seu monasterii Monachorum nonnisi Monachos, Conversos et Redditos (ut patriæ verbis utamur) sepelire potestis, juxta præfati Ordinis instituta; propter quod evenit quod cum Oblati et Familiares vestri, ac alii etiam Christi fideles qui ad Domos seu ad monasteria ipsa, causa visitationis seu devotionis interdum accedunt, in eis debitum naturæ persolvunt, oportet vos illorum corpora per quosdam montes asperrimos non sine gravis laboris onere, ad certa loca non modicum remota transmittere inibi tumulanda, pro eo quod Domus seu monasterium Conversorum ipsorum cœmeterium ex præfata institutione non obtinet in quo eadem corpora valeant sepeliri. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere super hoc de Apostolicæ benignitatis clementia dignaremur. Nos itaque, more pii patris moleste ferentis incommoda filiorum, vobis in hac parte benigno compatientes affectu, et ad quietem vestram benignius intendentes; vestris devotis supplicationibus inclinati, vobis ut Domus seu monasterium Conversorum prædictorum cœmeterium habere valeat in quo eosdem Oblatos et familiares Christique fideles, cum ibidem discedere dignoscuntur, possitis libere sine juris alieni præjudicio sepelire, Statuto quolibet ejusdem Ordinis seu quacumque ordinatione vel consuetudine contrariis nequaquam obstantibus, autoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum, etc. Datum Anagniæ, XII Calend. Junii, Pontificatus nostri anno sexto. »

HUMBERTI DELPHINI ERGA CARTUSIAM BENEVOLENTIA.

II. Hoc anno Humbertus delphinus et Anna uxor ejus declarant res omnes Cartusiæ ab omni tributo esse exemptas, voluntque plenam fidem a suis quæstoribus Prioris Cartusiæ litteris haberi. Hoc privilegium sic se habet :

« Humbertus Dalphini, comes Viennæ et Albonis domi-

nusque de Turre, et A. ejus consors, dilectis suis castellanis, baillivis, mistralibus, pedagiatoribus et aliis sibi subditis ad quos præsentes pervenerint, salutem et dilectionem sinceram. Cum non sit intentionis nostræ, quod Domus Cartusiæ in terra nostra vel sub districtu nostro solvat de rebus et bonis suis pedagium, gabellam, vel exactionem aliquam quocumque nomine censeatur; mandamus vobis universis et singulis, præsentibus et futuris, quatenus de bonis vel rebus dictæ Domus, quas Prior dicti loci dicet esse dictæ Domus per suas litteras, nullum pedagium, gabellam, commune villarum vel castrorum fortificationem, aut exactionem aliam, ullo tempore exigatis. Sed in omnibus quibus poteritis sitis eis favorabiles et benigni. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum anno MCCC, mense Maii. »

ANNUS 1300

Ex Cartular. Majoris Cartusiæ.

III. Hoc etiam anno cœpit ædificari, prope Abbatis-villam in Picardia et diœcesi Ambianensi, Domus nostri Ordinis in Chartis Capitularibus Vallis S. Honorati dicta. Hujus fundator et dotator primarius agnoscitur Guillelmus a Matiscone Ambianensis episcopus, flos Prælatorum sui seculi, fax et lumen ecclesiastici Ordinis, magni vir consilii, pietatis et omnis scientiæ donis conspicuus; pauperum et miserorum dictus Pater, et ut uno absolvam verbo, ante et post mortem merito elogio cognominatus « Bonus Episcopus ». Unde ejus fama toto Franciæ regno, fuit mirabiliter dilatata. Cum olim in minoribus constitutus in S. Ludovici regis aula moraretur, factus eidem a secretis et ab eleemosynis, perpenderetque quanta Rex pius benevolentia et charitate Cartusienses complectebatur, quibus vetus suum Vallis viridis palatium ad inhabitandum concesserat, cœpit et ipse eos singulari amore prosequi. Factus postea Ambianensis episcopus circa annum 1278, eorum preces studiose ambiebat, quas per totum Ordinem a Capitulo generali sæpe obtinebat. Sed his non contentus, ut sui apud Nos memoria fieret immortalis, præfatam Domum ex integro a fundamentis erexit in loco dicto *Tuison* sive *Tueoison,* extra muros Abbatis-villæ, quem

CARTUSIA ABBAVILLÆA ÆDIFICATUR.

Fundatoris elogium.

Ex ms. Domus.

Sammarth. in Episc. Ambian.

Unde illius amor ad Cartusienses.

Ex chart. ab an. 1280 ad an. 1308.

ANNUS 1300

Locum a Templariis comparat.

ab Gerardo de Villaribus Domorum Militiæ Templi in Francia Præceptore suis pecuniis comparavit, scriptis litteris in Templariorum Domo Parisiis sita, hoc præsenti anno die Dominica post gloriosæ Virginis Purificationem. Quam venditionem a præfato Gerardo factam, confirmavit frater Hugo de Pecando generalis Militiæ Templariorum in provinciis cismontanis Visitator, ut ex diplomate constat, dato anno 1302, die Veneris post sanctæ Crucis Exaltationem.

Nostrisque adscribit.

Emptum locum, in quo ædificia et sacellum ab antiquo erecta fuerant, statim Nostris tradit pius fundator; confectis super hoc codicillis in quibus series fundationis sic describitur :

« Universis præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione divina Ambianensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Cum nos quamdam villam sitam in nostro episcopatu Ambianensi...... emptionis titulo acquisivissemus a viris religiosis Abbate et Conventu monasterii Caroferensis Ordinis sancti Benedicti Pictaviensis diœcesis, cum omnibus ipsius villæ juribus, fructibus, proventibus, obventionibus, redditibus, terris, pratis, pascuis, nemoribus ac aliis exitibus et pertinentiis universis, ita quod et ad preces nostras serenissimus Princeps dominus Philippus rex Francorum præfatis Abbati et Conventui concessit, quod sibi liceat, ubicumque maluerint, per totum regnum Franciæ tantumdem terræ acquirere et admortisatam habere; intendentes in eadem villa fundare Domum unam ad opus Fratrum Cartusiensis Ordinis qui ibidem perpetuo Deo deservirent. Tandem considerantes quod locus seu villa pro fundatione Domus ipsius Ordinis Cartusiensis non erat accommoda sive apta, tum propter sterilitatem loci et aquæ carentiam, tum quia Fratres ipsius Ordinis vitam ducentes solitariam non consueverunt in villis seu oppidis habitare; viam adinvenimus et modum per quem quies ipsorum Fratrum valeat procurari et locus prædictus in melius commutari ; ac ut exinde Ambianensis Ecclesia honorem et commodum perpetuis temporibus assequatur. Nos enim deputavimus eisdem Fratribus

locum aptum in præfata diœcesi juxta villam Abbavillæ, prope villam S. Honorati de Portu, videlicet Domum de *Tueoison* quam acquisivimus a viro religioso Fratre Gerardo de Villaribus, Præceptore seu Magistro domorum Militiæ Templi in Francia, de Fratrum suorum consilio et consensu prout in litteris suis inde confectis plenius continetur. Statuentes, volentes ac ordinantes quod in eodem loco de Tueoison, quædam Domus de novo ad opus Fratrum prædicti Ordinis ac eorum commodum nostris sumptibus construatur, in qua XIII cellulæ et XIII Fratres sub regimine Prioris, qui erit tertius decimus, habeantur, qui ibidem Altissimo perpetuas laudes reddant. Nos vero antedictis Fratribus pro sustentatione sua damus, ac concedimus ac etiam assignamus, etc. Datum anno Domini MCCC, die Mercurii ante Nativitatem B. Joannis Baptistæ. »

ANNUS 1300

IV. Expeditis quæ pro loci comparatione et dotatione necessaria erant, Reverendus Episcopus murorum ambitum, cæteraque ædificia pro majori parte ruinosa et jacentia a fundamentis instauravit, rursumque Hugonem de Novo-Castro e Majori Cartusia missum et a Bosone, Cartusiæ Priore, Ordinis in hac parte procuratorem nominatum, in loci possessionem induxit, ut in aliis litteris legitur, in quibus quanti Nostros faceret pius fundator sic exprimit :

ÆDIFICIA INSTAURAT.

Ignatius in Histor. geneal. Com. de Ponthieu.

« Universis præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione divina Ambianensis episcopus, salutem in Domino. Æternus Rex et altissimus Cartusiensem Ordinem divinitus instituit, velut agrum Dominicum influentia superni roris et benedictione perfusum ; cujus cultores beatæ vitæ meritis trahunt ad divinæ majestatis obsequium alios per exemplum. Hi sunt qui præ cæteris sub regulari disciplina famulantibus, arctius elegerunt contemplationis salutaris sarcinam. Hi sunt qui mundanæ suavitatis illecebris derelictis, asperitatis cilicii voluntarii supportant onera, in cellarum conclusi spatiis, cæsis veræ pœnitentiæ falce fallaciis mundi, assiduis orationibus pro salute fidelium Dominum deprecantes. Nos igitur ad ipsius Ordinis Fratres præcipuum gerentes devotionis affe-

Literæ quibus Nostros in possessionem inducit.

Cartusienses laudat.

ANNUS 1300

ctum, ut viventes ipsius Ordinis Fratrum suffragiis consolemur, et post hujus peregrinationis excursum cum electis Dei perenni gaudio eorum intercessionibus perfruamur : ipsius Ordinis Fratribus dedimus et concessimus, damus et concedimus, tenendam perpetuo et etiam possidendam pleno jure, domum quamdam sitam juxta Abbatis-villam extra muros ipsius villæ, in nostra Ambianensi diœcesi, quæ Tueoison vulgariter nuncupatur, una cum capella dictæ domus, grangia, domibus adjacentibus et aliis pertinentiis universis ad ipsam domum pertinentibus, tam juxta clausuram eorum quam extra gardinum, pourprisium et quidquid continetur intra clausuram et pourprisium dictæ domus ac cressoneriam dictæ domui contiguam. . . . . etc. Rursus pro sustentatione eorum dedimus et concessimus, damus et concedimus locum de Portu Ordini Cartusiensi prædicto ; ac fratrem Hugonem de Novo-Castro ipsius Ordinis fratrem et procuratorem quantum ad hoc specialiter deputatum, investimus præsentialiter per nostrum annulum de eodem apud Portum in gardino domus B. Honorati, die videlicet Parasceves, anno a Nativitate Domini MCCC ; ad opus Fratrum prædictorum de cætero ab eisdem Fratribus Domus de Tueoison tenendum, habendum, ac perpetuo possidendum, etc. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri appensione communiri. Datum anno Domini MCCCI, die Martis ante festum BB. apostolorum Simonis et Judæ. »

Quid pro dote dederit.

Hugo de Novo-Castro procur. Ordinis.

TEMPLUM SACRA SUPPELLECTILI ET RELIQUIIS ORNAT.

V. Deinde multa alia bona tam mobilia quam immobilia priori donationi adjecit, majusque templum suis sumptibus ædificatum sacra studuit ornare ac ditare supellectili : videlicet palliis, casulis, calicibus thuribuloque argenteis ; multos præterea theologicos libros addidit. Sed donorum ejus omnium præstantissimum fuit sacratissimum sancti Honorati Ambianensis episcopi caput, quod a vici Portuensis templo ad cartusiam suis curis translatum, capsa argentea auro gemmis et margaritis ornata pretiosissime inclusit. Quomodo festum S. Honorati a Nostris celebratum postea fuerit, dicemus postea. Absolutum vero templum ipse fundator anno 1307

V. an. 1430.

consecravit, a Guillelmo adjutus Liddensi* episcopo, Ordinis Prædicatorum, viro sane pio et docto. Uterque litteras in monimentum Dedicationis perpetuum dedit, quas stylo erudito ac multa verborum elegantia venustas, nostrorumque priscorum Patrum refertas laudibus, libet hic inserere :

ANNUS 1300

* In Palæstina.

Consecràtque.

Literas Dedicationis scribit.

« Universis Christi fidelibus præsentibus et futuris, Guillelmus miseratione divina Ambianensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Inter cætera sacramenta quibus tamquam sponsus procedens de thalamo suo, Dominus unicam Sponsam suam, Ecclesiam scilicet, instituit, munit et ornat, dedicatio templi merito habetur insignis; cumque Christi ministeria in illa visibiliter exhibentur, mystice in templo fidelis animæ divinitus peraguntur, et quæ ibi cernuntur exterius facile ad internorum amorem humanum excitant intellectum. Nos itaque vigiles, more pastoris, oves Dominici gregis curæ nostræ commissas affectantes Sanctorum venerationibus in loco pascuæ collocari, gerentes insuper erga viros religiosos Priorem et Fratres Domus S. Honorati de Tueoison prope Abbatis-villam Cartusiensis Ordinis, cujus fundatores sumus et patroni pariter, internæ charitatis affectum (quorum quidem religio tam devota quam solitaria piis operibus ita fulgere conspicitur, ut per eam quasi quodam Dei candelabro totus illustretur populus Christianus); ecclesiam suam a nobis de novo constructam ad honorem Dei omnipotentis, B. Mariæ semper Virginis, S. Crucis, S. Joannis Baptistæ, almi confessoris Honorati et omnium Sanctorum, nos ipsi, assistente nobis venerabili Patre Fratre Guillelmo episcopo Liddensi Ordinis Prædicatorum, duximus dedicandam. Verum quia dignum est ut dedicationis solemnia celebrantes, pro temporali solemnitate quam peragunt spirituali munere gratulentur, sentiantque veniam peccatorum qui sacra mysteria venerantur ; nos de ipsius Dei omnipotentis misericordia, ejusdem B. Mariæ Virginis, B. Firmini martyris, omniumque Sanctorum meritis et intercessionibus confidentes : omnibus vere pœnitentibus et confessis qui in die Dedicationis hujusmodi ad ecclesiam devote convenerint, annum unum ; eis

ANNUS 1300

autem qui in anniversario Dedicationis ipsius eamdem ecclesiam venerabiliter annis singulis visitaverint, ac ibidem porrexerint manum pietatis, XL dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum anno Domini MCCCVII, die Sabbati post Ascensionem. »

IDEM FACIT GUILLELM. EP. LIDDEN. ORDIN. PRÆDIC.

VI. Sequuntur litteræ Episcopi Liddensis :

« Universis Christi fidelibus præsentibus et futuris, frater Guillelmus Ordinis Prædicatorum, episcopus Liddensis, salutem in Domino sempiternam. Summi Sponsi mira benignitas infinitæ pulchritudinis suæ in omni creatura relinquens vestigium, speciosus præ filiis hominum, dilectam Sponsam suam, matrem nostram Ecclesiam, formosiorem cæteris suo volens conspectui præsentari, ut congruis ornata monilibus aptior castis ejus amplexibus redderetur, thalamum sibi comparari constituit ac dicari : ut sicut eam dignatur in cubilibus et in hortis amplecti aromatum, non desinat osculari in sibi dicato thalamo per conjunctionem corporis Christi mystici cum corpore ejus vero, suavissimo osculo oris sui. Nos igitur cura pervigili præfati Sponsi ministri, licet indigni, huic castissimæ copulæ locique congrui præparationi, quantum nobis ex alto conceditur, ex statu quem inter Pastores Ecclesiæ et Rectores tenemus immeriti, dantes operam efficacem ut mater nostra Ecclesia divinis congratuletur amplexibus et suavissimis osculis jucundetur ; gerentes insuper erga viros religiosos Priorem et Fratres S. Honorati de Tueoison prope Abbatis-villam Cartusiensis Ordinis, charitatis affectum, quorum grata et devota Deo Religio quasi stella matutina in medio nebulæ, a mundi tamen nebulosis illecebris per sanctæ et laudabilis vitæ solitudinem aliena, non ut lucerna sub modio sed super Ecclesiæ candelabrum posita meritis rutilat, coruscat exemplis, piisque apud Deum obsequiis et orationibus lacrymosis suffragatur ; eorum ecclesiæ ad honorem Dei omnipotentis, B. Mariæ semper Virginis, S. Crucis, S. Joannis Baptistæ, almi confessoris Honorati omniumque Sanctorum de novo constructæ, sacræ Dedicationi adfuimus, ad preces et instantiam R. P. domini Guillelmi episcopi, patroni

et fundatoris præfatæ ecclesiæ et loci ejusdem, assistendi debitum obsequium impendentes. Gaude igitur felix Mater Ecclesia et sereni cordis jubilo jucundare! Adest enim tibi specialis causa lætitiæ, nova adest solemnitas, novus honor. Fulta namque virtutum floribus, malis bonorum stiparis operum, ut cum Sponso tuo ingrediens cubilis secreta, similiter præ dilectionis ardore ejus præsentata conspectui liquefias. Habes quippe ubi cum eo sonoris jubiles vocibus, taciturnis applaudas affectibus, et devote mente lætabunda cantica Deo psallas. Verum quia dignum est, ut nova Dedicationis solemnia spiritualis muneris novitas sequatur et comitetur, veniamque peccatorum sibi adesse sentiant sacra hæc solemnia celebrantes; Nos de ipsius omnipotentis Dei misericordia, ejusdem B. semper Virginis Mariæ, B. Georgii martyris omniumque Sanctorum meritis et intercessionibus confidentes, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in die Dedicationis hujusmodi ad ipsam ecclesiam devote convenerint, annum unum; eis autem qui in Anniversario ipsius Dedicationis eamdem ecclesiam venerabiliter annis singulis visitaverint ac ibidem manum porrexerint pietatis, XL dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum anno Domini MCCCVII, die Sabbati post Ascensionem. »

ANNUS 1300

MORITUR FUNDATOR.

VII. Tandem pius fundator plenus bonorum operum ac multorum annorum senex, vitam morte commutavit anno sequenti, funeratus in sacello B. Margaritæ totius Ecclesiæ Ambianensis ornatissimo, cœnotaphio ex cupro elaborato cum epitaphio quod apud Sammarthanos legere est. Mortis illius dies ad 14 Calendas Junii in hujus cartusiæ Necrologio reperitur, sed quia recens est, fides est potius habenda Capituli generalis anni sequentis Chartæ quæ diem 14 Maii ponit; sic enim in ea legimus : « Pridie Idus Maii obiit dominus Episcopus Ambianensis qui habet monachatum per totum ordinem. » Juxta ipsum in plano tumulatur sub marmore nigro Guillelmus illius nepos, sive fratris filius, Ambianensis archidiaconus, qui patrui erga Nostros affectum imitatus ipsos semper coluit et amavit.

Ex ch. 1309.

ANNUS 1300

BENEFACTORES HUJUS DOM.

Joannes domin. Noviod.

VIII. Præter amplissimum hunc fundatorem, alios etiam benefactores sub fundationis initium Nostri nacti sunt, quos inter eminent Joannes Noviodunensis toparcha et Thomas illius hæres, qui sylvas, terras et alia contulerunt. Joannis obitus denunciatur in Charta anni 1307 his verbis : « Domino Joanni, domino de Novions, defuncto, conceditur tricenarium per totum Ordinem. » Anno præcedente obierat die Maii septima, in hac cartusia sepultus; cujus etiamnum tumulus visitur.

Drogo de Marchia.

Drogo de Marchia, canonicus Ambianensis et archidiaconus Pontinensis, cellam unam fundavit et dotavit. Obiit anno 1343, in chori medio sub ærea tumba sepultus cum sequenti epitaphio. « Hic jacet dominus Drogo de Marchia quondam archidiaconus Pontinensis, canonicus Ambianensis, natione Burgundus de comitatu Nivernensi, jurisperitus, domini Regis Franciæ clericus ; ingenio clarus, prudens, charitativus et honestus, in præsenti ecclesia requirens devotissime sepeliri ; anno MCCCXLIII, XII mensis Maii, ex hoc sæculo migravit ad Christum : cujus anima per Dei gratiam requiescat in pace. Amen. »

Pet. de Hangest.

Petrus de Hangesto, ejusdem Ecclesiæ Ambianensis canonicus et præpositus, dedit quadringentas libras in emptionem redituum pro sustentatione unius Monachi, et Anniversario suo et fratris sui Jacobi et Margaretæ ejus uxoris, necnon et Radulphi Pavonis.

Tassardus Paillet et Margareta ejus uxor, cives Hesdinenses, dederunt quadraginta libras annui reditus pro victu unius Monachi.

Hugo de Piencourt, prætor sive baillivius Abbavillæus, et Ada Clabaude ejus uxor, anno 1401 unum etiam Monachum dotarunt.

Isabella de Cavrel, nobilis mulier et civis Ambianensis, fundavit duas cellas atque totidem cellitas, pro quorum sustentatione dedit fundum *du Héron* in Normannia.

Cæteri benef. ex Chart. Cap. gener.
[a] Ex ch. 1474.
[b] Ex ch. 1489.

Joannes[a] Villani singularis benefactor dicitur in Chartis Cap. gen., sicut et Joannes[b] Jonglet canonicus, Rothomagensis Ecclesiæ diaconus.

Joannes[a] de Warcheville.

Eustachius[b] le Quien, abbas S. Richarii Ordinis S. Benedicti, in diœcesi Ambianensi.

Isembardus[c] curatus Portus, magnus amicus Ordinis et hujus Domus benefactor dicitur in Charta.

Joannes[d] Savary, in sacra Pagina Facultatis Parisiensis Doctor.

Carolus le Doux Divionensis, Commissarius generalis pro Carolo a Lotharingia duce Meduanæ, sepultus in hac Domo anno 1592.

Amoralius, comes Egmundanus, princeps Gaverensis, trecentas libras annuales dedit; cellam claustralem ad tempus colebat. Obiit anno 1617, 24 Maii, et denunciatus fuit in Charta anni sequentis.

Maria Maupin uxor nobilis viri Caroli Chauvin, Regii quæstoris in urbe Abbatis-villa, mulier pientissima quam merito dicebant totius urbis speculum pietatis et prudentiæ, multa bona contulit; obiit anno 1637, 4 Decembris, in Monachorum ecclesia ex singulari privilegio sepulta. Ejus obitus notatur in Charta anni sequentis. Soror fuit Petri Maupin, Vicarii quondam cartusiæ Fontis B. Mariæ, viri religiosissimi, et Susannæ Maupin Monialium Gosnay professæ.

IX. Eodem tempore quo fundator præfatæ Domus Abbavilleæ locum ad eam erigendam a Gerardo de Villaribus Templariorum in Gallia Præceptore petebat, vir quoque nobilis Reginaldus de Roya, quæstor regius, aliam Domum nostri Ordinis ædificare volens in loco juris clientaris eorumdem Militum prope Noviomum, licentiam ab eodem Præceptore obtinuit, ut ex sequenti Instrumento apparet :

« Universis præsentes litteras inspecturis, F. Gerardus de Villaribus Præceptor Domorum Militiæ Templi in Francia salutem in Domino. Ad memoriam revocantes illud quod dicitur in psalmo : Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ, communicato consilio cum Fratribus nostris ad hæc quæ sequuntur in Capitulo nostro evocatis ac etiam congregatis, justo fervore charitatis et intuitu pietatis affectan-

ANNUS 1300

[a] Ex ch. 1476.
[b] Ex ch. 1476.
[c] Ex ch. 1571.
[d] Ex ch. 1583.

INITIA DOMUS NOVIOMENSIS.

Reginaldus de Roya licentiam a Templariis obtinet.

Psalm. 127.

ANNUS 1300

tes, zelo amoris divini cultus augmentandi, circa nos novos filios procreare, necnon ad supplicationem Reverendi in Christo domini et Dei gratia Noviomensis Episcopi aliorumque Dominorum et amicorum nostrorum, concessimus et tenore præsentium concedimus Reginaldo de Roya, clerico dilecto nostro in Christo, ut eidem liceat ædificare et construi facere ecclesiam, claustrum, refectorium, dormitorium, cellas quascumque, domos et officia necessaria religiosis viris Fratribus Ordinis Cartusiensis, in loco qui dicitur et dictus est usque nunc Mons de Hairimonte, situs prope Noviomum inter viam per quam itur de Noviomo apud Compendium ex una parte, et viam seu cheminum per quod itur de Noviomo apud Malum Consilium * ex altera, etc..... Datum et actum Parisiis in domo nostra, Sabbato post festum Purificationis gloriosæ Virginis Mariæ, anno Domini MCCC. »

Nomen et situs loci.

* Mauconseil.

Intercedentibus interea quibusdam impedimentis, res tunc caruit effectu usque ad annum 1308, quo novæ Domus possessionem Cartusienses inierunt, ut ibidem dicemus.

MONIALES PERMANIÆ LOCUM DE PLANTATIS COMMUTANT.

Ex Tabular. Cart. Majoris.

X. Hoc etiam anno Moniales Permanienses, de quarum fundatione anno quinquagesimo nono hujus seculi egimus, locum de Plantatis dicatum S. Georgio, ante aliquot annos « ad preces (ut habet Instrumentum) et instantiam illustrium personarum domini Humberti delphini, comitis Viennæ et Albonis dominique de Turre, et dominæ Annæ ejus consortis, necnon ad preces et instantiam Rev. domini Guillermi episcopi Gratianopolitani, » eidem parthenio adscriptum, Hugoni et Conventui Prioratus S. Roberti super Cornillionem cedunt, et in ejus locum ab eodem Conventu Prioratum de Emusco accipiunt. Extat prolixum de hac permutatione Instrumentum, quo Priorissa, Conventus et Vicarius Permegniæ tradunt, cedunt et guerpiunt dictum locum de Plantatis, cum illius juribus et possessionibus universis, utensilibus, supellectilibus, carucis et grangiis ad eumdem locum pertinentibus, Priori S. Roberti nomine Domus S. Roberti recipienti, perpetuo spiritualiter et temporaliter gubernandum. Prior vero et Conventus S. Roberti dant, cedunt et penitus quit-

Cum Monachis S. Roberti.

Pro Prioratu de Emusco.

tant dictis Priorissæ, Conventui et Vicario Permegniæ locum de Homosco, Valentinensis diœcesis, cum suis juribus, agriculturis, possessionibus...... sub his præsertim conditionibus quod Domus Permegniæ teneatur perpetuo dicere in quolibet Officio mortuorum orationem defunctorum quæ incipit : *Deus cui proprium,* et semel in anno facere Anniversarium in Conventu pro remedio Ysmidonis de Planta fundatoris loci de Plantatis ; et festum S. Roberti annis singulis suo loco et die facere, in memoriam quod dictum locum de Homosco a Domo S. Roberti in escambium habuerunt. Item quod dicti Prior et Conventus S. Roberti et qui pro tempore fuerint, teneantur ex pacto excipere in domo de Plantatis omnes de Ordine Cartusiæ familiares sive Religiosos quacumque hora venerint, et eis decenter ministrare hospitium, lectos, ignem, fœnum, et ita locum ad opus animalium, et alia quæ circa ista sunt necessaria et utilia ; quia sic usque nunc extitit observatum. Et si quid servitii dando de suo ulterius prædicta fecerint, gratia non debitum reputetur. »

ANNUS 1300

Quibus conditionibus.

XI. Ex hac conditione enucleatur Statutorum Antiquorum articulus, quo præcipitur ut « hospitantes in domo de Plantatis nihil inde præter hospitium recipiant, unde gravetur domus » ; quæ quidem Statuti verba de aliqua nostri Ordinis Domo multi hactenus perperam intellexerunt. Sed hujus pacti conditiones prosequamur. Item « quod dicti Prior et Conventus S. Roberti dent et solvant Conventui Monachorum Cartusiæ unam summatam vini albi boni et nitidi, solvendam annuatim circa festum Omnium Sanctorum, et ministrandam dicto Conventui tempore quo se faciunt minui. Et quod dictus Conventus Cartusiæ Priorem et Conventum S. Roberti habeant in suis Missis et orationibus recommendatos de sua gratia speciali. Item quod Prior S. Roberti et qui pro tempore fuerit, et Monachus per Priorem S. Roberti apud Plantatas ex pacto instituendus ad recipiendum ibidem illos de eodem Cartusiæ Ordine, ut supra dictum est, jurent et jurare teneantur super altare S. Roberti, quilibet in sui novitate, præsente et consentiente Conventu S. Roberti ex

AN DOMUS DE PLANTATIS ALIQUANDO CARTUSIENSIS FUERIT ?

P. 2. cap. 32. et P. 3. cap. 26.

ANNUS 1300

pacto et per Priorem S. Roberti evocato ad requestam Prioris Cartusiæ vel ejus certi nuntii ad hoc missi, prædicta omnia et singula, quantum eos tangit, se fideliter servaturos. . . . . . Item quod si aliquo tempore dicti Priorissa et Conventus Permegniæ dictum locum de Homosco alienarent aliquo alienationis titulo, quod Domus S. Roberti dictum locum habeat, si voluerit, pro pretio quod pro vero ab aliquo alio offerretur. . . . . . Quæ omnia et singula, ut supra scripta sunt, lecta et recitata fuerunt per fratrem Simeonem Priorem Domus novæ Coreriæ in præsentia mei Notarii et testium infra scriptorum, Prioris et Conventus sancti Roberti; et per eos approbata ut supra, anno ab Incarnatione Domini MCCC, Indictione XIII, septimo Id. Februarii, apud S. Robertum in claustro, testibus præsentibus: fratre Guidone Priore Excubiarum, F. Johanne Vicario Permegniæ, F. Guigone Monnerii, F. Petro Ruffi, Ponchono Guinimandi . . . . . . et recitata et approbata ut supra in præsentia mei Notarii et testium infra scriptorum, et Priorissæ, Conventus et Vicarii Permegniæ, anno et Indictione quibus supra, VI Idus Februarii, apud Permegniam in Capitulo; præsentibus testibus: domino Hugone Priore S. Roberti, Humberto Vachi Priore S. Helenæ, domino Maleno Priore de Ripis, Asselmo de Ripis. . . . . Et recitata et approbata ut supra in præsentia mei Notarii, testium et Prioris et Conventus Cartusiæ, pridie Idus Februarii, apud Cartusiam in claustro, præsentibus testibus : Jacobo de Hayma, Johanne de Alto-villario, et Petro Daurioys Novitiis dictæ Domus Cartusiæ. Nomina vero Prioris et Conventus S. Roberti, sunt hæc : D. Hugo Prior S. Roberti, D. Hugo infirmarius dicti loci, D. Petrus de Montorgue, D. Humbertus Vachi Prior S. Helenæ, D. Artaudus Prior S. Martini de Ostoduno, Guillermus Gaustertardi, Bertrandus Vigili, Guillermus Daurgelli, et septem alii. Nomina vero Priorissæ, Conventus, et Vicarii Permegniæ sunt hæc : Frater Johannes Vicarius, Domina Alasia Priorissa, Petronilla de Valentia, Elisabeth de Viana, Ambrosia de Nerspos, *Beatrix Dornasseu,* Laurentia, Guicharda,

Nomina monachorum S. Roberti.

Monialium Permaniæ.

Guillelma de Luduno, Anglina de Rippis, Flotta de Chassaneio, Margareta de Camberiaco, Ambrosia de Chauseu, Francisca de Romanis, Anisia de Peladru, Beatrix de Commins, Margareta de Royns, Beatrix de Toilino et Agnes de Chamelot. Nomina vero Prioris et Conventus Cartusiæ sunt hæc : Frater Boso Prior, Juvenis, Joannes de Chillino, Joannes, Emo de Hayma, Andreas de Hema, Petrus Procurator, Petrus Sacrista, Sylvo Vicarius et Randulphus de Bardonechia. Et ego Joannes de S. Johanne, autoritate Imperiali notarius publicus prædictus, omnibus ut supra præsens fui, etc. Unde et Aymoinus abbas Casæ Dei ad preces et instantiam Prioris et Conventus S. Roberti, et Capitulum generale ad preces et instantiam Prioris et Conventus Cartusiæ, et prædicti Episcopus Gratianopolitanus, Comes et Comitissa Viennæ et Albonis et Joannes dictorum consortium filius, prædicta universa et singula a nobis exposita approbantes et confirmantes, ad preces et instantiam omnium partium sigilla, etc. apponi fecimus. »

Monachorum Cartusiæ.

Hæc omnia confirmarunt Guillelmus episcopus Gratianopolitanus, et Guillelmus de Royno decanus cum toto Capitulo ejusdem Ecclesiæ, datis litteris hoc anno die Veneris post octavas festi B. Michaelis. Idem etiam fecit Guillelmus Viennensis archiepiscopus anno sequenti, die Lunæ ante festum S. Petri ad vincula.

QUOT ANNIS MONIALES APUD HEMOSCUM STETERINT.

XII. Facta hujusmodi permutatione ad locum de Hemosco, quædam Permanienses Moniales mittuntur sub regimine Beatricis d'Ornacieux et ibidem per aliquot annos commorantur sub directione Visitatorum provinciæ Provinciæ, cui per Chartam sequentis anni subjectæ fuerunt. Elapsis vero decem circiter annis, ad priorem locum se recepere, relicto Hemosci prioratu et pristinis illius possessoribus reddito.

Porro hanc Hemosci Domum, nomen etiam Belliloci habuisse ex Capituli generalis Chartis colligimus. Nam ibi præcipitur ut Domus Melani infra festum Assumptionis refundat Domui Belliloci quadraginta libras viennenses pro Katarina de Luduno, quod nisi fecerit, extunc mittat Priorissa Ex ch. 1302.

ANNUS 1300

dictæ Domus Belliloci prædictam Katarinam ad Domum Melani cum expensis Visitatorum qui emiserunt eam. Anno vero sequenti iterum Priorissæ et Vicario Melani districte præcipitur, ut infra festum Assumptionis instantis solvant pauperi Domui de Emosco residuum quod non solverunt de quadraginta libris viennensibus Sabaudiæ, alioquin extunc eos supponemus ecclesiastico Interdicto. Hoc præsenti anno vivebat in Domo Permaniæ quando translatio ejusdem Domus ad Emoscum facta est, soror Guillelma de Luduno soror prædictæ Catharinæ, quæ ideo e Domo Melani ad Domum novam de Emosco se transferri petierat et obtinuerat.

Ex ch. 1303.

DOMUS LECHNIZENSIS IN HUNGARIA FUNDATUR.

Miræus in Origin. Cart.

* Dunayecz.

Fundator illius ignotus.

XIII. Circa hæc tempora, ut putat Aubertus Miræus, fundatur Domus sancti Antonii in Lechnitz, in Hungaria et diœcesi Strigoniensi, sita in finibus comitatus Cepuciensis juxta flumen Dunaicum *, inter duos altissimos montes, distans 12 milliaribus Cracoviæ, septem Sandecia, urbibus Regni Poloniæ, et quinque Lutschovia Cepusiensis agri primaria. Ejus fundator hactenus latet. Fundationem confirmavit Carolus rex Hungariæ, ut constat ex indice documentorum ejusdem Domus quem præ manibus habemus; cujus articulus nonus hæc habet: « Caroli regis Hungariæ confirmatio super donatione villæ Lechnic sexaginta duos lancos continente, pro fundatione claustri cum jure piscationis in Dunayecz per M. Liolios, absque sigillo. » Ille Rex debet esse vel Carolus I mortuus anno 1301, vel Carolus II ejus filius qui obiit anno 1342; idque ex ejusdem indicis articulo 40 colligimus, qui talis est tenoris: « Capituli S. Martini de Scepus transumptum litterarum Caroli regis Ungariæ super donatione villæ Lechnic pro monasterio, anno 1320, per M. Liolios. »

Quando Nostri ab Hæreticis ejecti.

Carolus Carafa cardinal. in Commentariis.

Hanc Domum Nostri incoluerunt usque ad annum 1565 quo anno, vel circa, ab Hæreticis ejecti sunt; conservatis tamen ædificiis quorum magna pars adhuc stabat anno 1627 quo Ferdinandus Imperator et Hungariæ rex, Catholicam fidem disciplinam ubique stabiliens, bona jussit Ecclesiasticis restitui et oppignorata redimi. Tunc autem illustrissimus dominus Paulus *Rakocii de Felseo-vadas*, Sauræsiensis et

Tornensis comes, Janitorum Regalium per Ungariam magister, sacræ Cæsareæ Majestatis consiliarius et cubicularius, cartusiam hanc et ejus bona suis redemit pecuniis, nostroque restituisset Ordini nisi morte præventus fuisset. Quid posthac acciderit eodem anno dicemus. ANNUS 1300

XIV. Inter benefactores et amicos hujus Domus in præfato indice, hi qui sequuntur annumerantur: Joannes Scultetus et Elisabetha uxor ejus, qui dederunt anno 1325 Scultetiam in Lechnic. BENEFACTORES EJUSDEM DOMUS.

Willelmus Drubicth, palatinus et judex Cumanorum vivebat anno 1337. Michael episcopus Agriensis anno 1367 hanc Domum exemit a decimarum solutione. Ex ms. Domus.

Joannes custos et canonicus Cracoviensis et Vicarius generalis, hujus Domus amicus, florebat anno 1403 vel circiter.

Petrus episcopus Cracoviensis fautor hujus Domus, post annum 1405.

Paulus Waldorf cum uxore sua quasdam terras contulit circa annum 1403.

Georgius, Vicarius in Monte S. Martini, quasdam legavit vineas suo testamento anno 1497 condito.

Thomas, archiepiscopus Strigoniensis, Pauli præpositi S. Martini Scepusiensis donationem confirmat, incerto anno. Guido Cardinalis parochialem ecclesiam in antiqua villa huic Domui adscribit. Emericus episcopus Agriensis a decimis eam eximit. Joannes archiepiscopus Granensis (sive Strigoniensis) ecclesiam S. Judoci in villa de Lechniz dedicavit, adjuvantibus eum tribus episcopis, scilicet Augustino Talonensi Vicario Strigoniensi, Michaele Sirmiensi et Laurentio Cassivensi. In Chartis Cap. gen. inveniuntur Joannes Scock[a] præpositus Sancti Martini in Scepusio, et venerabilis dominus[b] Martinus Dobergastus* qui magnus benefactor dicitur, habens Anniversarium per totum Ordinem sub die 3 Octobris quo obiit.

[a] Ex ch. 1465.
[b] Ex ch. 1532.
* Hoc nomen videtur corruptum.

XV. Hoc præsenti anno Maria a Brabantia, Philippi Audacis quondam regis Franciæ vidua, preces Ordinis pro se et pro suo marito jam ab annis quindecim defuncto expostulat, MARIA BRABANTINA REGINA FRANCIÆ.

ANNUS 1300

obtinetque per Chartam quæ sic habet : « Oretur pro anima Philippi illustrissimi regis Franciæ, et pro Maria regina quondam ejus conjuge ac liberis eorumdem, et pro Regina Majoricarum dicatur una Missa de Spiritu Sancto in qualibet Domo Ordinis. » Mariæ fit mentio in antiquo Chronico gallice exarato cartusiæ Parisiensis ubi dicitur « filia Ducis Brabantiæ et uxor regis Philippi », cum quo multa bona eidem cartusiæ contulit; unde sæpius commendatur precibus Ordinis usque ad annum obitus sui qui designatur in Charta his verbis : « Obiit illustris domina, domina Maria regina Franciæ, quæ habet tricenarium per totum Ordinem. » Decimo Calendas Januarii obierat, id est 23 Decembris, ut constat ex Necrologio præfatæ Vallis viridis Domus ubi ad eumdem diem sic ejus describitur obitus : « Maria uxor quondam Philippi Pulchri regis, dedit nobis 30 libras Parisiensis annui reditus admortizatas. Obiit 23 Decembris. » Notandum vero Philippum Audacem ibi dici Pulchrum ex epitheto his temporibus solito dari Principibus, ut etiam in citato Vallis viridis Chronico legitur, ubi idem Philippus Audax nostra lingua nominatur : *le beau Roy Phelippe.*

Ex ch. 1322.

Majoricarum Regina, de qua fit etiam in eadem Charta mentio, videtur esse Esclarmunda de Fuxo, Jacobi regis uxor.

DECRETA CAP. GENER.

XVI. Hujus anni eæ fuerunt Ordinationes : 1. « Ordinamus quod Moniales non dent aliquid Monachis, nec Capellanis, nec aliquibus personis, sine licentia Priorissæ; nec Monachi neque Capellani sine licentia Vicarii Monialibus.

Moniales nihil dent Monachis.

2. « Item Ordinamus quod Moniales non recipiant alias, quousque devenerint ad numerum cui possint sufficere possessiones et reditus Domus sine quæstu, et si quæ post contigerit aliquorum precibus.... angaria recipi, gratis recipiantur, et sine aliquo pacto vel pretio interlocuto; et hoc præcipimus a Priorissis et Vicariis observari. »

Nullam præter numerum recipiant.

Quæ quidem Rifferii Statutis conveniunt, ubi declaratur « ex parte Capituli, Visitatores Monialium habere autoritatem et juberi, considerata Domorum facultate, talem eis in recipiendis personis numerum præfigere, quem absque gravamine

Eadem per Statuta prohibentur.

sustinere valeant, et quem nulla occasione transcendant ». Quam vero sapienter hæc ita sancita sunt, quamque congruentia spiritui sanctæ matris Ecclesiæ, norunt omnes qui sacros Canones non ignorant. ANNUS 1300

3. « Declaramus et volumus quod Capellani et Clerici Redditi cum Monachis et Monialibus conversantes, teneant Ordinem in jejuniis, sicut Moniales et Monachi supra dicti.

4. « Ordinamus quod in Capitulo proximo veniente apportent singuli Priores et Vicarii (Monialium) 40 solidos viennenses, pro debitis et negotiis Ordinis tam Cartusiæ quam alibi persolvendis. Deinde in singulis Capitulis annuatim apportent decem solidos viennenses pro negotiis Ordinis in Curia et alibi procurandis, usque ad decem annos.

5. « Pronuntiamus etiam quod licet Capitulum possit omnia in Ordine quæcumque viderit saluti expedire; non tamen fieri, nec faciendum est sine magna et rationabili causa, quod, toto Conventu renitente, aliquis mittatur ad aliquam Domum non suam, ad professionem faciendam.

6. « Ad quorumdam petitionem declaramus quod non propter hoc quod est aliquis intra terminos potest indui, nisi vires habeat quibus possit ingredi terminos pedes vel eques, sicut continetur in Statutis. Verumtamen cum iis qui contra istam declarationem excesserunt, misericorditer dispensamus, injungentes eisdem ut dicat quilibet unum psalterium. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1301.

Bonifacii PP. VIII Ann. 7.	Ordin. Cartus. Ann. 218.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 25.

GUILLELMUS DE CASSENATICO EP. GRATIANOP. MORITUR.

I. EXORITUR cum novo seculo, annus millesimus trecentesimus primus, quarta decima Indictione, quo decessit e vita Guillelmus ex antiqua et nobilissima Cassenaticorum familia, Gratianopolitanus episcopus; postquam annis circiter triginta sex eamdem Ecclesiam cum omni laude rexisset. Vir fuit de nostro Ordine perquam bene meritus, cujus propterea obitus in Capituli generalis Charta cum singulari beneficio denunciatus est his verbis: « Dominus Episcopus Gratianopolitanus obiit die sabathi post Pascha, qui habet monachatum per totum Ordinem. » In apographo Chartæ ejusdem in Domo Scalæ Dei reperta, et in vetusto cartusiæ Luvigniaci calendario, signatur sexto decimo Aprilis, qui revera dies occurrit hoc anno sabbatho post Pascha. Hic sancti Hugonis pietatem imitatus, cum Nostris sæpissime apud Cartusiam conversabatur; cuncta Ordinis et maxime Cartusiæ Majoris Instrumenta renovavit. Donationes a suis antecessoribus nostris Patribus factas confirmavit, novisque auxit gratiis, controversias a vicinis excitatas compescuit, unde primus jure merito *Conservatoris Privilegiorum Cartusiæ* nomen meruit. Quod ejus successores, cum totius Ordinis bono, hactenus tenere non recusarunt. Guillelmo alter ejusdem nominis ex Decano successit, cognominatus de Roino, sui decessoris sororis filius ut intelligimus ex quibusdam litteris Guillelmi Viennensis archiepiscopi,

Episc. Gratianop. vocantur conservatores Privilegiorum Cartusiæ.

Ex arch. Eccles. Gratian.

per quas eumdem Episcopum rogat « ùt permittat conventum cartusiæ Excubiarum libere exigere decimam in parochia S. Gervasii; maxime, inquit, cum felicis recordationis avunculus vester sibi in pace dimiserit toto tempore vitæ suæ pacifice et quiete. Datum Viennæ, die Jovis post Pentecostem. » Hunc non minus quam avunculum ejus erga totum Ordinem beneficum annis sequentibus experiemur. Quod prius fuerit ejusdem Ecclesiæ decanus, probatur ex quodam Instrumento anno 1300 die Veneris post octavas S. Michaelis dato, quo Guillelmus episcopus et Guillelmus de Royne decanus cum toto Capitulo suo, confirmavit quandam transactionem inter Priorem S. Roberti Ordinis S. Benedicti, Priorem Domus Majoris Cartusiæ et Moniales Permeniæ Ordinis Cartusiensis initam.

ANNUS 1301

Ex Tabular. Maj. Cart.

II. Fundatur hoc anno Vallis profundæ cartusia in Campania et diœcesi Senonensi, ab urbe Juniaco * intra meridiem et occasum duabus circiter leucis distans. Idem fundationis tempus designat Jacobus Favellus in *Rebus gestis archiepiscoporum Senonensium* his verbis : « Ejus episcopatus tempore, Isabellis de Melloto, Joannis quondam Juniacensis comitis vidua, dein Isamberti de Beaujeu Franciæ constabularii, non longe a Juniaco monasterium Cartusiense fundavit in loco dicto Vallis profunda, mense Julio, et redditibus dotavit anno 1301. » Hæc ille, quem perperam arguunt Sammarthani, fundationem hanc ad annum referentes 1212, quod constare volunt ex originali; sed contrarium mox patebit ex ipsius fundationis Instrumento quod tale est :

DOMUS VALLIS PROFUNDÆ FUNDATUR.

* *Joigni.*

* Favel. sub Stephan. Becard.

« Universis præsentes litteras inspecturis, Isabellis de Melloto quondam comitissa Joigniaci, domina Sancti Dominici de Firoaille et Montis Penserii vidomina, perpetuam rei notitiam cum salute. Notum sit omnibus quod ego considerans et attendens quod Dominus noster pius et misericors, mihi sua gratia bonis suis temporalibus satis abundanter tribuerit; cupiens et affectans aliqua saltem modica retribuere de eisdem ad ipsius laudem et gloriam, et in honore B. et gloriosæ Virginis Mariæ matris ejus, et B. Joannis Baptistæ et omnium

Isabellis de Melloto fundatrix.

Ex Tabular. Domus.

ANNUS 1301

Sanctorum et Sanctarum Dei : fundo et fundatam esse volo perpetuo in terra mea, in loco qui dicitur Vallis profunda Senonensis diœcesis, quamdam Domum Cartusiensis Ordinis de tredecim Monachis presbiteris, uno videlicet Priore et duodecim Fratribus ibidem instituendis et perpetuo Domino servituris, pro remedio animæ meæ, parentum, virorum, prædecessorum meorum et successorum meorum; pro cujus Domus fundatione ac etiam dotatione Fratrumque in eadem instituendorum sustentatione, do et concedo Deo et eidem Ordini ac Priori et Fratribus in eadem instituendis et ad serviendum Domino perpetuo in ea moraturis, in perpetuam et puram eleemosinam, domos meas dicti loci Vallis profundæ et grangiam ante dictas domos sitam cum pourprisia circa dictas domos et grangiam sita, utilia et necessaria juxta statum et morem Ordinis ad ædificia competentia construenda, secundum quod in aliis Domibus ejusdem Ordinis ad aisiantiam Domorum fieri consuevit. Item quia idem Ordo carnibus non utitur nec uti consuevit, do et concedo Deo et eidem Ordini ac Priori et Fratribus in eadem instituendis et eorum successoribus, ripariam meam et piscariam.... Item do omnes et singulas terras meas circumquaque dictum locum de Valle profunda sitas.... quas res omnes et singulas bona fide et sub obligatione omnium bonorum meorum admortizare facere, curare et procurare a Comite Joigniaci teneor et promitto.... ad quæ omnia et singula supradicta, facienda, perficienda, curanda, procuranda, solvenda, reddenda penitus et complenda, obligo me, hæredes et successores quoscumque.... supplicans humiliter excellentissimo principi domino meo Regi Franciæ et dominæ Reginæ uxori ejus, ut ipsi pietatis intuitu, pro remedio animarum suarum, prædictis omnibus et singulis suum benignum impertiri dignentur assensum. Hæredesque meos et successores quoscumque ad ipsorum expensas et sumptus compellant et compelli faciant per suos justitiarios cum effectu ad facienda et perficienda.... Rogo etiam humiliter et requiro R. in Christo Patrem et Dominum, dominum Archiepiscopum Senonensem et ejus Officialem, qui nunc

sunt vel pro tempore fuerint, ut ipsi amore Dei et pietatis intuitu, onus prædictum meis et hæredum meorum sumptibus in se suscipere dignentur, per sententiam interdicti, excommunicationis.... Rogo similiter discretum virum Petrum Marescalli custodem præposituræ Villænovæ-Regis, Robertumque de Greniers et Droconem Roignelli custodes sigilli dictæ præposituræ, ut ipsum sigillum apponant.... Et nos Petrus Marescalli, Robertus et Droco prædicti, dictum sigillum cum sigillo ipsius dominæ Isabellis apposuimus, etc. Datum anno millesimo trecentesimo primo, mense Julii. »

ANNUS 1301

III. Hunc locum Isabella fundatrix et Humbertus de Bellojoco alter illius maritus, regiorum exercituum supremus magister (seu ut vulgo dicimus Comes stabuli), emerant ante viginti annos a nobili viro Joanne Falin equite, filio Joannis de Nigella. Sed mortuo Humberto, fundatio quam uterque conjux meditatus fuerat non potuit ad effectum perduci usque ad præsentem annum, quo pia fundatrix rem sola executa est. Sed nondum perfectis ædificiis nec sufficienti dote relicta, moritur anno sequenti, die 14 vel 16 Augusti; cujus obitus in Libro Anniversariorum hujus Domus habetur sic: « Domina Isabella de Melloto quondam comitissa de Joigniaco fundadrix hujus Domus, cum adjutoribus suis habens perpetuum die obitus sui anniversarium »; et in anni sequentis Charta his verbis denunciatur : « Comitissæ de Melloto, fundatrici quondam Domus Vallis profundæ, conceditur tricenarium per totum Ordinem et plenus monachatus in dicta Domo, die qua obiit. » Primum nupserat Joanni, comiti Juniaci, quem Duchenius Guillelmum vocat; deinde Humberto de Bellojoco præfato, juniore filio Guichardi domini Montis Penserii, qui erat germanus frater Humberti domini de Bellojoco senioris, fundatoris parthenii Poletensis nostri Ordinis cum Margarita de Balgiaco ejus uxore, ut suo loco diximus. Porro familiam de Melloto illustrissimam et antiquissimam fuisse, ex his probari potest quæ de Domo Vallis S. Georgii suo loco diximus. Unicam Isabella filiam Humberto genuit, Joannam Joanni Drocensi comiti nuptam, cum quo vixit ad

LOCUM ANTE 20 ANNOS COMPARAVERAT.

Ex charta an. 1303.

Duchen., in *Genealogiis*.

Unica ejus filia in Nostros benefica.

ANNUS 1301

annum usque 1308, quo decessisse ab eodem Duchenio in *Familiæ Drocensis genealogia* dicitur. In Charta 1295 anni commendatur his verbis : « Orabitur pro domina Comitissa Drocensi et viro suo et liberis suis. » Et anno 1304 indicuntur pro ea duæ Missæ per totum Ordinem, unam de Beata Maria et alteram de Spiritu Sancto; et rursum anno sequenti cum Episcopo Ambianensi nominatur in Charta. Socrus ejus, sive mater Joannis comitis Drocensis mariti illius, in Ordinem nostrum fuit maxime propensa; quam ideo per anni 1303 Chartam Patres sic commendant precibus : « Orabitur pro domina Beatrice comitissa Montisfortis. » Montisfortis comitissa dicitur quia filia et hæres Joannis ejusdem loci comitis, nupsitque Roberto comiti Drocensi cui genuit maritum præfatæ Joannæ de Bellojoco.

Vide infra ad ann. 1322.

Post fundatricis mortem, pauci in hac Domo Monachi remanserunt in extrema paupertate usque ad annum vigesimum secundum hujus seculi, quo novum nacti sunt fundatricem ut ibidem dicemus. Interea Joannes comes Juniaci, anno 1302, mense Octobri, litteras concessit exemptionis a caduco sive amortizationis, quam cum maxima cautione Isabella suis vel ejus successoribus sumptibus obtinendam commendaverat, ut in prædicto fundationis Instrumento vidimus.

A JANUARIO NOSTRI ANNOS NUMERANT.

IV. Hoc præsenti anno cœpit Ordo Cartusiensis, sive potius Capitulum generale, a mense Januario annos numerare. Quamobrem ad frontem Chartæ sic legimus : « Anno 1302 erit Septuagesima duodecimo Calendas Martii » ; cum juxta formam Chartarum annorum præcedentium scribi debuisset anno 1301, sicut anno 1249 monuimus.

Distributio Domorum per Provincias.

Nulla Provinciarum Ordinis in Capituli generalis Chartis fit ante præsentem annum mentio : quod revera Domus nostræ per Provincias nondum essent distributæ, sed unicuique Domui, vel duabus aut pluribus simul, sui designabantur Visitatores; verbi grâtia, sicut legitur in Charta anni 1250 : « Priores Domorum Luvigniaci et Allionis visitabunt Domos Portarum, Arveriæ, Majorævi et Vallis S. Martini. » Verum

omnes Ordinis Domus in quinque Provincias distinctæ fuerunt sub his nominibus : *Francia*, cujus Visitatores singulis annis bissextilibus debebant visitare Domos Angliæ; *Provincia,* cui subjiciebantur Domus Cataloniæ quolibet bissextili visitandæ; *Lombardia,* cum Domibus Parmæ et Trisulti et Sclavoniæ in anno bissextili; *Burgundia* et *Gebennensis.* Quæ vero Domus sub unaquaque Provincia posita sunt habes tomo primo horum Annalium.

ANNUS 1301

Sequuntur hujus anni Ordinationes :

Decreta hujus anni.

1. « Ordinamus et præcipimus quod nulla Monialis cum aliquo homine cujuscumque conditionis loquatur, nisi cum Vicario aut substituto ab eo ad audiendas confessiones, et Visitatoribus, cum patre et fratre; cum alio non loquatur nisi præsente Vicario, vel præsente Priorissa absente Vicario : et hoc non fiat ante Primam nec post Completorium nec tempore dormitionis, nec litteras mittant nec recipiant sine licentia. » Hæc omnia sacris sunt consentanea Canonibus.

2. « Item non audiantur sermones vel prædicationes quorumcumque extraneorum in Domibus nostri Ordinis Monialium nisi de licentia Vicarii aut Priorissæ in absentia Vicarii, nec recipiantur ad mensam aliqui Religiosi extranei nisi cum Vicario vel aliquo de Capellanis, nec aliquo modo loquantur cum eis Moniales nisi quomodo superius scriptum est.

3. « Statutum est quod a Septuagesima usque ad Pascha possint reddi quinquaginta Breves, et a Pascha usque ad Capitulum viginti. » In hac tamen Charta denunciabantur centum et unus.

4. « Volumus et injungimus ut in cœmeteriis nostris non sepeliantur homines nisi bonæ famæ et opinionis.

5. « Pro pace Comitis Sabaudiæ et Delphini dicatur in qualibet Domo Missa de vivis cum oratione *Deus a quo, etc.* Item pro domino Rege Bohemiæ et ejus liberis et pro his quos nostris orationibus recommendavit. »

BOSO AD VISITATORES ORDINIS JEROSOLIMITANI SCRIBIT.

V. Hoc denique anno, existente inter Cartusiam et Scalarum Equites Ordinis Jerosolimitani quadam contentione,

ANNUS 1301

Vetus cartul. tom. 2. fol. 174.

ad Visitatores eorum aqud Scalas tunc commorantes noster Boso scripsit concordiæ petendæ gratia. Ejus epistola non extat amplius, sed eorum ad eam responsum urbanitatis officiique plenum, veteri Cartusiæ cartulario insertum, lubet hic subjicere :

Eorum ad Bosonem responsum.

« Religioso viro Domino fratri B. Priori sanctæ Domus Cartusiæ, frater R. de Sabrano præceptor Auraiæ et frater P. de Mota præceptor Cayranæ, gerentes vices Reverendi Domini Prioris Sancti Ægidii, salutem in Eo qui est omnium vera salus. Litteras vestras recepimus gratiosas, quibus diligenter inspectis, vobis scribimus quod bene volumus quod inter nos et Domum vestram Carthusiæ et Hospitale de Scalis sit semper concordia et tranquillitas ; et si vobis placet cras summo mane mittatis apud Scalas aliquem virum prudentem de Domo vestra, cum quo possimus tractare super controversia quam habetis cum castellano de Scalis ; ita quod cum veritas fuerit examinata per nos et illum quem vos mittetis, reddatur quilibet jus suum. Si autem ita esset quod nobis aliquem mittere nolletis aut non possetis, præcipimus castellano dicto quod super controversia quam habetis, poscat unum amicum et vos alium, si placet, et quod stetis cognitioni illorum duorum. Valete in Domino. Datum apud Scalas, die Martis post octavas B. Michaelis, anno Domini MCCC primo.... » Et in citato Cartulario hujus epistolæ inscriptio talis est : « Charta Visitatorum Hospitalis de Scalis super concordia facienda inter dictum Hospitale et Domum Cartusiæ. » Quod postea actum sit non habemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1302.

Bonifacii PP. VIII
Ann. 8.

Ordin. Cartus.
Ann. 219.

Bosonis Pr. Cart.
Ann. 26.

I. ANNO millesimo trecentesimo secundo, Indictione decima quinta, cum decimæ a Bonifacio Summo Pontifice non modo per Italiam verum etiam per Angliam et Galliam ecclesiasticis indictæ colligerentur, ab eis solvendis nostræ Domus vi privilegiorum nostrorum exemptæ sunt. Cum enim hujusmodi collectores a Nostris suam cujusque partem exigerent, Joannes cardinalis tituli SS. Marcelli et Petri, ad Philippum regem Galliæ hoc anno a Bonifacio Legatus, ad eos scribi jussit ne Cartusienses ad solutionem coegerent; asserens ex scrutatis antiquis Registris et Instrumentis nunquam reperiri aliquam eos decimam aut solvisse aut solvere debere : proinde caverent illos ob ejusdem decimæ solutionem quomodolibet vexare aut compellere. Deinde etiam ex liberalitate Philippi regis et ejus successorum, eadem gratia est concessa et confirmata.

DECIMÆ CLERO IMPONUNTUR.

Raynaldus ad ann. 1301, num. 15.

Ab eis Ordo eximitur.

Ex Tabular. Cart. Montis Dei et aliarum Cart.

II. Hoc anno inter Abbatiam Bonæ vallis et Domum Cartusiæ, sive potius inter Conversos utriusque monasterii, orta est discordia quam Abbas Bonævallensis, veritate cognita, cum Nostrorum satisfactione diremit, expulso etiam fratre Converso qui Nostris injuriam fecerat. Extant hujus satisfactionis litteræ sub hac forma :

DISCORDIA INTER CONVERSOS CARTUSIÆ ET BONÆ VALLIS ORITUR.

« Nos frater A. dictus abbas Bonæ vallis, Viennensis diœcesis, Cisterciensis Ordinis, et Conventus ejusdem loci, notum facimus quod an. MCCCI frater Joannes, Conversus noster

Ex Tabular. Maj. Cart.

Abbas pro suis satisfacit.

ANNUS 1302

et magister ovium nostrarum, contra compositionem quæ extat inter nos et Cartusienses super pascuis... immisit in montana... capras nostras, et forte aliorum extraneorum quæ rite non poterant dici nostræ; in qua immissione dictum Conversum fatemur errasse... Volentes et concedentes quod dicta immissio dictorum animalium per errorem facta non possit Domus Cartusiæ imposterum in aliquo præjudicium generare, sed dictam compositionem et articulos in ea contentos in suo robore semper manere. Promittimus bona fide quod ad requisitionem Prioris seu Procuratoris Cartusiæ, pro emenda dictæ injuriæ solvemus quatuor libras bonorum viennensium, et de cætero a consimili injuria abstinebimus. Fratremque prædictum magistrum ovium, secundum tenorem antiquæ compositionis prædictæ, pro dicta injuria Cartusiensibus facta, ab Ordine nostro expellimus et facimus alienum, donec ad preces Prioris Cartusiæ reconciliandum duxerimus sub congrua disciplina. In quorum omnium robur et testimonium sigillum nostrum huic cartæ duximus apponendum. Datum anno MCCCII, mense Octobris. »

Conversum suum ab Ordine expellit.

GAUDEFRIDUS PRIOR IN SEITZ FLORET.

Ex Archiv. Dom. in Seitz.

III. Eodem anno cœpit florere inter nos Gaudefridus Prior cartusiæ Domus in Seitz, Principibus Austriæ acceptissimus, cujus memoria in benedictione est. Non modo de præfata domo Seitzensi cujus erat professus, sed de toto Ordine maxime de Sclavoniæ et Austriæ Domibus, per annos circiter 36 optime meritus; primum præfuit cœnobio suæ professionis ab anno superiori ad annum 1314, quo ad Maurbacense cœnobium recens erigendum translatus fuit. Hoc vero præsenti anno, Otto de Liechtenstein, camerarius Styriæ, illius virtutum odore attractus, Anniversarium pro se et suis in eadem Domo fundavit, datis sequentibus Literis :

O. de Liechtenstein benef. ejusdem Domus.

« Ego Otto de Liechtenstein, camerarius Styriæ, profiteor universis tenore præsentium, manifestans quia sana deliberatione præhabita et matura, cum manu, consensu et voluntate liberorum meorum prædilectorum Otthonis et Rudolphi, proprietatis jus sive directum dominium quod mihi competebat in villa.... cum quibuslibet suis attinentiis et juribus,

debitis et consuetis, videlicet hortis, agris, pascuis, piscationibus, sylvis seu lignis quassitis aut inquisitis, cultis et incultis, quocumque nomine censeantur; ob salutem animæ meæ, necnon omnium primogenitorum meorum quorum memoria sit in pace : dedi et absolute assignavi, nullius contradictione obstante, honorabilibus et religiosis viris Fratribus monasterii Cartusiensis Ordinis Vallis S. Joannis in Seitz, ab eisdem suisque successoribus proprietatis titulo, facultate libera, jurisdictione inviolabili perpetuo possidendum. Tali nihilominus conditione adjecta et inclusa, quod ipsi Domini et Fratres prædicti mihi fraternitatem tam in vita quam in morte plenariam in Dei nomine donaverunt. Spoponderunt etiam, quod cum de ergastulo hujus corporis fuero de medio evocatus, mei habebunt memoriam in Missis, orationibus, vigiliis, jejuniis et eleemosinis usque in diem trigesimam mei decessus; necnon in aliis bonis suis operibus quibuscumque quemadmodum Fratris alicujus ex Ordine decedentis. ANNUS 1302

« Item Anniversarium meum et progenitorum meorum singulis annis sine omissione qualibet, concedente Domino celebrabunt. Ipso etiam die Anniversarii, vel præcedenti vel subsequenti die, ad institutionem Ordinis eorum, in prandio generaliter omnibus Fratribus pitantia fiat seu consolationis refectio specialis, secundum quod eorum facultas ipsis ad hoc poterit suffragari. In cujus rei evidens testimonium et cautelam, præfato monasterio Ordinis Vallis S. Joannis in Seitz istas Literas editas super hujusmodi donatione rite et rationabiliter facta, assignavi; sigillorum videlicet mei filiorumque meorum prælibatorum munimine fideliter roboratas. Ut vero majorem vigorem id factum per diuturna tempora sortiretur, decrevi testes qui huic donationi seu delegationi aderant subnotari, qui sunt : dominus Meinardus, spectabilis comes de Ortemburck; domini Eberardus, Henricus, Ulricus, fratres de Walsse; D. Hermanus, marescalchus de Landenberch; dominus Fridericus de Stubenberch ; dominus Hertnidus de Petovia; dominus Bertholdus, dapifer de Emberberch; magister Bertholdus, protonotarius curiæ et plebanus de Halla-

ANNUS 1302

brum, Ulricus Chunrardus, fratres de Marchpurga affines mei; et plures alii fide digni. Datum et actum apud Gratz, in præsentia domini mei Rudolphi, illustris ducis Styriæ et Austriæ, anno Domini MCCCII, proxima feria tertia ante diem S. Joannis Baptistæ. »

BONIFACIUS EP. SEDUNENSIS CARTUSIAM ÆDIFICARE COGITAT.

IV. Hoc pariter anno, Bonifacius de Chalant episcopus Sedunensis in Valesio, regione Allobrogibus et Helvetiis finitima, unam Ordinis nostri Domum voluit ædificare; ad quem a Capitulo generali Prior Allionis (cujus nomen latet) et Borchardus Prior Vallis Sanctæ vir egregiæ virtutis, Commissarii missi sunt, fundationis recipiendæ gratia. Id constat ex Charta quæ sic habet : « Ordinatum est quod Priores Allionis et Vallis Sanctæ, quam cito bono modo poterunt, eant ad dominum Episcopum Sedunensem pro Domo nova recipienda si viderint expedire, quia periculum est in mora. » Deinde per eamdem Chartam toti Ordini indicuntur preces pro domino Episcopo Sedunensi. Sed posthac nulla hujus fundationis mentio reperitur in sequentium annorum Chartis, unde patet rem caruisse effectu. Dicunt Sammarthani præfatum Episcopum obiisse anno hujus seculi octavo et Aymonem de Castellione ipsi successisse, Aymoni autem Petrum, tandemque Petro Aymone de Turre quem Bonifacii consilium complentem postea videbimus.

Infr. ad an. 1330.

BLANCA REGINA NAVARRÆ OBIIT.

V. In hujus anni Charta denunciatur obitus : primo, Reginæ Navarræ his verbis : « Dominæ Reginæ Navarræ conceditur Brevis unus. » Hæc non potest esse alia quam Blanca, filia Roberti comitis Artesii fratris S. Ludovici regis, quæ primo nupserat Henrico Navarræ regi (cui Joannam genuerat, postea Franciæ reginam), deinde Edmundo comiti Lancastriæ qui anno 1296 obierat. Blanchæ vero obitus hactenus autoribus latuerat. Post Navarræ Reginam additur : « item domino Augustensi Episcopo qui obiit, conceditur Tricenarium per totum Ordinem. » Iste vocabatur Aymericus de Quarto, qui ex Priore S. Ursi, Canonicorum Regularium, consecratus Episcopus anno precedenti, hoc præsenti obierat; quem Pennotus inter sui Ordinis Beatos recenset.

Sammarth. inter Episcop. August.

Porro in eadem Charta hæc statuta sunt : ANNUS 1302

1. « Concedimus singulis Domibus sepulturam unam ; imponentes silentium præsentibus et futuris, ne usque ad decennium de sepultura aliqui præsumant facere in Capitulo. *Acta Cap. gen.*

2. « Item ordinamus et statuimus quod Priores Ordinis nostri non possint dare licentiam generalem Vicariis extrahendi Monachos de cellis.

3. « Item ordinatum est, et expresse volumus, quod Priores non dent Vicariis potestatem generalem, sed sint contenti potestate ab Ordine concessa nisi in casu evidentissimæ necessitatis vel honestatis.

4. « Injungimus Prioribus in virtute obedientiæ et præcipimus ne præsumant dare parentibus vel cognatis suis, sine consensu Conventus, aliquid vel aliqua de bonis Domus unde Domus Ordinis notabiliter gravari possent.

5. « Conceditur Priori Parmæ quod possit recipere quamdam domum quam offerunt fratres Sacron*, et quod possit procurare in Curia Romana confirmationem dictæ domus; item quod possit impetrare confirmationem cujusdam capellæ de qua scripsit. Item concedimus ei, quantum in nobis est, ut possit recipere de incertis usuris et oblatis, si invenerit qui licite dare possit. Item conceditur eidem Priori sepultura una.

* *Forte* Saccomon.

6. « Domus Casularum non potest Georgio vendere vel alienare possessiones suas, quia essent sententia Papali innodati.

7. « Sanctius, Cisterciensis quondam Ordinis, nunc monachus Scalæ Dei, possit poni in minoribus officiis sicut petit Prior Scalæ Dei. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1303.

Bonifacii PP. VIII Ann. 9.	Ordin. Cartus. Ann. 220.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 27.

BONIFACIUS VIII MORITUR.

Petrarcha, lib. 2. de Otio Religiosorum.

Error Petreii circa eum

I. CHRISTI trecentesimus tertius post millesimum annus sequitur, currente prima Indictione, quo Bonifacius Pontifex, verus populorum et Regum atque (ut dicitur) orbis stupor, obiit Romæ, quinto Idus Octobris, ad S. Petrum sepultus. Hunc a Clemente V Sanctorum Catalogo adscriptum scribit noster Petreius in sua *Romanorum Pontificum et Imperatorum chronologica Historia,* sed id certe adstruit sine autoritate ulla ulloque fundamento, nec usquam ab aliquo scriptore traditum legitur. Videtur tamen ex eo delusus quod suo tempore, anno videlicet 1605, Paulo V tunc Summo Pontifice, Bonifacii corpus, trecentos fere post illius obitum annos, omni corruptione immune magna adstantium admiratione repertum, translatum fuisse alio audierit. Paucis post Bonifacii mortem elapsis diebus, Nicolaus cardinalis episcopus Ostiensis, Ordinis Prædicatorum, vir sanctus, eligitur; dictus Benedictus, hujus nominis undecimus.

Benedictus XI eligitur.

GRAVIS TEMPESTAS IN NOS ORITUR EX CARNIUM PERPETUA ABSTINENTIA.

II. Circa eadem tempora Ordo noster gravi tempestate jactatus est. Quidam enim homines docti ex aliis Ordinibus ad nostrum transeuntes, sumpta veste Cartusiense, cum magis carnem quam spiritum saperent, post menses aliquot in nostri tirocinio Instituti translatos, morbo nonnihil affecti ob denegatas carnes retrorsum abierunt. Hi suæ ignaviæ speciosam quærentes causam obtendere, sparserunt in vulgus

gravissime peccare Cartusienses, qui suis infirmis carnium esum etiam in extremis morbis denegant; nec hujusmodi susurris contenti, simplicium monachorum nomine quos suis captiosis argumentis subornaverant, querelas ad Summi Pontificis tribunal detulerunt, ubi quæstione coram Doctoribus agitata, sententia secundum Cartusienses dicta est; ut noster Calkar asserit, rem ita narrans : « Stabat Ordo Cartusiensis diu in pace Christi sancta, habitus undequaque in magna reverentia, quousque intestinum ipsum turbavit bellum. Receptorum enim ad Ordinem virorum doctorum quidam in novitiatu, reversi ad seculum suamque quasi excusantes inconstantiam, jaculabantur hoc capitulum circa finem Decreti (*Carnem cuiquam monacho nec gustandi nec sumendi est concessa licentia*) violare Cartusienses, seu non servare quantum ad clausulam illam sequentem, « servato tamen moderamine circa ægrotos. » Ex quo ipsi Cartusienses simpliciter propter Deum a carnibus abstinent, ut sic carnem suam doment, spiritum roborent, et Domino suo castum corpus offerant; scientes quod si delicatius indulgetur ventri, oporteat etiam et Veneri, prout hoc, heu! indolere omnis status experitur Ecclesiæ. Hoc igitur delato ad Curiam Romanam quæ olim vitam eorum confirmaverat, et super eo hinc inde disputato, sententia majorum, sanctorum et potiorum conclusum fuit Doctorum : ipsis Cartusiensibus per arctam viam incedentibus, securius esse et salubrius simpliciter carere carnibus, quam quotidie desiderando nunc hos nunc illos titillari tentationibus non sine periculo, prout in aliis probatur; et hoc præcipue quia longo tempore hactenus abstinendo, saniores inventi sunt et longæviores, sicut et olim homines ab Adam usque ad Noe eas non comedentes; et sic supplendum esse clausulæ illius decreti Cartusiensibus oppositæ (*servato tamen* ut supra): nisi forte pro Christo ægroti aliqui, ad imitationem Cartusiensium, carnibus carere sponte eligerent. » Et post plura, quæ dabimus anno 1328, unius ex præfatis Doctoribus meminit idem Calkar addens : « Ea itaque tempestate carnium, vixit Arnoldus de Villanova

Calkar tract. mss. de Origine et progressu Ordin. Cart.

ANNUS 1303

præcipuus ille medicus qui Tractatum (quem perlegi) pulcherrimum fecit pro Cartusiensibus, inter cætera continentem et ostendentem expresse quod Cartusienses absque esu carnium bene in suo Proposito stare possunt. Sicque per hoc medicis suis satisfecit et artistis. » Hæc ille.

ARNOLDUS DE VILLANOVA PRO CARTUS. SCRIBIT.

III. Porro in Charta hujus anni precibus Ordinis commendatur dominus Amandus, quem facile crederem esse ipsum Arnoldum de Villanova, qui et Arnaldum a nonnullis vocatur. Ejus Tractatus sive Apologiæ duos codices habemus sic inscriptos : *Tractatus magistri Arnoldi de Nova villa contra illos qui dicunt Cartusienses peccare non ministrando carnes infirmis suis*. Asservatur et alter codex in Bibliotheca urbis Basileensis, cujus inscriptio a Theophilo Spizelio in designatione Librorum ms. ejusdem Bibliothecæ sic refertur : *Magistri Arnoldi medici, contra eos qui detrahunt Cartusiensium perpetuam abstinentiam ab esu carnium*. Idem Tractatus cum aliis autoris opusculis passim habetur editus in-folio cum eadem inscriptione, sed in quibusdam editionibus hic specialis titulus legitur : *Tractatus magistri Arnaldi de Villa nova Papæ, Philosophi magnique Theologi, pro sustentatione Ordinis Cartusiensium pro esu carnium contra Jacobitas.* Per hanc *Jacobitarum* vocem Patres Dominicanos designari constat, quos a via Jacobæa, quam Lutetiæ incolunt, Jacobæos per universam Galliam et a quibusdam Jacobitas minus apte, si non invidiose, denominatos fuisse novimus. Hujusmodi titulum, quem in uno tantum exemplari reperi, a quodam hujus opusculi exscriptore PP. Dominicanis infenso appositum credo, non ab Arnoldo qui per Tractatum integrum nullam eorum facit mentionem, imo in ipsomet exordio simpliciter dicit hujus nostræ sanctæ legis adversarios fuisse quosdam tum Regulares tum seculares clericos. Postquam enim
Psalm.68.13. initium sui opusculi ab his duxit psalmistæ verbis : Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, paulo post qui fuerint nostræ consuetudinis obtrectatores sic indicat : « Eisdem ergo verbis quibus conqueritur Sponsus æternus de illis qui gloriantur de peritia legis divinæ, conqueritur ejus sponsa,

scilicet Ordo Cartusiensis, de regularibus et secularibus clericis qui ad degustandam sapientiæ divinæ dulcedinem sunt admissi ; quoniam absque fræno pudoris contemnunt eam dicentes quod ejus status sit periculosus, idcirco quia languentibus in extrema necessitate carnes non conceduntur. » Fieri tamen potest inter hos Regulares istos quosdam fuisse Dominicanos, sed toti Ordini quem tanta vestis et victus conspiratio cum Cartusiensibus fœderavit, non est insultandum propter privatorum injuriam. Sed ad Arnaldum redeamus qui probat « opinionem latrantium contra Cartusienses propter non esum carnium, esse falsam et prophanam quia expresse sapit hæreticam pravitatem, et est in radice fantatisca et mendosa. »

ANNUS
1303

Regulares et seculares clerici persecutionis autores.

Joan. Catalai *de Candore lilii vindicato.*

Eorum opinio probatur esse falsa et prophana.

« Quod enim sit falsa, inquit, declaratur ex hoc quia quod fit ex summa charitate non adimit charitatem. Cum ergo regulariter in Ordine Cartusiensi carnes denegentur quibuslibet Regulæ subjectis, virtute generalis Statuti, constat quod non fit in odium proximi, sed solum amore Dei; qui amor jam ad observationem constitutionis illius omnes et singulos obligavit. . . . Falsum ergo erit asserere quod charitati adversantur filii prædicti Ordinis in denegando carnes languentibus, cum id faciant constitutioni generali propter Deum obediendo, et nunquam in odium proximi.

« Quod autem sapiat heresim prædicta opinio et inde sit prophana, per id declaratur quoniam, ut habetur ex sacrorum traditionibus Canonum, hæreticus est qui Romanæ Ecclesiæ adversatur, et qui novum dogma fingit in his quæ pertinent ad utilem statum fidelium. Itaque utroque reatu involvitur autor prædictæ opinionis, tacite seu latenter. Constat enim quod Romana Ecclesia quæ de Ordine supradicto tanquam de pulcherrima et gloriosissima filia gloriatur, approbat Statutum et tolerat statum ipsius. » Siste lector parumper, et adverte quid dicat Arnaldus; tolerari nimirum ab Ecclesia Cartusiensis Ordinis Statuta quæ alibi ostendimus ab ipsis Summis Pontificibus fuisse approbata, quod etiam multis probant nostri Dyonisius in Tractatu *de Laude Ordinis Car-*

tusiensis et Sutor in Libro *de Vita Cartusiana*. Pergit Arnaldus : « Qui ergo Statutum hoc improbat, consequenter adversatur vel approbationi Romanæ Ecclesiæ vel tolerantiæ ipsius ; quapropter est adversarius illius. Fingit quoque tacite novum dogma, quoniam supponit quod languidi nequeant interdum a mortis periculo sine esu carnium liberari, et ideo per consequens docet esse necessarium uti carnium ad vitæ longitudinem consequendam. Antecedens hujusmodi consequentiæ radix est istius opinionis et totius controversiæ ; quam radicem ostendunt esse fantasticam et mendosam considerationes medicinales, quæ solidissimis rationibus innituntur. » Deinde probat ex Hyppocrate et Galieno, vinum mediocre (et maxime aromaticum) et vitella ovorum mediocriter mollia sufficere infirmis ad confortandam et reparandam virtutem vitalem, ac proinde non esse necessarium ut cibus carnium potius exhibeatur quam alterius alimenti. « Quapropter, inquit, oppositum asserens profanam invenit novitatem ex malitia, sicut Judæi qui studiose impugnant veritatem manifestam propter odium Christi. Similiter et qui perfectioni Cartusiensium invident, non erubescunt adinvenire adversus eos calumnias falsitatis. » Et post multa : « Quis etiam audeat asserere quia nemo vitæ longitudinem assequitur sine carnium esu ? cum in monasteriis Cartusiensium octogenarii et centenarii, mundorum sensuum crebro inveniantur. » Denique sic pie concludit : « Igitur qui potest ascendere montem observantiæ Cartusiensium audaciter ascendat, quia ibidem pascuis mundioribus refocillabitur cor ipsius. At vero quicumque cordis sunt mundioris limpidius Deum vident, dicente Domino : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Qui vero montem prædictum ascendere voluerit, ambulet per loca dimissiora, justus in opere et rectus in corde, ut lucem consequatur immarcessibilem et lætitiam sempiternam, etc. Quomodo vero in proposito juste et recte ambulet, docet Apostolus inquiens ad Romanos : Qui manducat, non manducantem non spernat, etc. Non igitur de proximis ultra quam liceat judicemus, maxime cum non deceat, nec expe-

Vinum et ovorum vitella infirmis sufficiunt.

Octogenarii et centenarii in Ordine.

Matth. 5, 8.

Rom. 14. 3.

diat, sed Illi relinquamus judicium cujus oculis cuncta patent, cui laus est et gloria in secula seculorum. Amen. » ANNUS 1303

Hactenus Arnaldus de Villanova qui ex præfatione quarumdam editionum natus tantum anno 1300 falso dicitur, cum quædam illius opera jam ante præsentem annum 1303 ab Universitate Parisiensi reprobata, a Bonifacio VIII approbata fuerint; ut eidem Pontifici exprobrant Prælati et Principes Galliæ in publico accusationum Instrumento hoc præsenti anno contra eum confecto, ubi inter cætera Bonifacium accusant « quod quemdam librum compositum per M. Arnaldum de Villanova medicum, continentem sive sapientem hæresim, per Episcopum et per Magistros theologiæ Facultatis Parisiensis reprobatum et damnatum, revocaverit et approbaverit. » S. Antoninus in sua *Summa Morali* hujus Tractatus meminit, dicitque Arnaldum denatum fuisse anno 1309; Spondanus vero sequentem annum designat, sed eum adhuc vixisse anno 1316 scripsit Fernandez. Hæc porro annotamus ut inde appareat hanc in Nos tempestatem circa eadem tempora motam fuisse.

Quo tempore vixerit Arnaldus de Villanova.

Historia Universitatis Parisiensis, sexto seculo, p. 42.

Spondanus ad ann. 1310.

IV. Hanc Arnaldi opinionem quidam quasi communi sensui contrariam despiciunt. Sed eam viri doctissimi longe ante eos approbaverunt, inter quos numerantur Joannes Andreas de quo post annos viginti quinque dicemus, et Urbanus Paisi de Diano doctissimus medicus, quem videbimus anno 1494 laudantem tuentemque nostram ab esu carnium abstinentiam, ipsiusque Arnaldi verba elucidantem. Sed novissime Ludovicus Nonnius, medicus Antverpiensis eruditissimus, in suo *De re cibaria* Tractatu nuper edito, multis probat piscium usum ad salubrem victus rationem multum præstare: non quidem athletis, non militiæ adsuetis, nec rusticis laboribus occupatis, sed hominibus qui forensem vitam, qui otia ac studiorum amœna sectantur, senibusque imbecillis et ægrotis. Deinde postquam suam sententiam variis firmavit populorum exemplis, qui antiquitus solis piscibus vescebantur, sic addit: « Autor est Petrus Piellonius, Libro primo *Observationum,* plerosque Asiæ et Græciæ populos piscibus

ARNALDI OPINIO A VIRIS GRAVIBUS APPROBATA.

Nonnius *de Re Cibaria,* lib. 3. de Piscium alimento.

ANNUS 1303

frequentissime vesci ac saluberrime vivere. Quid dicam de Cartusianis monachis qui perpetuo carnibus bellum indixerunt, egregia tamen et firma veletudine uti? »

Denique noster Boso, Tractatu sæpe laudato *de Origine et veritate perfectæ Religionis* quem maxime eadem de causa eodem tempore composuit, capitulum inseruit singulare, duplo Tractatu Arnaldi prolixius, in quo probat Doctores qui nostram calumniabantur consuetudinem, quondam fuisse aliorum Ordinum Religiosos « qui sua, ut ait ille, graviora negligentes et aliorum levia trutinantes, et etiam presumptuose et temerarie judicantes et condemnantes in hac materia Cartusiensium sanctitatem, non metuebant homicidas eos appellare crudelissimos, quod infirmis suis carnes in alicujus infirmitatis articulo non ministrarent. » Contra hujusmodi calumniatores tribus procedit argumentis, quibus probat: 1. Nullum teneri ex præcepto divino (si solum præceptum demas de carnibus agni Paschatis edendis) ad comedendas carnes in sanitate, 2. nec ad id obligari infirmitate, 3. nec ad utrumque teneri ex aliquo præcepto canonico vel civili; quæ omnia tuetur cum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum autoritate. Deinde omnium medicorum tam Græcorum quam Arabicorum et Latinorum consensu, ostendit pultim, sorbitiunculas, brodia seu juscula, vitellos ovorum, pisciculos et alia hujusmodi, facile supplere vices carnium iis maxime hominibus quorum stomachus a carnibus desuevit ex diuturna consuetudine, quæ altera natura non absurde potest dici. Tandemque concludit Cartusienses huic praxi quæ ab Ordinis fundatione ducta apud eos invaluit, tam constanti animo adhærere non ex superstitione aliqua sed sola pietate, et ne in damnosam remissionem dilabantur. Nec tamen propterea damnare se vel judicare eos qui aliis in Ordinibus vescuntur carnibus, dummodo contra votum vel professionem non veniant, iisque utantur loco, modo, et tempore competenti.

Ex his porro probe innotescit quantum Ordini nostro a carnivoris hominibus, propter tam sanctam atque laudabilem a carnibus abstinentiam, facessitum sit hoc tempore negotii.

Sed nondum statim finis. Videbimus annis et sequentibus seculis eadem adversus Nos bella resurgere, et innumerabilium obtrectationum acervos congregari ; sed irrito semper et inani conatu, Deo pro Cartusiensi familia ubique semper pugnante et triumphante, ac manifestis indiciis miraculisque palam ostendente gratam esse sibi nostram hanc severitatem arctissimam, ut varia exempla suis locis referenda declarabunt.

ANNUS 1303

V. Hoc præsenti anno Beatrix a Sabaudia Guigonis quondam delphini vidua, Monialium cartusiensium Melani fundatrix, quamdam vineam Majori Cartusiæ concessit. « Nos, inquit, Beatrix filia inclytæ recordationis domini P. comitis Sabaudiæ, domini Fucigniaci domus : damus, tradimus et concedimus Domui Cartusiæ perpetuo quamdam vineam sitam in parochia de. . . quæ continet circa viginti octo fossatas vineæ ; quam vineam eidem Domui vel mandato eorum salvare, custodire, et comparare bona fide promittimus in judicio et extra, etc. Actum apud Montemfloridum, die dominica post festum B. Mariæ Magdalenæ, anno MCCCIII. »

BEATRIX A SABAUDIA DELPHINA MAJORIS CARTUSIÆ BENEFACTRIX.

Ex Cartular. Maj. Cart.

VI. Eodem tempore Boso Prior Cartusiæ emit grangiam de Foresta, ut legitur in Chronico Cartusiæ. « Cum enim abbatia Calesii quæ tunc erat Ordinis S. Benedicti, fere omnia bona sua ex malo regimine domino Aymaro de Bellovisu impignorasset sive aliter alienasset, ita quod de cætero spes eam recuperandi non erat ; vir Dei beatus Boso, zelo domus Dei accensus, dicta bona de manu ipsius redemit, supplicantibus et rogantibus Abbate et Fratribus dictæ Domus Abbatiæ ; postea de consensu Papæ dicta Abbatia fuit Ordini concessa. » Sed præstat rem alias repetere.

INITIA UNIONIS ABBATIÆ CALESIENSIS.

Chron.Cart. mss. cap. 16.

Ex his quæ de præfata Calesiensi abbatia variis in locis horum Annalium diximus, eam velut quemdam religionis Proteum, varias a sua fundatione diversorum Institutorum formas induisse animadvertere fuit. Hanc siquidem primum incoluere Eremitæ Cartusiensibus ita similes, ut per plures annos in priscorum Majoris Cartusiæ Patrum arbitrio pendentes, idem prorsus vitæ genus ducere visi sunt. Deinde

Quam instabilis illius status.

Vide supra an. 1108.

ANNUS 1303

mutato Priorum regimine sed servata veste alba, Benedictinam Regulam sub unius Abbatis nomine amplexi sunt. In hoc statu magnam pietatis existimationem consecuti, quasi specialem Ordinem constituerunt; quo brevi per alia aliquot monasteria propagato, facta est Calesiensis abbatia novi in Ordine monastico Instituti caput. Inde Abbates plus autoritate quam pietate insignes effecti, cœpere in detrimentum Regulæ aulas Principum frequentare. Monachi interim sibimetipsis derelicti non diu pristinæ adhæserunt observantiæ, sed iis tepescentibus sensimque ab omni morum disciplina desciscentibus, ac consequenter utroque corruente statu, locus habitatoribus desertus in potestatem primum Bonævallensium, Cisterciensium, deinde S. Theofridi monachorum nulla necessaria intercedente autoritate devenit; donec tandem Guillelmus de Cassenatico, episcopus Gratianopolitanus, bona illius cum Abbatiæ titulo Prioratui S. Desiderii de Vorapio subter Calesium sito, qui est abbatiæ S. Petri membrum, adscripserit. Hujus unionis præcipuæ conditiones fuerant ut debita creditoribus solverentur, bona distracta redimerentur, ac duodecim monachi cultui divino vacantes ibidem alerentur. Verum cum nullæ earum conditionum observarentur, resque in pejus dehiscerent, Martinus de Viriaco S. Petri monachus ac tunc S. Desiderii Prior, et eo nomine Calesii abbas, abdicata abbatiæ dignitate locum Guillelmo de Reyno cessit, quem anno 1301 vidimus Cassenatico in episcopatu successisse.

A variis Monachis occupata.

Huic consenserunt cessioni Jocerandus abbas et totus S. Petri Conventus, nominatis propterea suis procuratoribus N. de Serreria Priore de Charnas, Malleno Revoyri Priore de Ripis, et Aymone Doynes dicti monasterii S. Petri foris portam Viennensem (ut habet Instrumentum) eleemosinario. Hi itaque hoc præsente anno, nomine sui Abbatis et Conventus, « recognoscentes locum Calesii quamdiu tenuerunt fuisse onerosum eorum monasterio, nec unquam in dicto loco profecisse, nec dictum monasterium ad præsens habere unde possit commode prædictis alienationibus et debitis occurrere;

Episcopo Gratianopol. traditur.

Ex citato Cartulario.

ANNUS 1303

consentiunt ad dissolvendam unionem dicti monasterii Calesii et Prioratus Sancti Desiderii olim factam, et ad illud transferendum et submittendum in alias personas Ecclesiasticas », illudque reipsa dimittunt in manus præfati Episcopi. Statimque Episcopus et Jacobus de Pomeriis decanus totumque Capitulum Ecclesiæ Gratianopolitanæ, videlicet: Soffredus de Arciis Prior de Rupe, Nicolaus Pignati cabiscolus, Jacobus de Vineis infirmarius, Bernardus de Franchino archipresbiter de Ultra Draco, Berlio Alamandi cantor, Guillelmus de Royno Prior Eleemosynæ, Thomas Grivelli archipresbiter in Viannesio, Joannes de Seezirino operarius, Guigo de Collis courearius, Hugo Chatier, Bonetus Escoferii, et Syboudus de Verneto canonici dictæ Ecclesiæ, more solito in Capitulo congregati, et magister Guigo de Meolano Ebredunensis canonicus et curiæ Gratianopolitanæ officialis, scriptis publicis litteris hanc Abbatis et Conventus S. Petri cessionem recipiunt, unionem olim factam dissolvunt, monasteriumque Calesii extincto abbatiæ titulo Majori Cartusiæ adscribunt; datis hoc anno pluribus Instrumentis in quorum primo sic loquuntur :

Cum potestate illam transferre ad alium Ordinem.

« Nos Guillelmus miseratione divina Gratianopolitanus episcopus, Jacobus de Pomeriis decanus, et Capitulum Ecclesiæ Gratianopolitanæ more solito in Capitulo congregati, notum facimus. . . . quod cum olim Domus abbatiæ Calesii nostræ diœcesis per albos Monachos solita gubernari, fuisset unita et subjecta, per bonæ memoriæ Domnum Guillelmum quondam episcopum Gratianopolitanum et per tunc Decanum et alios canonicos de dicto Capitulo, monasterio S. Petri foris portam Viennensem; et Prioratus S. Desiderii juxta Vorapium pertinens ad dictum monasterium S. Petri fuisset unitus et subjectus dictæ Domui Calesii, ut dicta Domus a suis creditoribus quibus tum tenebatur tantum in quinquaginta libras viennenses per prædictos quibus uniebatur liberaretur, et ut ibi divini cultus per duodecim monachos ibidem residentes exercerentur, et ut dicta Domus cum suis grangiis, domibus, utensilibus, libris et aliis ornamentis

Nostris adscribitur.

ANNUS 1303

ecclesiasticis quibus ultra alias ecclesias nostræ diœcesis erat prædita, in bono suo statu non ea diminuendo sed augmentando de bono in melius conservaretur : et post dictas uniones in dicto loco nullo tempore ibidem (ut promissum fuerat) divinum officium exercendo, nec ibidem completum numerum monachorum aptorum (ut promissum fuerat) continue tenendo ; dominus Martinus de Viriaco nunc abbas dicti loci, et alii qui dicti loci Rectores fuerunt, cum deberent (ut conventum fuerat) dictum locum saltem in statu in quo eum receperunt conservasse, grangiam de Foresta sita juxta sanctum Genesium de Augusta, quæ erat de melioribus membris dictæ Domus Calesii, vendiderunt sub pretio nongentarum librarum cum tantum plus valeret ; necnon omnes alias grangias, vineas et terras dictæ Domus, præter montana et vineam sitam juxta cellarium dictæ Domus, ad perpetuam emphiteosim certis personis sub certis censibus dederint ; cum tamen multos Rendutos et Conversos in dicta Domo (ut asseritur) receperint, qui nihil utilitatis in dicta Domo faciunt, cum terræ quas excolere deberent ascensatæ sint ; item utensilia et animalia quæ in dicta Domo tempore unionis quamplura invenerunt, totaliter vendiderint et consumpserint in præjudicium non modicum dictæ Domus ; item libri et alia ecclesiastica ornamenta quibus dicta Domus inter cætera monasteria nostræ diœcesis erat prædita, pro majori et meliori parte culpis et negligentiis dictum locum regentium sint deperdita et nescitur quibus personis tradita, in quo dicta Domus non solum damnificata enormiter, sed est quamplurimum deturpata ; dictamque Domum in mille quadringentis libris, certis et duris creditoribus obligaverint a quibus nihil curialitatis, sed quidquid est malitiæ poterit obtinere ; item quædam magna et lata ædificia quæ ibidem erant, pro majori parte, culpa dictum locum regentium, ceciderint, reliqua parte ruitura nisi quantocius occurratur ; et ecclesia dicti loci multis sumptibus constructa, tanto tempore culpa dictum locum regentium discooperta steterit, quod arbores super testitudinem ejus excreverint ; necnon bona dictæ Domus in

Miser illius status.

Ecclesiast. ornamentis spoliata.

Debitis onerata.

Ædificia ruinosa.

tantum attenuata sint sub regimine prædictorum. . . . . . Attendentes melius et securius esse, ante omnem destructionem, retentioni et reparationi dicti loci occurrere quam post omnem destructionem remedia quærere, quæ longum et spatiosum esset postea invenire : ad requisitionem dicti domini Martini abbatis dicti loci, et dominorum Joannis de Charnas et Malleni Prioris de Ripis procuratorum monasterii S. Petri et Jocerandi abbatis ejusdem. . . . . prædictas uniones et subjectiones tollimus, dissolvimus et penitus annullamus. . . . quibus plane actitatis et perfecte cum solemnitate quæ in talibus est adhibenda, prius inquisito et deliberato cum nostro Capitulo supra dicto an esset nostræ Ecclesiæ utili locum prædictum ad manus dictæ Ecclesiæ retinere, necnon eum pluribus Religiosis nostræ diœcesis, si vellent, dictum locum in quo est recipere. . . . . et Domum a prædictis obligationibus relevare ; nec invento aliquo qui ad prædicta vellet manum apponere adjutricem : attendentes, ex prædictis oppressionibus et depressionibus et bonorum dictæ Domus alienationibus et substractionibus, dictam Domum non habere unde posset quatuor Monachos cum Conversis et Rendutis sustentare ; attendentes per nullos alios ut per Domum Cartusiæ dicto loco posse in spiritualibus et temporalibus subveniri. . . . Ex causis prædictis et aliis multis, Abbatis nomen supprimendo. . . . . mediante fratre Simeone de Alavesco monacho Cartusiæ et Procuratore, per Priorem et Conventum Domus Cartusiæ destinato ad recipiendam unionem, subjectionem et translationem : unimus et subjicimus, et totaliter transferimus Domui Cartusiæ et in Domum Cartusiæ, regendum, gubernandum et corrigendum per Priorem Cartusiæ, dictum locum Calesii cum suis pertinentiis, etc. Actum et datum Gratianopoli in Capitulo, anno MCCCIII, Indictione prima, Nono Calendas Januarii, coram testibus et me Guidone de Amburiaco notario publico, etc. »

ANNUS 1303

Antiquæ uniones dissolvuntur.

His ita transactis et necessariis approbationibus confirmatis, cum Boso Cartusiæ Prior illuc Priorem monachosque ad statum spiritualem reformandum et juxta nostra Statuta fun-

ANNUS 1303

dandum mittere cogitaret: ecce quasi improviso plures alii adsunt creditores majora prioribus repetentes debita, quæ vel luere vel Domum jam receptam deserere opus erat. In his angustiis positus, Boso, de Martino Viviaco ultimo abbate et Jocerando S. Petri Viennensis abbate (qui hujusmodi unionem prosecuti fuerant) apud Episcopum conqueritur; tandemque totum negotium per arbitros post biennium componitur, utroque Abbate quamdam pecuniam refundente, sed Bosone mille et quingentas libras variis creditoribus solvendas in se suscipiente. Posthac, revocato ad Cartusiam præfato Simeone, Aymo de Plantata (qui de Augusta postea crebrius dictus est) ejusdem matris Cartusiæ alumnus, Domus Calesiensis Protoprior instituitur, missis cum eo sex Monachis sacerdotibus et uno Clerico Reddito, quos tum e sua tum e vicinioribus cartusiis Boso assumpserat: videlicet, Falconem, Durandum de Villavalle, Petrum de Valle Navigii, Lantelmum de Barralibus, Petrum de Arenis, Jacobum Chamoisii, et Guigonem Favenii clericum Redditum, cum famulis et servitoribus necessariis, ut loquuntur acta. Hi omnes in manu sui præsidentis renovata pro more temporum professione, ut veri ac legitimi recentis plantationis filii ac fundatores habiti sunt. Statimque novo animi fervore Institutum Cartusiense in hoc desolato monasterio omnis spiritualis cultus exsorte a tot seculis interruptum reserentes, disciplinam regularem et officia divina a multis annis ibidem intermissa, cum cleri Gratianopolitani gaudio et omnium proborum hominum consolatione restaurarunt. Subsequente anno Aymo novus Prior ad comitia Ordinis generalia pergens, obtinuit ut nihil prohibente unione cum matre Cartusia facta, Calesiensis Domus una fieret ac nominaretur cartusia, unumque Ordinis membrum cum cæteris Domibus per Capitulum generale regendum constitueretur, ut fusius suo tempore dicemus.

A Nostris habitatur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1304.

Benedicti PP. XI	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 221.	Ann. 28.

I. ANNUS trecentesimus quartus supra millesimum, Indictione secunda, exoritur ; quo Boso Prior Cartusiæ non solum supra gregem suum, sed supra totum Ordinem custodiens vigilias ; cum cerneret nostri Instituti inimicos nimiam illius (ut garriebant) austeritatem indesinenter increpare, eamque ad Sedem Apostolicam tanquam vituperabilem deferre ; sapienter censuit locum apud Romam, ubi sumptibus Ordinis cartusia construeretur, a Summo Pontifice in Nos propensissimo petendum esse, ut ibi constitutus Prior res nostras facilius ac vigilantius procuraret. Autoritate igitur Capituli generalis, Michaelem Cartusiæ professum et in nova commorantem Curreriæ Domo in Priorem Trisultanum constituens, Romam ea de causa ad Summum Pontificem legavit ; nec frustra quidem : audita namque justa illius petitione, Benedictus Pontifex Sancti Cyriaci ecclesiam in Thermis sitam (quæ Cardinalatus titulus est) cum illius bonis et juribus monasterio Cartusiensi erigendo destinavit, scripta sequenti bulla :

BOSO NOVAM DOMUM ROMÆ CONSTRUERE NITITUR.

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Alatrin. et Sutrin. Episcopis ac dilecto filio Archipresbitero ecclesiæ S. Susannæ de Urbe, salutem et Apostolicam Benedictionem. Inter beneficia quæ licet indignis misericordia contulit Redemptoris, hoc quasi potissimum re-

Ecclesiam S. Cyriaci a Papa obtinet.

ANNUS 1304

putamus, si temporibus nostris ad divini nominis gloriam et augmentum humanæ salutis, Religiones laudabiles salubre suscipiant incrementum. Attendentes igitur quod Ordo Cartusiensis inter alias sacras Religiones arctiori quadam Regula limitatur, quodque in eo sicut testimonio fide dignorum accepimus, laudabiliter viget observantia regularis; et quod ad eumdem Ordinem et personas degentes in ipso utpote bonæ conversationis, honestæ vitæ ac famæ, laudabilisque sibi per vitæ meritum et aliis proficiunt, per exemplum multorum devotio fervet, reverentia crescit et pius dilatatur affectus: dignum duximus ut illa ipsum gratia foveamus per quam ipsi Ordini honor et commodum, et fidelibus salutis augmentum dante Domino procurentur. Hinc est quod nos dilectorum filiorum Prioris Cartusiensis cæterorumque Priorum et Fratrum ejusdem Ordinis, per dilectum filium fratrem Michaelem Priorem monasterii S. Bartholomæi de Trisulto dicti Ordinis, Alatrinensis diœcesis, ejusdem Ordinis procuratorem, porrectis nobis devotis supplicationibus inclinati; de fratrum nostrorum consilio ecclesiam S. Cyriaci in Thermis de Urbe, quæ titulus Cardinalis existit, cum omnibus bonis, juribus et pertinentiis suis ubilibet constitutis (eisdem tamen bonis, juribus et pertinentiis in ipsius ecclesiæ proprietate manentibus), ipsis, Priori cæterisque Prioribus et Fratribus ac eidem Ordini, concessimus et subjecimus de gratia speciali, ita quod ipsa ecclesia de cætero spiritualiter et temporaliter sit proprium membrum Ordinis memorati : statuentes ut perpetuo in eadem ecclesia sub observantia prædicti Ordinis serviatur, per Priorem et competentem Monachorum et Conversorum ipsius Ordinis numerum, qui nunc et quoties opportunum fuerit secundum prædicti Ordinis instituta instituantur et destituantur ibidem; et quod idem Prior, Monachi, Conversi ipsius ecclesiæ, ac eadem ecclesia et ipsius bona, jura et pertinentia, sub Capituli generalis prædicti Ordinis obedientia maneant, secundum instituta prædicta, sicut et cætera Prioratus membra personæ, ac bona Ordinis memorati. Nihilominus autem ipsi;

Prior, Monachi, Conversi et personæ ejusdem ecclesiæ S. Cyriaci, subsint Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus qui eamdem ecclesiam intitulatam pro tempore vel recommendatam habeant a Romana Ecclesia prædicta ; sicut alii Religiosi exempti ecclesiarum Urbis ejusdem titulum Cardinalatus habentium, subsunt aliis ipsius Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus qui eas intitulatas vel recommendatas obtinere noscuntur; salvis etiam ac libere reservatis eisdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui ut prædicitur prædictam ecclesiam intitulatam pro tempore vel recommendatam habebunt, quibuscumque redditibus, proventibus, obventionibus et juribus quæ habere solent et præcipere ipsius Ecclesiæ Romanæ Cardinales qui eamdem ecclesiam intitulatam vel recommendatam hactenus tenuerunt. Clerici quoque, si qui nunc sunt in ipsa ecclesia canonice instituti, debita et consueta beneficia obtineant in eadem donec de ipsis per Sedem Apostolicam aliter extiterit ordinatum. Non obstantibus quibuscumque litteris Apostolicæ Sedis super quorumcumque provisionibus impetratis vel etiam impetrandis, seu reservationibus vel inhibitionibus earum autoritate factis vel etiam faciendis; quibus quoad assecutionem aliarum ecclesiarum seu beneficiorum nullum volumus per hoc præjudicium generari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo vel unus vestrum, per vos vel alium seu alios, autoritate nostra, concessionem, subjectionem, constitutionem et alia supradicta faciatis firmiter observari; contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam appellatione posthabita compescendo, non obstantibus supradictis, seu si aliquibus vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici vel excommunicari nequeat aut suspendi per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Laterani, III Calendas Martii, Pontificatus nostri anno primo. » ANNUS 1304

Mortuo post menses aliquot Benedicto res caruit effectu, quam sexaginta fere annorum intervallo intermissam ardentius repeti videbimus. Sedes Apostolica post mortem Benedi- *Res caret effectu.*

ANNUS 1304

cti per menses undecim vacavit, videlicet usque ad Nonas Junii insequentis anni.

INITIA CARTUSIÆ PADULANÆ.

Ex monumentis Domus ejusdem.

II. Hoc anno Thomasius de Sancto Severino, Marsici comes, S. Thomæ Aquinatis sororis filius, cartusiam sub titulo S. Laurentii, in Basilicata, seu ut alii scribunt in Principatu Citeriori regni Neapolitani, condere incœpit; fabricæ præfecto D. Brunone Vallonisio Domus Casularum professo. Anno sequenti possessionem loci, in episcopatu Caputaquensi siti, nomine Ordinis accepit Michael Gabellonus, qui jam ab aliquot annis ex monacho abbatiæ Montis Virginis factus Cartusiensis, tandem ad novam hanc plantationem missus, eam primus sub titulo Prioris gubernavit; emissa etiam ibidem altera professione, juxta eorum temporum receptam consuetudinem. Distat hæc Domus quatuor vel quinque milliaribus ad meridiem a Marsico-novo, Caputaquensis Provinciæ urbe satis culta, in territorio Padulano, unde et dicta est cartusia de Padula; nomen vero S. Laurentii habet ex capella (ut vocant) eidem S. Martyri dicata, eodem in loco sita, quam illustrissimus fundator ab Abbate et conventu S. Mariæ de Monte Virginis partam Nostris tradidit, Michaele Trisultanæ Domus Priore (qui forsan idem est cum præfato Gabellono) donationem recipiente; ut liquet ex illius Instrumento biennio post dato, quod Joannes Dominicus Tassonus jurisconsultus, in responso pro Patribus Padulanis contra consilium Joannis Francisci de Ponte, publicum fecit; ex quo quæ ad rem pertinet eruta hic subjicimus :

Impressum Neapol. 1616.

Thomas comes Marsici ejus fundator.

« Reverendis in Christo Patribus ac sibi in Christo dilectis, venerabili Priori Cartusiæ ac cæteris Prioribus in Capitulo generali congregatis, Thomas de S. Severino, comes Marsici, salutem, etc. Nos ab ineunte pueritia sacri Ordinis vestri repleti fragrantia et odorifera opinione referti, semper Ordinem ipsum pia devotione gestavimus in intimis cordis nostri; ut si aliquando se offerret opportunitas aliqua, de Ordine ipso in terra nostra plantulam locaremus. Quia igitur Domus, officinæ, et ædificia ecclesiæ S. Laurentii sita in territorio nostræ Padulæ de Valle Diani, Caputaquensis diœce-

sis, cum omnibus juribus et pertinentiis ejusdem terræ, ad nos nuper sunt per medium permutationis rationabiliter devoluta; volentes quod dudum salubriter concepimus perducere ad effectum, ipsas domos, ædificia et officinas cum vineis. . . . ad dictam ecclesiam S. Laurentii quomodolibet pertinentibus, ad omnipotentis Dei gloriam ac pro remedio ac salute animæ nostræ et parentum et successorum nostrorum, vobis ac Ordini vestro pure et rationabiliter in perpetuum damus et concedimus . . . . Item donamus vobis, tradimus et concedimus, nomine et vice ejusdem loci ac pro ipso irrevocabiliter imperpetuum, nostram Magnam cum peleariis positam in tenimento dictæ terræ nostræ Padulæ. . . . De supradictis autem omnibus et singulis, religiosum virum fratrem Michaelem Priorem monasterii S. Bartholomæi de Trisulto, ejusdem Ordinis, procuratorem vestrum ad novas Domos recipiendas specialiter ordinatum, nomine vestro ac Prioris et Fratrum qui in dicto loco pro tempore fuerint, per nostrum annulum præsentialiter investimus et in possessionem induximus corporalem, præsente, volente et consentiente domino Henrico primogenito nostro, et supradicta omnia ratificante. . . . Has donationes, concessiones, libertates et immunitates vobis facimus, indulgemus atque concedimus, ad sustentationem, commodum et utilitatem novæ Domus, seu monasterii construendi, et ædificandi auctore Domino prope ecclesiam S. Laurentii prælibatam, etc. In quorum omnium testimonium et perpetuam firmitatem præsens privilegium ex prædictis omnibus confectum, vobis et Fratribus dicti loci concedimus sigilli nostri et Henrici prædicti munimine roboratum. Datum in casali terræ Palchuræ, anno Domini MCCCVI, mensis Januarii, die 28 quartæ Indictionis. »

ANNUS 1304

Extant quoque ejusdem permutationis literæ, in quibus Abbas sic loquitur : « F. Guillelmus permissione divina monasterii Montis Virginis abbas et Conventus ejusdem, considerantes quod sacer Ordo Cartusiensis, quem non immerito omni favore dignum ac gratia arbitramur, in territorio terræ

Donum approbat Abbas Montis Virginis.

ANNUS 1304

Padulæ jam debere construere quoddam monasterium intendebat, ad solum Deum habendo respectum, unanimiter concedimus, tradimus et assignamus. . . . jam dicto Cartusiensi Ordini ecclesiam seu capellam S. Laurentii, etc. Et te Matthæum de Marsico presbiterum, præsentem et recipientem vice et nomine ejusdem Ordinis et pro ipso, de dicta capella per nostrum annulum præsentialiter investimus, etc. Data in nostro monasterio, anno MCCCVI, mense Septembri, quintæ Indictionis. »

Alf. in Orig. Cartus.

Postea hæc ipsa Abbatia sanctæ Mariæ de Monte Virginis, ut habet noster Alfaura, huic cartusiæ unita fuit, sicut et Abbatia de Cadossa, autoritate Leonis X Summi Pontificis. Hujus unionis fit mentio ab Ughello: sed pro monasterio Montis Virginis nominat abbatiam S. Nicolai, nisi forte sit eadem diversis nominibus designata. Sed ad fundatorem redeamus.

FUNDATOR MORITUR.

Ex ch. 1322.

Ughel. in episc. Caputaquen.

III. Ejus obitus, octo et decem annis post fundatam cartusiam, in Charta reperitur his verbis : « Obiit dominus Comes S. Severiani fundator Domus S. Laurentii de Padula, qui habet monachatum sine psalteriis. » Sed eum biennio ante decessisse habet Ughellus, qui præterea asserit corpus ejus jacere in sacello cœmeterii hujus cartusiæ, sub marmore in quo sequens legitur epitaphium :

Hoc claudor saxo, primus qui saxea feci
  Fundamenta Domus, Cartusiane, tuæ.
Marsicus ecce Comes, Thomas en Sanseverinus :
  Ad Dominum pro me fundito corde preces.

Item ejus uxor.

Ex ch. 1347.

Ipsi diu superstes ejus uxor fuit, cujus obitus reperitur post viginti quinque annos in Charta his verbis : « Obiit domina Comitissa S. Severini fundatrix Domus S. Laurentii de Padula, quæ habet tricenarium per totum Ordinem. » Hæc Charta ; quæ tamen potest loqui, non de fundatoris uxore sed de ejus nuru ; sæpe enim fundatoris nomen in nostris Chartis fundatorum successoribus tribuitur. Primogenitus nostri fundatoris fuit Henricus, in præscripta fundationis charta et in Caroli Siciliæ regis literis alibi describendis nominatus. In

De quibusdam illius successoribus.

V. ad an. 1309.

Chartis capitularibus inter mortuos reperiuntur: Dominus Guillelmus de S. Severino[a] cum tricenarii beneficio, Aymericus[b] de Sancto Severino comestabularius regni Siciliæ, qui Pontificis Avenionensis partes secutus fuerat; et magnificus et potens[c] dominus Aymericus de S. Severino comes Caputacii, successor fundatorum Domus de Padula, Alfonso regi gratiosissimus.

ANNUS 1304

[a] Ex ch. 1343.
[b] Ex ch. 1396.
[c] Ex ch. 1451.

Ejus generis nobilitas.

Porro Sanseverinorum familiam æque nobilem fuisse ac antiquam apud Scriptores reperio. Ughellus in *Catalogo Marsicensium Episcoporum* meminit Normanni, domini Marsici, qui anno 1089 duas ecclesias Rado S. Stephani de Marsico abbati dedit. Hunc Roccus Pirrus in *Regum Siciliæ Chronologia* Gaufridum vocat, quem Rogerii Siciliæ comitis filium facit. Volateranus de eadem familia loquens, tempus et occasionem quibus cœperunt pro scutario symbolo fascia coccinea in argenteo laterculo uti, sic describit : « Initium gentis a Gallis fuit jam inde sub Carolo I, quo Beneventum obsidente ac jam cum exercitu terga dante, Procerum unus ex hoste forte interempto sublata sanguinea interula, pro vexillo aciem firmavit; unde postea rubræ lineæ signa posteri assumpserunt. »

PRÆCIPUI PADULÆ BENEFACTORES.

IV. Præcipui hujus Domus benefactores agnoscuntur : Andreas Agnesius, Cathedralis Neapolitanæ canonicus, et abbas commendatarius Sanctæ Mariæ de Casalibus prope terram Pisticii; qui aliquando per hanc Domum transiens, a Joanne de Ammirata tunc Priore tam humane exceptus est ut postea eamdem Abbatiam, consentiente Nicolao V, Padulanæ cartusiæ transcripserit, addito etiam amplissimo S. Basilii feudo. Hujus cessionis mentio habetur in Charta capitulari per quam Conventui hujus Domus « conceditur licentia quam petit, videlicet quod possit tenere quamdam Abbatiam quæ est sita extra terminos Domus. »

Ex ch. 1452.

Joannes Jesualdus, presbyter Neapolitanus, abbas quoque fiduciarius S. Mariæ de Cadossa, obtenta a Leone X licentia, idem beneficium huic Domui contulit, sub Innocentii de Novaria Prioratu. Statim post hujusmodi unionem, monachorum

ANNUS 1304 numerus usque ad quatuordecim increvit ut constat ex Visitatorum hujus Domus Indice, cum vix novem ex Domus facultatibus antea possent sustentari.

In Charta anni 1526 mortui dicuntur : « Milanus de Milano Donatus et benefactor, Masella Petita donata et benefactrix ». Eodem tempore quo isti duo præfati obierunt, hæc Domus præter Monachos, Conversos, Oblatos sive Donatos in monasterio morantes, habebat etiam in villis sive in grangiis suis Oblatos uxoratos octo, et Oblatas mulieres septem. Hujusmodi Oblati et Oblatæ erant plerumque famuli et famulæ, qui se alicujus Domus obsequio devovebant sine ullo mercedis pacto, contenti victu et vestitu, tam sani quam infirmi. Alii etiam erant Oblati vel Oblatæ nulli famulari ministerio addicti, qui bona sua monasterio erogabant ea conditione ut vel eorumdem bonorum usufructu, quoad viverent, potirentur, vel facta etiam generali cessione tum dominii tum usufructus, bonis monasterii alerentur. Nec solum inter Nos, sed etiam apud aliorum Ordinum Monachos hic mos viguit, ut ex tabulario Abbatiæ sanctæ Catharinæ Domui nostræ Borboniensi incorporatæ didiscimus. Hujusmodi Oblatos sive Donatos, maxime conjugatos, a Patribus prohibitos fuisse alibi diximus.

Sed ad Padulanæ Domus benefactores redeamus, quorum adhuc duo nostris in Chartis reperiuntur, videlicet :

« R. P. D. Bernardinus Brancatius de Neapoli, abbas mo-
Ex ch. 1539. nasterii S. Nicolai de Padula, qui habet anniversarium perpetuum per totum Ordinem sub die 10 Septembris. » Hic videtur patruus fuisse Joannis Brancacii qui factus ejusdem monasterii Abbas, ea sese dignitate abdicavit ut tum seipsum tum bona sua huic Domui traderet, induto ibidem Cartusiensi labaro, ut alibi dicemus.

Alterius benefactoris nomen et liberalitatem commemorat
Ex ch. 1592. alia Charta sub his verbis : « Oblationem admodum illustris domini Margaritoni Soffredi Neapolitani, quam fecit per publicum Instrumentum omnium bonorum et jurium suorum præsentium et futurorum Domui cartusiæ S. Laurentii prope

Padulam, laudamus, approbamus et acceptamus, ac in perpetuum confirmamus. »

ANNUS 1304

Status conventus Padulani.

Meleag. Pentim. in Catal. Cart. edito an. 1622.

Porro status hujus Domus a Maleagro Pentimalli sic describitur : « Monasterium, inquit, sancti Laurentii de Padula Caputaquensis diœcesis, Provinciæ Principatus (quam nominant), ab illustriss. Thoma Sanseverino comite Marsico ann. 1305 splendidissime ac mirifice primo erectum ; deinde incolarum Monachorum vitæ sanctitate, ministrorum prudentia, bonorum fratrum Conversorum exemplo et ardenti in Deum et in proximum charitate, mirifice est auctum. Cujus numerosa familia Religiosorum adeo pietatis studia semper excoluit, ut minimum sit quod pro suo usu consumitur ; maximum quod Christi pauperibus erogatur. Toti enim sunt in dispensandis eleemosynis et profusa charitate excipiendis hospitibus et advenis, juvandis monasteriis Mendicantium, cæterisque personis ecclesiasticis.

« Viget hic mirifice regularis observantia, et Religiosi educantur devotissimi et timorati. Hinc est quod omnino amore sæculi exploso et divinis solummodo laudibus invigilantes, si quando pro tuendis monasterii juribus vexantur, humiliter custodiunt patientiam et lites fugiunt et forensia, cane pejus et angue. »

EDUARDUS REX ANGL. PRECES IMPLORAT CART. HENTONENSIS.

V. Ex Italia calamum retrahentes, Scotiam usque penetremus. Ibi enim invenimus Eduardum regem Angliæ Scotos armis insectantem, et ex urbe Pertho, vulgo Fano S. Joannis, preces Cartusiensium implorantem, scriptis ad Gilbertum Priorem totumque cartusiæ Hentonensis Conventum sequentibus litteris :

Extant inter antiquas constitut. Reg. Angliæ editas an. 1672.

« Rex, Religiosis viris in Christo sibi dilectis, Priori et Conventui Ordinis Majoris Cartusiæ de Hempton, salutem. Qualiter pro tranquillitate et pace regni nostri, ad proterviam et malitiam Scotorum inimicorum et rebellium nostrorum in pertinacia sua perdurantium reprimendam, sumus Nos ipsi cum comitatu Nobilium dicti regni in dictis partibus Scotiæ constituti non credimus vos latere : et quia in homine non est auxilium sine Deo, ac propter hoc oportet impotentiam divinæ

ANNUS 1304

manus præsidiis sustentari; vos affectuose requirimus et rogamus quatenus Nos, Margaretam consortem nostram carissimam, liberos, ligios, et fideles nostros, et omnes adhærentes nobis ac expeditionem nostram in prædictis partibus et alibi ubicumque, in Missarum solemniis, orationum suffragiis et aliis beneficiis specialiter recommendatos habentes, Deum et Dominum nostrum protectorem pro nobis et ipsis suppliciter exoratis ; ita quod per vestra orationum suffragia gratiam nobis et ipsis adaugeat, Nosque et dictam consortem, liberos, ligios nostros et fideles prædictos nobis adhærentes ac regnum nostrum sua pietate ab omnibus adversitatibus tueatur ; et de numero Missarum, orationum et beneficiorum quæ in hac parte duxeritis facienda, nos reddatis per vestras litteras certiores. Teste Rege, apud villam Sancti Joannis de Perth, decima die Julii. »

Hanc epistolam Guillelmus Prynne in *Antiquis Constitutionibus Regni Angliæ* refert ad annum regni Eduardi, hujus nominis primi, trigesimum primum; qui ad annum præsentem spectat. Per Chartam anni præcedentis preces indictæ toti Ordini jam fuerant « pro Rege Angliæ, Regina et liberis eorum ».

ORDINATIONES CAP. GEN.

VI. Tres tantum ordinationes hoc præsenti anno in Ordinis Comitiis promulgantur; quarum prima ad Moniales spectans alibi retulimus ; altera circa Procuratores hoc continet : « Monemus Priores et consulimus quod non permittant Procuratores servare pecuniam ultra decem libras. » Tertia ad Conversos pertinet, estque sequentis tenoris : « Imponimus silentium omnibus ne de cætero rogent de barbis reddendis illis qui meritis suis amittere meruerunt. » Legenda sunt Antiqua Statuta ut sensus hujus ordinationis intelligatur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1305.

Clementis PP. V	Ordin. Cartus.	Bosonis Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 222.	Ann. 29.

I. MILLESIMO trecentesimo quinto Christi anno, Indictione tertia, in vigilia Pentecostes Bertrandus archiepiscopus Burdigalensis a Cardinalibus Summus Pontifex, licet absens, Perusiæ eligitur, cum per annum fere integrum Sedes vacasset. Is Pontifex Sedem Pontificiam transtulit ab urbe Roma Avenionem, Galliæ urbem; ubi successores ejus septuaginta et amplius annis mansere usque ad tempora Gregorii XI, qui relicta Gallia Romam repetiit, ut suo dicemus loco.

CLEMENS V CREATUR.

Genebr. lib. 4. Chronog. sub Clem. V.

Sedem in Gallias transfert.

Scribunt Autores, post Clementis electionem Cardinales omnes (duobus exceptis, qui senio graves iter suscipere non potuerunt) in Gallias ad Pontificiam tiaram solemni ritu ipsi conferendam Lugdunum se contulisse, ubi coronatus est infra S. Martini vel paulo ante octavas, tertio scilicet Idus Novembris, ut alii volunt.

II. Interea Neapoleo Ursinus, cardinalis diaconus S. Adriani, a Bonifacio VIII ante annos aliquot missus in Picenum Legatus, Forum Livii petiit ubi a Godefrido Priore in Seitz et aliis Domorum Ordinis nostri diœcesi Aquileiensi subjectarum Prioribus rogatus, eas a præstatione cujuscumque subsidii per Legatos imperati exemit, dato sequenti diplomate ad Aquileiensem et ejus Archidiaconos :

NEAPOLEO CARDIN. LEGATUS QUOSDAM DOMOS A SUBSIDIIS EXIMIT.

« Neapoleo, miseratione divina S. Adriani diaconus cardinalis, ac Apostolicæ Sedis Legatus in Marchia Aquileiensis

Ex Tabul. Cart. Seitz.

ANNUS 1305

diœcesis, Cartusiensis Ordinis prioratuum Priorum et paupertati compatimur et piis precibus commovemur. Ipsi enim qui in laboribus plurimis, in orationibus continuis, religiosæ asperæ vitæ et pauperculæ stipem quærunt, in illorum dicuntur medio constituti qui non attendentes quod eorum vita in paupertate fundatur, eorumque mentes tenduntur ad Dominum, in carne ambulant sed non secundum carnem, ipsorum conversatio cœlestia repræsentat, eos injuria opprimunt et facultatibus propriis exuere non verentur ; propter quod dignum et congruum reputamus ut eos propter sanctæ vitæ studia in sortem Justorum assumptos, quantum cum Deo possumus, opportuni auxilii et favoris amplitudine prosequamur. Cum itaque dicti Priores et Fratres a solutione procurationis Legatorum per specialia ejusdem Sedis privilegia sint exempti, discretioni vestræ, autoritate qua fungimur, mandamus quatenus eos et alios Fratres dicti Ordinis vestræ diœcesis contra Indulta hujusmodi non gravetis. Nos enim omnes sententias vel processus, si quos contra mandatum hujusmodi per vos vel aliquos alios de mandato vestro haberi contigerit, irritos decernimus et inanes. Datum Forolivii, 10 Calendas Novembris, Pontificatus Domini Clementis Papæ V anno primo. »

OTTOBONUS PATRIARCHA AQUILEI ORDINEM PROTEGIT.

III. Præerat tunc patriarchatui Aquileiensi Ottobonus, jurium Ecclesiæ sibi creditæ defensor acerrimus et nostri Ordinis fautor specialis, qui hoc etiam anno litteras in eorumdem Priorum gratiam dedit ad suos Archidiaconos, Plebanos et eorum Vicarios, quibus præcipit ut subditos nostris Domibus homines, qui alieno sese dominio subdiderant, ad Cartusiensium servitium redire compellant; oppressoresque et invasores bonorum nostrorum per ecclesiasticam censuram ad satisfactionem cogant. Sed præstat Patriarcham ipsum audire hoc imperantem :

Ex Tabul. prædicto.

« Ottobonus Dei gratia S. Aquileiensis Sedis patriarcha, dilectis in Christo filiis Archidiaconis, Plebanis et eorum Vicariis per Aquileiensem diœc. constitutis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam divina Providentia nos in emi-

nenti loco non sine causa posuit, oculos pietatis et manum protectionis ad eos specialiter qui die noctuque Deo pro viribus serviunt, debemus dirigere; quia propter diversas afflictiones et injurias quas crebro patiuntur, venit tempus ipsis necessario miserendi. Sane ergo servitiorum Dei arduitatem et sanctæ hospitalitatis generalitatem, quas dilecti in Christo filii Prior et Conventus Domus Vallis S. Joannis in Seitz, Ordinis Cartusiensis, viri religiosissimi præ cæteris faciunt, cum gaudio perpendentes: vestræ discretioni injungimus firmiter et mandamus, quatenus servos et ancillas dictæ ecclesiæ proprios, qui in animarum suarum periculum et ipsius ecclesiæ præjudicium atque Dei et Sanctorum ejus contemptu, alieno se subdiderunt vel subdiderint dominatui, ubique in vestris plebibus vel parochiis fuerint, competenter admonitione præmissa, per censuram ecclesiasticam et divinorum et sacramentorum substractionem, quibuslibet occasione vel excusatione postpositis, compellatis redire; si id a Priore vel ejus Vicario et Conventu fieri postulatur. Insuper violentos læsores seu oppressores familiarum et colonorum, raptores et universaliter invasores possessionum, vinearum, sylvarum, nemorum, saltuum, pascuorum, agrorum, piscationum seu rerum et bonorum qualiumcumque, et eorum defensores et tutores ac occultatores manifestos et occultos, præhabita admonitione condigna, ad satisfactionem plenariam vel quam præfati Prior et Conventus pro bono acceptaverint, censura simili et sub maledictionis anathemate compellatis. Præterea donationes, beneficia, libertates et gratias, quas ipsi vobis privilegiis Papalibus sibi indultas monstrare poterint, prædictarum concessionum integra conservatione in parochiis vestris pro posse ad plenum exequimini, in hac parte autoritate nostra, imo verius Apostolica perfruentes. Igitur si prædictis et Priori et Conventui expedire videbitur, Prior vel ejus Vicarius sive qui de consilio Conventus ordinate mittitur, ea quæ dicta sunt in ecclesiis vestris exequi poterit, quotiescumque eorum necessitas seu utilitas exigit et requirit. Ita etiam quod omnes injurias quantumcunque antiquas, harum litte-

ANNUS 1305

rarum imo Apostolicarum, (quas si requiritur, ostendere tenentur) autoritate valeant recuperare. Vos quoque in his omnibus tam benignos quam benevolos exhibeatis, ut meritum a Deo speretis, et canonicam et divinam in Papalibus litteris expressas evadere possitis terribiles ultiones. Datum Utini, anno Domini 1305, in crastino Conversionis sancti Pauli apostoli. »

Similes litteras in Gyriensium Monachorum favorem scripsit.

JOANNA REG. FRANC. OBIIT BENEFACTRIX ORDINIS.

IV. In Capituli generalis hujus anni Charta « conceditur illustrissimæ dominæ Reginæ Franciæ nuper defunctæ tricenarium et anniversarium per totum Ordinem, sub die obitus sui qui fuit 4 Nonas Aprilis ». Hæc fuit Joanna Franciæ et Navarræ regina, Philippi Pulchri uxor, Cartusiensium benefactrix, quam Sammarthani obiisse anno præcedente dicunt; sed more Gallico ut colligere est ex Chartæ verbis, quibus nuper defuncta dicitur.

Item Nicosiens. Archiepiscopus.

** Urbs Cypri insulæ.*

Raynald. ad hunc annum.

Per eamdem Chartam preces indicuntur pro prosperitate « illustris Regis Franciæ et pro illustri domina regina Maria vidua (Philippi Audacis, de qua jam alibi), et pro regina Blanca. » Hæc est filia Caroli II regis Siciliæ, et uxor Jacobi II regis Arragoniæ. « Item conceditur (sunt ejusdem Chartæ verba) bonæ memoriæ domino Archiepiscopo Nicosiensi *, tricenarium et anniversarium per totum Ordinem »; dies vero in Calendario cartusiæ Luviniaci ad 6 Idus Februarii cum prima nominis illius littera, nempe G. Vocabatur autem Guillelmus, ab aliis Gerardus, quem Bonifacius VIII eum credens nascentem inter se et Francorum regem Philippum discordiam auxisse, dignitate ante biennium privaverat.

ORDINATIONES QUÆDAM.

V. De ordinationibus tum generalibus tum specialibus tres tantum hic merentur locum. Prima sub gravissimis pœnis cuilibet personæ Ordinis prohibet, ne se ullatenus immisceat negotiis sive controversiis quæ inter Magnates possint evenire.

1. « Injungimus, inquiunt Patres, Prioribus et omnibus personis Ordinis ne portare vel mittere præsumant aliquas litteras, vel etiam nuntiationes verbo tenus faciendas, quæ pos-

sent esse contra bonum pacis, scilicet inter Magnates. Qui vero opinanter vel scienter contra fecerit, pœnam criminosorum sustineat donec per Capitulum relaxetur; si Prior est vel Vicarius, eo ipso sit ab officio Prioratus vel Vicariæ privatus. » Hactenus prima ordinatio, ex cujus observatione pax pendet nostrorum monasteriorum, quorum aditus omni turbationi præclusi remanebunt, quamdiu solitariorum animi ab hujusmodi mundanis simultatibus vacui ac liberi erunt. ANNUS 1305

2. « Item injungimus Visitatoribus ut Priores vel Priorissas, quos vel quas invenerint culpabiles in dandis licentiis evagandi et spatiandi monachis suis, puniant; injungendo videlicet eisdem Prioribus quinque abstinentias præter abstinentias ab Ordine constitutas. » Hic agitur de licentiis quas per Antiqua Statuta, juxta mentem Consuetudinum Guigonis, quilibet Prior « causa recreationis cuiquam ex monachis exeundi de cella » dare poterat, quando urgens necessitas id requirebat. Verum quia quidam Priores hujusmodi licentias facilius sæpiusque quam par erat concedebant, ex præfata ordinatione admonentur Visitatores ut nascenti malo afferant remedium. Temporis quoque intercessu, ad tollendos penitus abusus hæ licentiæ ita rescissæ sunt, ut nec ipsis monachis ægrotis hodie liceat extra cellam egredi, nisi sola die quæ spatiamento communi in qualibet hebdomada assignatur.

Ant. Stat. p. 1. c. 44. n. 8. Cons. Guig. c. 17. num. 1.

3. « Item Recreationes non dentur pro accedentibus vel recedentibus a nostris Domibus. » Licet, ex Guigonis Consuetudinibus, cum hospitibus Religiosis in claustro communem habere sermonem », idemque permittunt Statuta Antiqua; sed multiplicatis in immensum Religiosorum Ordinibus, sapienter Patres hoc anno cœperunt has recreationes sive colloquia resecare, imo et Statuta Nova provide Priores admonent « ut non sinant suos Monachos cum quibuslibet extraneis Religiosis secreta habere colloquia. »

Cons. Guig. c. 10. num. 1.

Stat. ant. p. 2. c. 10. n. 28.

Stat. ant. p. 2. c. 3. n. 18.

JESU CHRISTI

ANNUS 1306.

Clementis PP. V Ann. 2.	Ordin. Cartus. Ann. 223.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 30.

DOMUS CALESII FIT MEMBRUM ORDINIS.

I. SEQUITUR annus Christi millesimus trecentesimus sextus, Indictione quarta, quo Aymo de Augusta, qui et de Plantata cognomen habuit, Calesiensis Domus ante triennium Ordini acquisitæ (sed Majori Cartusiæ propter unionem in ejus gratiam et illius sumptibus factam subjectæ) Prior a Capitulo Generali, ipso Bosone et ejus Conventu consentientibus, petiit suam Domum speciale fieri Ordinis membrum, quod deinceps sicut cæteræ Domus, salvis tamen Matris Cartusiæ rebus, Capitulo generali immediate subjiceretur. Fusissimum super his extat Instrumentum per Diffinitores editum, in quo inter cætera sic loquuntur: « Nos Fr. Boso Prior Domus Cartusiæ, cæterique Diffinitores Cap. gener. Ord. Cartus., videlicet Petrus Excubiarum, Hugo Arveriæ, Petrus Montis Dei, Guido Montismerulæ, Reginaldus Vallis Dei, Joannis Vallis sancti Georgii Priores, et D. Rodulphus de Ayma Monachus Domus Cartusiæ : notum facimus quod cum Domus Calesii cum suis juribus et appenditiis, quasi destructis ejusdem Domus ædificiis, et bonis suis multipliciter spoliata, et magna et gravi sarcina debitorum pluribus et duris creditoribus obligata, unita et subjecta fuerit Domui Cartusiæ. . . . . . quæ ultra dicta debita expendit de suo proprio pro dicta Domo Calesii reparanda, facto de omnibus legali computo et legitima ratione coram duobus Prioribus, videlicet D. Humberto Priore

Ex Archiv. Maj. Cart.

Durbonis, et D. Petro Priore Montis Dei, mille quadringentas et quatuor viginti libras bonorum viennensium monetæ antiquæ; tandem cum dictum Capitulum generale et D. Aymo Prior dictæ Domus Calesii humiliter requirerent a Priore et Conventu Domus Cartusiæ dictam Domum Calesii de gratia speciali subesse immediate dicto generali Capitulo, ut eidem subsunt aliæ Domus Ordinis Cartusiensis. . . . . . de voluntate et consensu dicti Fr. Bosonis Prioris et Conventus dictæ Domus Cartusiæ ex una parte, et dicti Fr. Aymonis de Plantata Prioris dictæ Domus Calesii nomine dictæ Dom. Calesii ex altera, extitit ordinatum per prædictos Diffinitores ut Domus Cartusiæ perpetuo habeat, etc. Nos vero Prior et Conventus Domus Cartusiæ volentes dicto Capit. gener. et Domui Calesii facere gratiam specialem, et ut uniformitas in Ordine nostro observetur, in hoc scilicet quod una Domus non habeat subjectionem vel superioritatem in aliam, sed solum Capitulum generale : dictam subjectionem dicto Cap. gen. et Domui Calesii remittimus, dummodo, et non aliter, dictum Cap. generale et dicta Domus Calesii recognoscant in prædictis sibi fieri gratiam specialem; aliter dicta subjectio in suo robore perseveret. . . . . . Nos dicti Diffinitores et totum Cap. gener. reputantes nobis et dicto Cap. et Domui Calesii fieri per Domum Cartusiæ gratiam specialem, prædicta universa et singula, et singulariter singula, una cum dicto Capitulo approbamus. . . . . . præcipientes ex superabundanti Fr. Falconi et Fr. Durando Monachis dictæ Domus Calesii, qui præsentes sunt in dicto Cap. gen., ut prædicta omnia per juramenta sua approbent; quod et in continenti fecerunt. Præcipimus etiam nos Diffinitores autoritate nostra et Cap. gen. et in virtute sanctæ obedientiæ aliis Monachis præsentibus et futuris in dicta Domo Calesii, quod prædicta et singulariter singula laudent et approbent et jurent; quod contra non veniant quando super his fuerunt requisiti; statuentes quod prædicta omnia et singula per duo alia proxima Capitula debeant approbari et totaliter confirmari. Rogamus insuper nos Diffinitores et dictum Capitulum et partes prædictæ

ANNUS 1306

Immediate a Cap. gener. pendens.

ANNUS 1306

per præsentes literas, Rev. in Christo P. D. G. Gratianopol. episcopum ut prædicta omnia et singula eidem placeat approbare, laudare, etc. Datum et actum Cartusiæ in Capitulo generali, anno Domini MCCC sexto, cum appensione sigillorum Domorum nostrarum et sigillorum Domorum partium prædictarum, etc. »

Hæc omnia prædictus Episcopus sequenti mense Augusto confirmavit, agente potissimum præfato Aymone de Plantata, qui interim per aliquot menses apud Cartusiam moratus, variis Instrumentis super negotia Domus confectis, chirographum suum adscripsit; semper suum cognomen apponens de Augusta, ut inferius erit videre. Deinde cunctis circa hujusmodi subjectionem rite actis, Prioratum sub finem hujus anni abdicavit, et Petro Faverii per Bosonem in ejus locum suffecto, desertum Majoris Cartusiæ repetiit, ubi anno sequenti Conventus Diffinitorem egit. Paulo post a Monachis Sellionensibus in Priorem electus, in eodem officio perseveravit donec toti Ordini præficeretur.

DOMUS PARTIS DEI FUNDATUR.

Plantin. in descript. Helvet.

II. Hoc anno fundatur cartusia Partis-Dei in Statu Friburgensi apud Helvetios et diœcesi Lausanensi, quatuor fere leucis ad meridiem Friburgo distans, prope Turrim de Tremaz*, urbeculam sitam subtus Grueriam, in ipsa Grueriæ baronia prope montem de *Molézon,* ut in fundationis litteris legitur; hanc Nostri incolere cœperunt anno præsenti, a nobilissimis vocati fundatoribus, Willermeta Petri comitis Grueriæ vidua et Petro comite ejus filio, qui in fundationis litteris anno sequenti datis sic loquuntur :

* *Trèmes.*

A comitibus Grueriæ.

Charta fundationis.

« Nos Williermetta, uxor quondam inclytæ recordationis Petri comitis Grueriæ, et Petrus ejusdem filius, prudentes, scientes et spontanei, solum Deum habentes præ oculis, de laude et consensu expresso Catharinæ uxoris mei dicti Petri, Perrodi et Joannis filiorum quondam bonæ memoriæ Rodulphi de Grueria filii mei dictæ Williermettæ, accedente autoritate mei dicti Petri : ad honorem Dei et gloriosæ Virginis matris ejus. . . . . pro remedio animarum nostrarum. . . . . in baronia nostra Grueriæ, infra juriam nostram jacentem

prope montem de Molezon, quamdam Domum Cartusiensium duximus construendam, quam volumus appellari *Partem Dei*, in modum inferius annotatum : videlicet quod in dicta Domo sint et esse debeant tot monachi dicti Ordinis quot ibi commode de facultatibus dictæ Domus processu temporis secundum Statuta dicti Ordinis poterunt sustentari..... Nos nomine nostro et hæredum nostrorum ac successorum, de universis et singulis prædictis sic donatis et concessis, ipsos monachos et eorum successores per fratrem Borcardum de Lausanna nunc Priorem dictæ domus de Parte Dei præsentem, stipulantem, etc. Nos autem prædicti, Catharina uxor dicti Petri, Perrodus et Joannes filii quondam dicti Rodulphi, prædicta laudamus et ratificamus, etc. In quorum omnium robur, nos dicti Williermetta et Petrus ejus filius sigilla nostra quibus utimur præsenti litteræ duximus apponenda. Rogantes nihilominus R. P. in Christo dominum Gerardum Dei gratia episcopum Lausanensem ut ipse præmissis autoritatem suam apponat, supplicantes etiam nos omnes prædicti Williermetta, Petrus, Catharina, Perrodus et Joannes dicto domino Episcopo, et viro religioso Domino Abbati de Humilimonte, Præmonstratensis Ordinis, diœcesis Lausanensis, ut ipsi hanc præsentem litteram velint sigillis suis una cum prædictis sigillis sigillare. Nos vero dictus Gerardus Dei gratia episcopus Lauzanensis, et nos dictus Abbas, ad preces et supplicationem omnium prædictorum, etc. Datum anno Domini MCCCVII, mense Octobri. » ANNUS 1306

Williermetta fundatrix annis circiter quatuor post conditam Domum obiit, ut colligimus ex Charta in qua commendatur sic : « Dominæ Comitissæ de Grueria nuper defunctæ conceditur Fraternitas Ordinis. » Petrus filius ejus, eodem anno* testis adfuit matrimonio inito inter Lupoldum ducem Austriæ et Catharinam filiam Amedei comitis Sabaudiæ. Adhuc vivebat Petrus anno trigesimo quarto hujus seculi, ut ex Charta ejusdem anni apparet quæ de illo sic loquitur : « Ob reverentiam domini comitis Grueriæ fundatoris Domus Partis Dei quæ adhuc indiget auxilio suo, D. Girardus de

Fundatorum obitus.

Ex ch. 1310.

Guichen. in Histor. Sab.

* Id est 1310.

Ex ch. 1334.

ANNUS 1306

Ex ch. 1335.

[a] Ex ch. 1343.

[b] Ex ch. 1337.

[c] Ex ch. 1348.

Chanvent mittatur, etc. » Anno sequenti preces pro eo et pro ejus uxore per Chartam Capituli generalis ordinantur. Anno quadragesimo, mense Januario, quemdam contractum cum hujus Domus monachis iniit. Ejus obitus triennio in Charta[a] denunciatur cum monachatu per totum Ordinem, sub die 3 Novembris quo die obierat an. præcedente. Catharina[b] ejusdem Petri uxor, vivens commendabatur in Chartis et post suum obitum[c], qui accidit quatuor post maritum annos, habuit etiam monachatum sub 13 Septembris. Alii Grueriæ Comites fundatorum successores, jura, privilegia, possessionesque hujus Domus tutati sunt ; alii etiam censibus et decimis eam ditaverunt, de quibus fit mentio in nostris Chartis ut mox dicemus. Porro præfatos Dominos ad hanc cartusiam fundandam excitatos credimus per quemdam eorum consanguineum, Rodulphum nomine, Majoris Cartusiæ monachum, quem eodem tempore floruisse reperimus in veteri Cartulario.

Ex Cartul. veteri Majoris Cartus.

EORUM GENUS.

III. Urbem Grueriam Plantinus fundatam fuisse scribit ac constructam a Gruerio sextæ Vandalorum Legionis duce, quem Comitum hujus nominis caput arbitrantur. Horum notitia satis obscura fuit hactenus Scriptoribus, ipseque Plantinus, nullum inter vetera Castri Œxensis quæ curiosius scrutatus est documenta, potuit ante annum 1341 reperire. Sed ex fundationis superius exscriptis litteris, vidimus Petrum comitem claruisse et obiisse ante præsentem annum, cujus uxor Williermetta Domum hanc cum altero Petro filio suo fundavit, consentientibus Perrodo et Joanne nepotibus suis ex Rudolpho altero filio suo mortuo etiam ante hunc annum, quem nec ipse Plantinus novit.

Perrodus de quo supra, qui et Petrus vocabatur, fuit dominus de Vanel, et Joannes frater ejus dominus de Montsalvens, ut ex litteris liquet a patruo Petro comite Grueriæ in favorem hujus Domus anno hujus seculi quadragesimo mense Februario datis. Rodulphus et Joannes de Gruyere, quos laudatus autor fratres nostri fundatoris existimat, ejus potius fratris filii dicendi sunt, quod fere quadraginta post eum

ANNUS 1306

annis claruerint. In Charta Cap. gen. anni trigesimi subsequentis seculi denunciatur inter mortuos : « Joanna comitissa Grueriæ benefactrix Domus Partis Dei », quæ mihi videtur uxor Francisci tunc viventis. (Ex ch. 1430) Post viginti quinque annos defuncta pariter recensetur « domina Perronetta, filia domini Joannis de Blonay militis, uxor domini Joannis de Grueria ex fundatoribus Domus Partis Dei. » (Ex ch. 1455.) Item obiit « dominus Bernardus de Gruieres dominus Montisacuti, amicus » monachorum hujus Domus. (Ex ch. 1471.) Ludovicus comes Grueriæ, mortuus pariter commendatur in Chartis, (Ex ch. 1493.) qui vivens curam hujus Domus habuit ; nam per quamdam aliam Chartam Joannem Chavelli Priorem Partis Dei Patres « adhortantur, ut quia Comes Grueriæ scripsit Capitulo gen. quod dicta Domus minatur ruinam, circa reparationem ejus et utile regimen plus solito invigilet. » (Ex ch. 1479.) Ejus uxor, Bona Coste, habuit etiam tricenarium post suum obitum in Charta novem annis ante maritum designatum. (Ex ch. 1484.) Joannes comes Grueriæ qui jam florebat ineunte seculo sexto decimo, post mortem vocatur indictis Chartis « permagnificus ac potens Dominus, ex fundatoribus Domorum Partis Dei et Vallis sanctæ », (Ex ch. 1540.) quorum monachis quamdiu vixit, fovit. Michael ultimus comes Grueriæ paulo post mortem patris omnia privilegia a suis antecessoribus huic Domui concessa confirmavit ; quem alieno ære obrutum, subditis suis qui ab eo cupiebant privilegia pretio vendidisse dicunt, bonaque illius a creditoribus præconis voce subjecta fuisse, comitatum vero Dominos Friburgenses et Bernenses inter se divisisse.

BENEFACTORES EJUSD. DOM.

IV. Quosdam hujus Domus benefactores ex Capituli generalis Chartis accipe, videlicet :

Dominus Ludovicus[a] de Walpergue, Joannes[b] Consandi vel Conrardi.

Gerardus[c] Bralardi, Perronetta[d] Vienez, Joannes[e] de Pasma, venerandus[f] dominus Aymo de Ossens archidiaconus, Nicolaus a Prereman* de quo in Domo Vallis sanctæ, sicut de Ludovico a Sabaudia domino Waudi.

[a, b] Ex chart. 1484.
[c] Ex ch. 1493.
[d] Ex ch. 1495.
[e] Ex ch. 1502.
[f] Ex ch. 1504.
* *Praroman.*

AGITUR DE DERELICTIONE DOM. HIBERNIÆ.

V. Non ex cupiditate multiplicandæ gentis nostræ funda-

ANNUS
1306

tionem hanc Patres receperunt, qui eodem tempore cartusiam in Hibernia ab aliquot annis jam erectam, sed in qua nostrarum legum perfecta observatio propter loci distantiam et alias rationes periclitabatur, penitus deserere voluerunt, ut discimus ex veteri Majoris Cartusiæ Cartulario. Cum enim hoc anno « vir nobilis Ysoardus de Cou Matri Cartusiæ in eleemosynam dedisset quemdam hominem ligium (prout habet Instrumentum) et talliabilem ac explectabilem ad misericordiam Domini, una cum ejusdem hominis liberis, hæredibus et universa ejus posteritate et servitio ac reditibus per ipsum hominem eidem Ysoardo debitis; rogassetque religiosum virum dominum fratrem Bernardum de S. Mauritio castellanum et Præceptorem domus Hospitalis Scalarum, de cujus feudo erant hic homo et alia bona ejus data et concessa, ut hujusmodi donum et eleemosynam laudaret et confirmaret, ac Domum Cartusiæ de prædictis investiret : annuit Bernardus Ysoardi precibus, sed visa prius licentia a Priore S. Ægidii obtenta in gratiam venditæ cartusiæ Hibernicæ. Sic autem loquuntur literæ confirmationis, quæ et licentiæ Instrumentum complectuntur :

Isoardus de Cou benefact. Maj. Cartus.

Hominem dedititium clientem dat.

Donum confirmant milites Jerosolimitani

« Anno Dom. MCCC sexto, Indictione quarta, sexto Idus Augusti, apud Scalas in domo superius, in castro et in domo Capituli, religiosus vir Domnus frater Bernardus de S. Mauritio castellanus et Præceptor Domus Hospitalis Scalarum, de consensu et voluntate fratrum Conventualium dictæ Domus Hospitalis et in ipsa Domo residentium, videlicet Domni fratris Petri de Cerveria militis, fratris Girardi de Cordone, F. Nicolai de Geri, F. Johannis Gorgi, F. Johannis de Fontana, F. Guigonis Mayllesi, F. Guigonis de Eschallone, F. Guillelmi Rat et F. Pontii Payrol, sibi lectis et diligenter intellectis omnibus supradictis [his nempe quæ de Ysoardi eleemosyna agebant], visa etiam quadam litera sana et integra, sigillo venerabilis viri Dom. Prioris S. Ægidii prioratus impendenti sigillata, cujus literæ tenor talis est : Noverint universi quod nos F. Dragonetus de Monte Dragono humilis Prior S. Ægidii Hospitalis S. Joannis Jerusalem, de consilio

Fratrum nobis assistentium, attendentes devotionem et dilectionem quam Domus et Fratres Cartusiensis Ordinis erga Domum Hospitalis longo tempore habuerunt, et gratiam etiam Hospitali factam super venditione Domus eorumdem quam habebant in Ybernia; necnon consideratione habita ad laborem quem F. Bartholomæus* Ordinis prædicti habuit in perfectione alienationis Domus prædictæ Hospitali factæ : concedimus de gratia speciali eidem F. Bartholomæo et per ipsum Domui Cartusiensi, quod ipsa Domus quocumque justo titulo Johannem. . . . et ejus familiam acquirere valeat et habere cum omnibus juribus ejusdem, non obstante quod Petrus de Cou ejusdem Johannis quondam Dominus et post eum ejus hæredes, jus quod habent in dicto Johanne a dicto Hospitali immediate teneant . . . . Datum Avinione die Martis post Nativitatem B. Johannis Baptistæ, anno MCCC sexto. Prædictam donationem laudat et confirmat nomine dictæ Domus Hospitalis et nomine suo et successorum suorum in eadem, et de consensu et voluntate Fratrum prædictorum, etc. Horum omnium testes fuerunt : F. Aymo de Augusta Prior Domus Calesii, Dom. Jacobus de Combis capellanus et curatus de Corbello, Guillemetus Senoreti de Cartusia, Johannetus donatus* Guillelmi dicti Perdris, et alii. »

ANNUS 1306

Quibus Cartusia Hiberniæ venditur.

* Clericus Redditus Cartusiæ.

* Dedititius cliens.

Etsi in suprascripto Instrumento cartusia Hiberniæ absolute dicatur Hospitali vendita, eam tamen adhuc posthac per quindecim annos Ordini subjectam fuisse constat; de cujus plena derelictione dicemus suo loco.

CARTUSIA ANGIONIS CURIALE BENEFICIUM FUNDAT.

VI. Hoc anno Angionenses monachi illustre ac per cuncta secula duraturum ac profuturum, nisi hæresis bonorum operum inimica illud aliquando aut evertisset aut in pejus commutasset, facinus commisere. Cum enim pagus dictus *Argie** Domui suæ proximus propriam non haberet ecclesiam, ejusque incolæ ab alterius vici satis remoti parocho regerentur, Monachi tanquam vici Domini ac majoris agrorum partis possessores, paganorum vicem dolentes, novam parœciam dotato curione condiderunt; obtento prius sui Episcopi Genevensis consensu, cujus auctoritate dotem perpetuam curioni

* Arzier.

ANNUS 1306

assignarunt per hoc publicum Instrumentum prælo dignissimum :

Aymo episc. Genev. fundationem confirmat.

« Nos Aymo miseratione divina Gebennensis episcopus, notum facimus, etc., quod cum religiosi viri, F. Willelmus Prior Angionis et Conventus ejusdem loci, Ordinis Cartusiensis, nos humiliter requisierint ut nos benedicere cœmiterium et ecclesiam in villa de Argie dignaremur, cum parati essent ipsam dotare Religiosi supradicti ; super præmissis extitit per nos et dictos Religiosos ordinatum, prout inferius continetur :

Pensio annua pro Curione instituitur : Præbenda unius monachi

Imprimis dicti Prior et Conventus dant, donant, assignant et assentant Curato de Argie, qui nunc est et qui pro tempore fuerit Curatus dicti loci, præbendam unius monachi integram imperpetuum, prout Ordo requirit; exceptis vestibus et calceamentis. Item dant, assignant et asseptant cuidam clerico commoranti cum Curato dicti loci de Argie, præbendam per decem annos continuos die confectionis præsentium incipiendos et non ultra, prout cuilibet Converso dare consuevit talis Ordo, et prout talis Ordo requirit. Item dant, donant et concedunt Curato dicti loci, qui nunc est et pro tempore fuerit, tertiam partem decimarum omnium novalium tam præsentium quam futurorum dicti loci de Argie : videlicet illorum novalium factorum seu cultivatorum in dicto loco ab octo annis citra, cum tertia parte aliorum novalium de cætero in futurum in dicto loco faciendorum seu etiam excolendorum, modo et forma ut superius est expressum.

Tertia pars novalium.

Item actum est quod Curatus de Argie habeat et percipiat ab omnibus gentibus habitantibus in terris Domus Algionis, prout se extendunt ex longitudine et latitudine a quercu nunc existente subtus grangiam *dou Moys,* etc., a quolibet hospitio seu foco habente animal ad carrucam, duas gerbas frumenti seu siliginis ; et si contingeret non habere quolibet anno gerbas prædictas, teneantur solvere de ordeo cum una gerba avenæ. Item illi parochiani qui animal non habebunt ad carrucam, solvere teneantur dicto Curato unam gerbam frumenti seu siliginis ; et si contingeret non habere dictam gerbam, teneatur solvere de ordeo cum quadam gerba avenæ. Res prædictas debet

Quid a parœcis tribuendum.

ANNUS 1306

percipere Curatus dicti loci libere et absolute. Item actum est quod quilibet parochianus teneatur recipere Curatum suum quolibet anno benigne et sufficienter semel in hospitio suo, aut solvere dicto Curato pro suo recepto decem et octo denarios gebennenses. In quibus denariis recipiendis Prior et Conventus Algionis percipere teneatur duas partes; aliter dicti Religiosi nihil debeant percipere in receptis supradictis. Item actum est inter Nos et dictos Religiosos quod Curatus dicti loci habeat et habere debeat unum denarium in omnibus confessionibus parochianorum et parochianarum suarum. Item Curatus dicti loci habeat et habere debeat pro sepultura puerorum quatuor denarios. Item actum est quod dictus Curatus habeat et habere debeat oblationes in baptismis ad voluntatem parochianorum. Item in mulieribus jacentibus in puerperio quicquid sibi dare voluerint vel saltem duodecim denarios. Item oblationes nuptiarum vel saltem duodecim denarios. Item actum est inter Nos et dictos Religiosos quod dictus Curatus habeat et habere debeat libere et absolute, nomine concessionis factæ a Religiosis supradictis inperpetuum, viginti posas terræ arabilis seu essertatas, aut triginta posas nemoris ad voluntatem nostram vel mandati nostri. Item in eleemosynis mortuorum factis seu faciendis et concedendis dicto Curato, secrete vel insecrete habeat et habere debeat unam presbiteratam a quolibet defuncto de quo consuetum est presbiteratam facere. Item in omnibus aliis oblationibus et trecennariis cum septimis dicta Domus Angionis habeat duas partes, et dictus Curatus tertiam partem. Item actum est inter Nos et dictos Religiosos quod Curatus dicti loci qui pro tempore fuerit, jura episcopalia et procurationum solvere teneatur. Item volumus et concedimus quod Prior et Conventus dicti loci Angionis habeant jus patronatus ecclesiæ de Argie, ex concessione per nos sibi facta pro Anniversario nostro et prædecessorum nostrorum. Item quod parochiani dicti loci facere teneantur ecclesiam, campanam ac etiam domum dicti Curati semel. Hæc autem omnia et universa et singula supradicta, promittunt dicti Prior et Conventus

Unus denarius pro confessionibus.

12 a mulieribus ex puerperio recreatis.

20 posæ terræ a Nostris Angion.

Una presbiterata pro quolibet defuncto.

ANNUS 1306

bona fide rata habere. Item universa ac singula supradicta laudant, approbant, ratificant et confirmant per juramenta sua supra sancta Dei Evangelia, nomine suo et hæredum suorum, videlicet Berthodus de Argie dictus de Oujons, Theobaldus Encelers, Aubertus de la Cheyna.... (et sex alii habitatores de Argie). In quorum omnium robur et testimonium nos prædictus Episcopus, ad requisitionem dictorum Religiosorum et dictorum habitatorum superius nominatorum, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Ad majorem etiam roboris firmitatem de prædictis, Nos prædicti Prior et Conventus sigillum nostrum quo unico utimur una cum sigillo prædicti Domini Episcopi præsentibus duximus apponendum. Ut autem præsens contractus majorem roboris firmitatem obtineat, Nos officialis curiæ Gebennensis ad preces et requisitionem dicti domini Episcopi, dictorum Prioris et Conventus et dictorum habitatorum, etc., sigillum prædictæ Curiæ præsentibus duximus apponendum, etc. »

PRINCIPES COMMENDANTUR PRECIBUS ORD.

VII. Hoc denique anno preces per Chartam indicuntur « pro domina Blancha, et pro domina Maria regina Franciæ, et domina Delphina et domino Delphino, et omnibus filiis ejus ; et pro omnibus aliis benefactoribus nostris, etc. » Hæc Blanca videtur esse filia sancti regis Ludovici, nupta Ferdinando Alfonsi X regis Castellæ filio, quo mortuo ante patrem ipsa in Galliam se recepit ubi obiit anno 1320.

Sammarth. Hist. Geneal. Franciæ.

Archiepisc. Viennen. obiit.

Ex amicis et fautoribus nostri Ordinis, inter mortuos in eadem Charta recensentur : « Dominus Archiepiscopus Viennensis qui habet tricenarium ». Vocabatur Guillelmus de Valentia, et obierat anno præcedenti.

Chor. Stat. polit. Delph. tom. I.

Item Abbas Altæcombæ.

« Item obiit Abbas Altæcombæ » habens idem beneficium tricenarii, cui per Chartam anni 1297 concessa fuerat fraternitas Ordinis. « Item magistro Petro de Villafrancha qui defunctus est, conceditur tricenarium. » Huic etiam Nostri ante quadriennium Ordinis fraternitatem concesserant. « Uxori magistri Petri nuper defunctæ conceditur Brevis. » An ille sit idem ac Petrus de Villafrancha non plane constat, cum cognomen hic non apponatur.

Et mag. Pet. de Villafranca.

Ex ch. 1302.

JESU CHRISTI

ANNUS 1307.

Clementis PP. V Ann. 3.	Ordin. Cartus. Ann. 224.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 31.

I. ANNO humani generis redempti trecentesimo septimo supra millesimum, Indictione quinta, decretum quo nova Domus Calesiensis anno superiori nulla alia intermedia potestate Capituli generalis correctioni subjecta fuerat, renovatur hisque verbis per Diffinitores confirmatur : DOMUS CALESII ITERUM SUBJICITUR CAPIT. GENERALI.

« Nos Fr. Boso Prior Domus Cartusiæ, cæterique Diffinitores Cap. general., videlicet Priores Domorum Sylvæ, Allionis, Pomerii, Luvigniaci, Parci, Vallis profundæ, et D. Aymo de Augusta Monachus Cartusiæ, notum facimus universis, quod nos ad humilem requestam fratris Petri Prioris Domus Calesii nobis factam nomine suo et Conventus sui, ostendendo nobis quoddam publicum Instrumentum in quo continetur consensus et ratificatio prædictorum Prioris et sui Conventus cujusdam Ordinationis, anno proxime præterito factæ per Diffinitores Capituli generalis proxime præteriti [quorum nomina ibidem recensentur], tam super exemptione dictæ Domus Calesii a subjectione qua erat adstricta Domui Cartusiæ, quam super aliis multis contentis in litera inde data, dictam ordinationem et singula ejus capitula ex certa scientia confirmamus ; confitentes nos Diffinitores prædictæ Ordinationi et confirmationi Domnum Petrum * Chamos, Monachum Domus Calesii præsentem, coram nobis de mandato prædicti Prioris sui liberaliter consensisse, et dictam or-

Ex Archiv. Maj. Cart.

**Al.* Jacobum.

68 c

ANNUS 1307

dinationem et singula ejus capitula ratificasse. Datum et actum tertia die Capituli gen., Cartusiæ, ann. Domini MCCC septimo. In quorum testimonium et perpetuam firmitatem sigilla quibus utimur præsentibus duximus apponenda. »

Mense Augusto consequenti Conventuales Calesienses, juxta præceptum quod anno superiori eis factum vidimus, cuncta quæ circa Domus suæ subjectionem Capitulo gen. per Conventum Cartusiæ transfusam acta fuerunt, longo confirmarunt diplomate, cujus summa sequitur :

« Fratres Petrus Faverii Prior Domus Calesii et dictæ Domus Conventus, videlicet D. Durandus de Villavalle, D. Simeon de Alaunesco, D. Petrus Vallisnavigii, D. Lantelmus de Barralibus, D. Petrus de Arenis et D. Jacobus Chamesii, omnes Monachi sacerdotes et professi; attendentes dictam Domum Calesii unitam fuisse et subjectam Domui Cartusiæ, et postmodum a subjectione liberatam fuisse ac redditam et submissam immediate Capitulo gen. Ord. Cartusiensis per dictam Domum Cartusiæ de gratia speciali, consentiunt prædictis liberationi a subjectione, retentionibus et adjudicationibus, necnon et confirmationi R. in Christo P. D. Guillelmi Gratian. episcopi; approbantes et emologantes omnia et singula ac promittentes prædicti Prior et Conventus Calesii pro se et suis successoribus, et super sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta Prior et Conventus de mandato Prioris jurantes, per pactum expressum coram Notario, prædicta omnia perpetuo rata et inconcussa servare : rogantes prædictum R. P. Domin. Episcopum et Capitulum gen., ut rursum hæc omnia laudent, autorisent, approbent et confirment, et sigilla quibus utuntur præsenti Instrumento apponi faciant una cum sigillo Domorum Cartusiæ, in robur et testimonium, etc. Datum et actum in Domo Calesii in claustro ubi consuetum est tractare de arduis, die Veneris post Assumptionem B. M., ann. MCCC septimo, præsentibus testibus D. Stephano Michaelis Priore de Coroeria, D. Guillelmo de Coroenna Monacho Domus Coroeriæ, Guigone Faverii Clerico Reddito Domus Calesii, et aliis. Et nos G. divina miseratione Gratian.

episcop., ... potestate nostra ordinaria dictæ Domus Calesii ad Domum et Ordinem Cartus. ad preces dictorum Prioris et Conventus. . . . . . . potestate nostra ordinaria et delegata a Summo Pontifice tanquam conservator Privilegiorum Ord. Cartus., autorizamus, approbamus et sigillum nostrum apponimus, etc. » Huic Instrumento subjiciebatur alia charta confirmationis per Capitulum generale anni sequentis factæ, cui subscripserunt Boso Prior Cartusiæ et cæteri Diffinitores, videlicet Priores Domorum Vallis S. Mariæ, Excubiarum, de Withaam in Anglia, S. Bartholomæi de Trisulto, Montis Dei, Montismerulæ, et Petrus Faverii ejusdem Domus Calesii Prior ac Dom. Simeon de Alaunesco, tunc Cartusiæ suæ professionis ad quam e Calesiensi rursum paulo ante Comitia a Bosone revocatus fuerat. Hæc omnia ab Episcopo Gratianopolitano et triennio post ab Archiepiscopo Viennensi et Summo Pontifice approbata fuere.

ANNUS 1307

II. Hoc anno Clemens Pontifex maximus a Monachis nostris Seizensibus, agente eorum Priore Godefrido, rogatus, Abbati monasterii in Sittich mandat ut eos qui bona et proventus eorum cartusiæ occultant et detinent, ad restitutionem per sententiam excommunicationis compellat. Unde colligimus hanc Domum multa damna circa hæc tempora sustinuisse. Sequitur Clementis bulla :

SEITZENSES MONACHI DAMNA PATIUNTUR.

« Clemens servus servorum Dei, dilecto filio Abbati monasterii in Sittich Aquileiensis diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii, Prior et Conventus Domus sancti Joannis in Seitz ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Cartusiensis Ordinis, Aquileiensis diœcesis, quod nonnulli iniquitatis filii quos prorsus ignorant, decimas, reditus, census, legata, terras, prata, vineas, domos, possessiones, Instrumenta publica, et quædam alia bona ad Domum ipsam spectantia, temere ac malitiose occultare et occulte detinere præsumunt; non curantes ea dictis Priori et Conventui exhibere in animarum suarum periculum, et eorumdem Prioris et Conventus ac Domus non modicum detrimentum : super quo idem Prior et Conventus Apostolicæ

Ad Papam recurrunt.

Ex Archiv. ejusd. Cart.

ANNUS 1307

Sedis remedium implorarunt. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus hujusmodi occultos detentores decimarum, redituum et aliorum bonorum prædictorum, ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per te vel per alium moneas, ut infra competentem terminum quem eis præfixeris, ea dictis Priori et Conventui ad se debita restituant et revelent, ac de ipsis plenam et debitam eis satisfactionem impendant; et si id non adimpleverint infra alium terminum competentem, quem eis ad hoc peremptorium duxeris præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas, et eam quando et ubi expedire videris, facias usque ad satisfactionem condignam solemniter publicari. Datum Pictavis, octavo Calend. Decembris, Pontificatus nostri anno tertio. »

HUMBERTUS DELPHINUS FIT CARTUSIANUS ET MORITUR.

III. Hoc anno piissime defunctus est Humbertus de Turre Annæ Delphinatus hæredis conjux, et cum ea fundator Monialium nostri Ordinis apud Saletas, ut fusius narravimus anno 1299. Mortua vero Anna, tantum inde dolorem concepit Humbertus, ut nulla consolatione admissa residuum vitæ transigens, tandem ad cartusiam Vallis S. Mariæ tamquam ad securum portum se receperit, ubi Cartusiensi induto habitu post dies aliquot expiravit, ibidem tumulatus in medio chori ante majus altare; cujus sepulchrum rebellantes Hæretici sæculo sexto decimo subverterunt. In Saletarum Necrologio ad 16 Calendas Maii ejus obitus legitur his verbis: « Obiit bonæ memoriæ dominus Humbertus delphinus Viennensis, qui ædificavit istud monasterium in honorem Dei et Beatæ Mariæ beatique Joannis Baptistæ. » Et in Charta hujus anni sic denunciatur : « Illustri domino Humberto quondam delphino, per Dei gratiam induto habitu Monachi, nuper defuncto, conceditur tricenarium per totum Ordinem. » Et in apographo ejusdem Chartæ ad Domum Scalæ Dei hoc ipso anno misso : « Obiit dominus Humbertus delphinus nuper in Domo Vallis sanctæ Mariæ cum habitu monachico, sepultus in eadem Domo, etc. » Ex his verbis satis liquet eum non diu stetisse in Ordine nostro, cum tamen Historici fere omnes

scribant eum statim post uxoris obitum mundo nuntium remisisse. Theophylus quoque Raynaudus annum signat 1295, gravi certe errore, nam Anna ejus uxor vixit usque ad annum 1303 ut in Domo Saletarum probavimus. Fides igitur Molino nostro est adhibenda qui Humbertum asserit per breve tempus in Ordine stetisse, imo post paucos dies ab habitu suscepto expirasse; quod etiam ex Delphinalibus Statutis constat, in quibus hæc de ipso habentur : « Humbertus dominus de Turre et de Tholomaco, delphinus pro uxore sua Anna, strenue et prudenter Delphinatum gubernavit. Et post mortem uxoris suæ, plures liberos habens tam mares quam mulieres, mundo relicto habitum Cartusiensium suscepit in monasterio Vallis S. Mariæ, *ubi post paucos dies expiravit* et sepultus ibidem fuit. Uxor vero ejus Anna mortua est prius et sepulta in monasterio Saletarum Ord. Cartusiensium, diœces. Lugdunensis quod ipsa fundavit. » Sed eruditus Chorerius autorum contradictionem conciliat, cum dicit Humbertum post mortem uxoris statim quidem in Vallis S. Mariæ claustro se inclusisse, sed suæ, familiæ amore ac publicæ rei ratione inde paulo post fuisse revocatum, donec tandem induto in præfata Domo habitu monachali ibidem moreretur.

ANNUS 1307

Raynaud. in Brun. myst.

Mol. Hist. ms. Ord.Cart.

Hist. Delph. tom. 2. lib. 6. art. 13, 18 et 20.

IV. Hoc etiam anno, vel obiit vel ad nostrum Ordinem transmigravit Fridericus abbas S. Lamberti in superiore Styria, Ordinis S. Benedicti. Nostri Seizenses eum dicunt Cartusiensem professionem in sua Domo amplexum fuisse. Sed Gabriel Bucelinus contrarium videtur censere, sic de eo in *Germania sacra* scribens : « Fridericus abbatem egit... annis, mensibus quinque, diebus 24. Carnem reliquit anno 1307. Vir utilis, ut qui multas lites diremerit, controversias composuerit. » Hæc ille, forsan obitum ponens pro ejus ad Nos transmigratione; ut ut sit, Fridericum dilexisse Cartusienses constat, nam in indice Instrumentorum Domus Seitzensis talis legitur articulus : « Item litteræ Dom. Friderici tunc abbatis sancti Lamberti Ordinis S. Benedicti; cum consensu Prioris et Conventus ejusdem dedit nobis 23 marcas puri argenti; unde promisimus quod singulis annis unam

FRIDERICUS ABBAS S. LAMBERTI FIT CARTUSIANUS.

Ex mss. Cart. Seitzensis.

ANNUS 1307

Missam in Conventu peragemus de festo S. Lamberti ; et Fratribus ea die detur bona pitantia. »

ORDINATIONES CAP. GEN.

V. Per Capituli generalis Chartam preces ordinantur : « Pro illustri domina regina Maria, et pro domina Blancha de Britannia, et pro omnibus aliis per eas orationibus Ordinis recommendatis. » Hæc Blancha erat filia Joannis II ducis Britanniæ et vidua Philippi de Atrebato domini Conchensis, cujus nempe Philippi obitus ante quatuor annos denunciatus fuerat in Charta Capituli generalis. Filius erat Roberti II comitis Atrebatensis, quem plerique autores obiisse scribunt anno secundo hujus seculi. Cujus tamen obitus denunciatus tantum fuit in præsentis hujus anni Charta. Blancha iterum commendatur in Chartis anni 1310 et 1312 et diu post adhuc vixit.

Ex ch. 1303.

« Item illustri domino Comiti Burgundiæ defuncto conceditur tricenarium, etc. » Hic est Otho comes Palatinus Burgundiæ, qui uxorem duxerat Mathildem præfati Philippi de Atrebato sororem, utriusque Domus (scil : Gosnay) fundatricem, ut suis dicemus locis. Hunc Othonem Gollutius et plures alii asserunt obiisse anno secundo hujus seculi, cujus tamen vitam quidam protrahunt ad annum 1306, quorum sententia verbis Chartæ magis convenit.

Ludov. Gollut. lib. 7. hist. Comit. Burg.

Per eamdem Chartam, « Ordinamus, inquiunt Patres, et injungimus quod Moniales quæ nolunt facere officia ecclesiæ, videlicet lectiones legere, cantoriam facere, responsoria dicere et cætera officia, possint poni in loco Novitiarum. » Et recte quidem, cum in consecratione sua quælibet Monialis accipiat potestatem ab Episcopo legendi officium et incipiendi Horas in ecclesia.



JESU CHRISTI

ANNUS 1308.

Clementis PP. V Ann. 4.	Ordin. Cartus. Ann. 225.	Bosonis Pr. Cart. Ann. 32.

I. ANNUS salutis post millesimum trecentesimum octavus adest, Indictione sexta, quo ineunte Clemens Papa Pictavis adhuc degens, quibusdam Domibus in Austriacorum Principum ditionibus positis, Godefridi Seitzensis cartusiæ Prioris efflagitatu diploma Pontificium concedit : quo omnes libertates, immunitates, exemptiones, indulgentias et privilegia tam a suis antecessoribus quam a quibuscumque Principibus collata confirmat. Data est bulla Pictavis, septimo Calendas Februar. Pontificatus ejus anno tertio. Hujusmodi privilegiorum confirmationem Austriaci Cartusienses videntur impetrasse, ut ea se munirent contra subsidiorum ecclesiasticorum exactores, a quibus eodem tempore ad solvendas hujusmodi contributiones cogebantur. Quamobrem paulo post obtentum Clementis privilegium, similes in eundem finem a Neapoleone cardinalis ejusdem Papæ Legato, in Hetruria tunc agente, literas petierunt ad quosdam Abbates, ut hujusmodi collectores per censuram ecclesiasticam compescerent. Ille igitur erga nostrum Ordinem propensissimus petitioni eorum acquiescens, tales jussit dari litteras :

AUSTRIACÆ DOMUS DE SUBSIDIIS ECCLESIASTICIS LIBERANTUR.

Ex mss. Cart. Seitzensis.

A Papa.

« Neapoleo, miseratione divina S. Adriani diaconus cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis in Christo de Sitich et de Landrestras monasteriorum Abbatibus, et Præposito Ecclesiæ S. Mariæ de Oberndorf Aquileiens. diœcesis, salu-

A Neapoleone ejus Legato.

ANNUS 1308

tem in Domino. Abundans malitia perversorum, viris sanctæ contemplationi deditis adeo exhibet se infestam, quod ipsi divino cultui, ut deberent, vacare non possunt dum illorum malitiis agitantur, et bonorum temporalium se tuendo a talium incursibus, sustinent detrimentum. Cum itaque sicut dilecti in Christo Priores et Conventus Domorum ac Vallium S. Joannis Baptistæ, S. Mauritii, ac Vallis-jocosæ Ordinis Cartusiensis, Aquileiens. diœcesis, sua nobis petitione monstrarunt, quod de Carniolia et Marchia ac Saunia Archidiaconi et quidam alii ecclesiarum Rectores ejusdem diœcesis, in procurationibus Legatorum Apostolicæ Sedis et aliis indebitis exactionibus, a quibus per specialia Apostolicæ Sedis Indulta sunt exempti, ipsos multipliciter opprimere moliantur: Nos oppressorum hujusmodi refragari conatibus et dictorum Priorum et Conventuum quieti providere volentes, discretioni vestræ qua fungimur autoritate mandamus quatenus eisdem Prioribus et Conventibus efficaci defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super præmissis contra Indultum Sedis Apostolicæ et Legatorum ipsius a prædictis Archidiaconis, ecclesiarum Rectoribus et aliis quibuscumque personis, indebite molestari; molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam compescendo. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vel unus vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Cortonæ, XVII Calend. Martii, Pontificatus Domini Clementis Papæ V anno tertio. »

A quo Seitzenses Patres gratiam obtinent.

Præterea idem Cardinalis specialem Seizensibus dat gratiam et potestatem ædificandi capellam in territorio villæ suæ de Seitz.

« Neapoleo, etc. Dilectis in Christo Priori et Conventui Domus Vallis S. Joannis Baptistæ Ordinis Cartusiensis diœcesis Aquileiensis, salutem in Domino. Religionis vestræ sinceritas promeretur ut vobis in his quæ digne petitis, reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, vobis construendi capellam in villa Seitz in loco dictæ villæ seu ejus territorio per vos licite acquisito, Aquileiensis diœcesis, sine juris præjudicio alieni,

nonobstante aliqua constitutione per Diœcesanum loci in contrarium edita, autoritate qua fungimur, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Datum Cortonæ, tertio Nonas Martii, Pontificatus Domini Clementis Papæ V anno 3. »

DOMUS NOVIOMENSIS RECIPITUR.

Vid. an. 1300.

II. Jam vidimus ante octo annos, Reginaldum de Royo a Templariis licentiam obtinuisse unam ædificandi cartusiam in loco dicto de Hairimonte prope Noviomum urbem episcopalem sito, qui juris erat eorumdem Militum clientelaris. Interea prospere expeditis quæ circa hoc negotium emerserant impedimenta, aptatisque quibusdam ædificiis, locum Ordini hoc anno obtulit. Missi igitur a Capitulo generali speciales procuratores et commissarii, Eustachius videlicet Prior Domus Parisiensis et Joannes de Argentono ejusdem Monachus professus, oblationem a pio fundatore nomine Ordinis acceperunt. Ipse vero sequens fundationis Instrumentum ab Officiali Noviomensi scribi curavit :

A fundatore dotatur.

« Universis præsentes litteras inspecturis, Officialis Curiæ Noviomensis salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod coram nobis personaliter constitutus Reginaldus de Rouy clericus et Agnes ejus uxor, ob animarum suarum remedium et salutem, de bonis sibi a summo Largitore collatis dederunt et donaverunt, contulerunt et concesserunt, et se dedisse et donavisse, contulisse et concessisse recognoverunt coram nobis bene et legitime et in perpetuum, et in puram et perpetuam eleemosynam, donatione facta inter vivos, Dompno Eustachio Priori de Valle viridi juxta Parisius, et Dompno Joanni de Argenton deputatis a Capitulo generali Ordinis Cartusiæ, pro sustentatione tredecim Fratrum ejusdem Ordinis cum eorum familia in loco qui dicitur Hairimont morantium ibidem, in perpetuum terras, vineas et prata de acquestu ipsorum conjugum usque ad quantitatem sive summam ducentarum librarum Parisiensium annui redditus singulis annis in futurum. Item sex mencholdos terræ, quæ quondam fuit Simonis le Laitier (et alia bona ibi denominata). Hoc addito quod si bona præmissa non sufficerent ad quantitatem dictarum ducentarum

ANNUS 1308 librarum, voluerunt dicti conjuges quod perficiatur dicta quantitas de tota terra sua sita apud Taisy .... De quibus vineis, terris et pratis superius declaratis, excepta terra de Taisy, se devestivit dictus Reginaldus pro se et uxore sua et de voluntate ejusdem, in manu baillivi domini Noviomensis Episcopi tenentis locum forisarii, coram nobis, ad opus dictorum Fratrum et sustentationem dictæ Domus. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum Curiæ Noviomensis duximus apponendum. Datum anno MCCCVIII, mense Julio. »

Notandum in præfatis litteris Reginaldum dici clericum; sed in Cartulariis Domus additur « Clericus domini regis Philippi » : quæ vox *Clericus* hoc in loco sumitur pro Quæstore sive Thesaurario regio, qui ea ætate vocabatur lingua nostra *Clerc des finances royaux*. Quo etiam nomine usus est in S. Ludovici Francorum regis Historia Joinvillæus. Constat vero ex quibusdam litteris Reginaldum dici « Thesaurarium domini Regis Franciæ ». Præterea putant nonnulli ipsum Reginaldum e dynastarum Royensium familia fuisse, quod veritati satis est consonum; cum illius cognomen diversimode legatur in antiquis diplomatibus, scilicet de Rouy, de Roy, de Royaco, et de Roya.

Præter cartusiam, xenodochium construxit et dotavit Reginaldus et Agnes ejus uxor in oppido Pontis-Episcopi unde oriundus erat. Utriusque obitus nostris in Chartis reperitur;
Ex ch. 1312. Reginaldi his verbis : « Pridie Idus Septembris obiit Reginaldus de Royo fundator Domus S. Ludovici, qui habet monachatum per totum Ordinem »; uxor vero denunciatur post quatuordecim annos sic : « Obiit IV Idus Decembris domina
Ex ch. 1328. Agnes uxor quondam Reginaldi de Royo, quæ habet monachatum, etc. »

Gaufridus de Royo prædictorum fundatorum filius, in quodam Instrumento dicitur manerium, quod prope hanc
Ex literis datis an. 1327. Domum sibi reservaverant fundatores, in puram eleemosynam Nostris concessisse, ut de eo ad libitum disponerent. Domus insuper fundationem confirmavit, adjectis etiam hortis et vineis eidem Domui contiguis.

ANNUS 1308

PHILIPPUS REX ALTER FUNDATOR.

Democh. in Episc. Noviomens. Chopin.

III. Præter Reginaldum qui primus autor ac promotor hujus condendæ cartusiæ merito agnoscendus est, fundatoris quoque nomen a Demochare, Chopino et Sammarthanis jure tribuitur Philippo regi Francorum hujus nominis quarto, quem ut talem Noviomenses Patres semper habuerunt; teste ejusdem Domus Necrologio ad tertium Nonas Januarii his verbis : « Obiit Philippus rex Franciæ, dictus Pulcher, fundator hujus Domus, qui dedit CCC libras Parisienses admortizatas annui reditus, ipsum juvantibus tribus filiis suis successive; et dedit huic Domui titulum seu nomen beati Ludovici, et habet Anniversarium perpetuum. » Præter Necrologium extant plura Instrumenta quibus liquet eumdem Regem vere dicendum esse fundatorem, ex quibus unum ad hujus rei veritatem asserendam subjicimus.

« Philippus Dei gratia Francorum rex. Ad ea quæ divini cultus augmentum et personarum Domino famulantium pacem et quietem respiciunt, progenitorum nostrorum vestigiis inhærere studendo dirigentes aciem mentis nostræ, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod ob nostræ et inclytæ memoriæ Joannæ Dei gratia reginæ Franciæ et consortis nostræ carissimæ animarum remedium et salutem, religiosos viros et dilectos nobis in Christo Priorem et Conventum monasterii Montis S. Ludovici juxta Pontem-Episcopi Cartusiensis Ordinis, Noviomensis diœcesis, ipsumque monasterium *ex bonis nobis a Deo creditis constructum noviter et fundatum,* ut ipsius monasterii personæ, quæ spretis concupiscentiis et oblectamentis secularibus ibidem toto vitæ suæ tempore continuo Altissimo famulatum impendere voverunt et futuris temporibus vovebunt, feliciter et sub tranquillitate valeant sui cursum certaminis consummare; et ne personæ hujusmodi mittentes manum ad aratrum molestiis, turbationibus et pressuris sæcularium aliarumve personarum oppressæ retro aspicere, et tamquam ad vomitum ad fallaces hujus mundi delectationes redire, et a sancto suo proposito declinare cogantur; vel, quod absit, diabolica fallente versutia, ex ipsis molestiis, pressuris et turbationibus, prædicti re-

ANNUS 1308

ditus sui damnabilis colorem quærere seu occasionem assumere præsumant : ex nunc perpetuo cum universis familiis et bonis suis quibuscumque, suscepimus in nostra et Regum Franciæ successorum nostrorum protectione regia et gardia speciali. Quod ut firmum et stabile perseveret in perpetuum, præsentes litteras sigilli nostri impressione fecimus muniri. Actum Parisiis anno MCCCX, mense Aprili. »

Videbimus etiam in bullis Clementis Papæ, triennio post exscribendis, aperte declarari Philippum Domum hanc « de propriis bonis fundasse, illamque Ordini Cartusiensi pia et provida deliberatione donasse ». Unde concludere debemus Reginaldum de Roya locum quidem dedisse ac dotem inchoasse, sed Regem fundationem absolvisse.

Successores Reges dotem augent.

Ludovicus Hutinus, Francorum rex, præfati Philippi filius et successor, patris fundationem confirmavit ; quod etiam Philippus Longus illius frater et post eum Francorum rex fecit, datis litteris Parisiis, mense Martio, anno 1316 juxta morem antiquum. In quibus litteris sic inter cætera loquitur : « Philippus Dei gratia Francorum et Navarræ rex, notum fecimus. . . . . quod nos ad religiosos viros Fratres Priorem et Conventum monasterii seu Domus sancti Ludovici prope Noviomum, Cartusiensis Ordinis, *per Dominum et genitorem nostrum carissimum fundatum,* sinceræ dilectionis et specialis favoris affectum gerentes, eorumque paupertati et inopiæ miserabili (super quibus informati sumus ad plenum) pio compatientes affectu, ad sustentationem dictorum Prioris, Fratrum et Conventus. . . . nec non ad augmentum redituum in dicti monasterii seu Domus fundatione donatorum, trecentas libratas terræ concedimus et donamus. » Post obitum

Ex ch. 1322.

idem Rex inter mortuos Chartæ inseritur : « Domino Philippo regi Franciæ nuper defuncto conceditur tricenarium, etc. »

Carolus Pulcher, ejusdem Philippi frater et successor, hanc trecentarum terræ libratarum donationem confirmavit « Religiosis viris, dilectis nobis in Christo Priori, Fratribus et Conventui Montis sancti Ludovici, per inclytæ recordationis carissimum Dominum et genitorem nostrum pia et sincera

devotione fundatis. » Sic loquitur Rex benignissimus in hujus suæ confirmationis litteris « anno 1323, mense Novembri, apud Poulliacum prope Andegavum datis. »

ANNUS 1308

EPISCOPI NOVIOM. FAUTORES.

IV. Noviomenses Episcopi in hanc Domum propensi multa ei contulere; inter quos eminent Andreas de Crécy præsenti fundationis hujus Domus anno, Fulcaudus de Rupe Cavardi anno 1326, Philippus de Molinis anno 1392; Joannes de Hangest anno 1570, cujus obitus septennio post signatur in Charta; Carolus de Balsac, qui cum ante Præsulatum inter Nos adscribi voluisset, factus Episcopus Noviomensem cartusiam singulari benevolentia complexus est, multaque pro suo Anniversario dedit. Ex ch. 1577.

Inter benefactores et amicos præcipuos totum Noviomensis Ecclesiæ collegium non sine causa aggregare possumus, quandoquidem e sacro illo Conventu ultra viginti canonicos reperimus suis beneficiis Domum hanc affecisse. Ex quibus insigniores gratitudinis ergo hic par est subjicere : Joannes Patris, scolarcha, unam fundavit cellam, cui propterea post mortem beneficium tricenarii per totum Ordinem concessum est. Joannes Isabeau in certo tempore alteram reperitur suis sumptibus cellam construxisse, et monachum ejus habitatorem annuis reditibus dotasse. Petrus[a] Falconerii, cantor, benefactor dicitur in quadam Charta Capitulari sicut et Nicolaus[b] Baille, Reginaldus[c] de Belsia et magister[d] Ermuchius, scolasticus. Antonius[e] Charmelle, decanus, cæteros superasse conjicitur ex beneficio Anniversarii perpetui ei per totum Ordinem concessi sub die obitus sui qui fuit 29 Maii. Ægidius[f] Mortecrotte, thesaurarius, reditus assignavit pro Missa quotidiana de B. Maria; in templo hujus Domus jacet. Plures quoque ejusdem Ecclesiæ capellani, benevolentia inter se certantes, sepulturam in eadem Domo elegerunt. Alii se suaque dederunt, ut sunt Robertus de Verriques et Petrus Tiroul sacerdotes et Præbendarii hujus Domus. Claudius de Montigny, sacerdos et superior Patrum Oratorii Jesu in urbe Aurelianensi et fundator cœnobii Minimorum apud Calviacum, magnus nostræ Domus benefactor extitit. Viri quoque seculares certa-

Ex ch. 1338.

[a] Ex ch. 1415.
[b] Ex ch. 1497.
[c, d] Ex chart. 1544.
[e] Ex ch. 1558.
[f] Ex ch. 1609.

Ex ch. 1483. et 1539.

Ex ch. 1625.

ANNUS 1308 tim dona contulerunt ex quibus sunt Petrus de Matheniaco Caroli Pulchri regis Galliæ cubicularius, in templo sepultus. Isabella uxor Philippi Boni, ducis Burgundiæ, unum sacellum et duas cellas ædificavit ac fundavit, et per plures annos multas pecunias in Monachorum sustentationem erogavit.
Ex ch. 1476. Simon Héron, civis Noviomensis, cellam et reditus ad unum Monachum perpetuo alendum assignavit. Joannes de Rouvray dominus de S. Simone, et Joanna Trimolia idem præ-
Ex ch. 1504. stiterunt. Obiit ille ann. nonagesimo quarto seculi quinti decimi, in ecclesia sepultus; uxoris vero, sexennio post defunctæ, cor ad ossa mariti appositum fuit. Henricus Boucquel domi-
Ex ch. 1505. et 1506. nus de Biache cum Catharina de Bretencourt illius conjuge unam cellam fundavit. Joannes Gueffrin, Major Noviomensis, sepulturam elegit in hac Domo et accepit ineunte nostro
Ex ch. 1604. seculo in sacello S. Joannis Baptistæ.

In Charta præsentis anni nihil occurrit notatu dignum præter obitus Eduardi regis Angliæ qui sæpe annis superioribus preces Ordinis postulaverat, et Petri quondam comitis Pictaviensis cui conceditur Brevis unus cum associatione primi Anniversarii.

EXPLICIT VOLUMEN QUARTUM

INDEX

INDEX

ANNALES ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM SECUNDUM

(prosequitur)

Jesu Christi annus 1231.

Annus 1232.

Annus 1233.

70 c

Annus 1234.

Annus 1235.

Annus 1236.

Annus 1237.

Annus 1238.

Annus 1239.

Annus 1240.

Annus 1241.

Annus 1247.

Annus 1248.

Annus 1249.

Annus 1250.

Annus 1251.

Annus 1252.

Annus 1253.

Annus 1254.

Annus 1255.

Annus 1256.

Annus 1257.

Annus 1258.

Annus 1259.

Annus 1260.

Annus 1261.

Annus 1262.

Annus 1263.

Annus 1264.

Annus 1265.

Annus 1266.

Annus 1267.

Annus 1268.

Annus 1269.

Annus 1270.

Annus 1271.

Annus 1272.

Annus 1273.

Annus 1274.

Annus 1275.

Annus 1276.

Annus 1277.

Annus 1278.

Annus 1279.

Annus 1280.

Annus 1281.

Annus 1282.

Annus 1283.

SECULUM TERTIUM

ORDINIS CARTUSIENSIS

Annus 1288.

Annus 1289.

Annus 1290.

Annus 1291.

Annus 1292.

Annus 1293.

Annus 1294.

Annus 1295.

Annus 1296.

Annus 1301.

Annus 1302.

Annus 1303.

Annus 1304.

Annus 1305.

Annus 1306.

Annus 1307.

Annus 1308.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
ERN. DUQUAT typographus.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
Ern. Duquat typographus.